


THEOLOGIA

DOGMATICO-POLEMICA

INDICULUS PATRUM
A C
VETERUM SCRIPTORUM
ECCLESIASTICORUM
Q U I
A PRIMORDIIS CHRISTIANÆ RELIGIONIS
AD TEMPORA USQUE
BB. THOMÆ AQUINATIS ET BONAVENTURÆ
ECCLESIAM SCRIPTIS SUIS
ILLUSTRARUNT.



ORDINE ALPHABETICO DIGESSIT
A C
THEOLOGIAE SUAE DOGMATICO-
POLEMICAE
MANTISSÆ LOCO ACJECIT



P. CAROLUS SARDAGNA
E SOCIETATE JESU PRESBYTER
IN EPISCOPALI LYCEO AD D. PAULI RATISBONÆ
THEOL. DOGMATICO - POLEMICÆ PROF. P. O.
ET EXAM. SYNODALIS.





ROMAE 1820.
APUD PIUM CIPICCHIA
Superiorum Permissu.



PRAEFATIO

AD LECTOREM.

Quem *in altera editione Tomi I. Theologiae meae Dogmatico-Polemicae pollicitus fueram, exhibeo tibi, Lector Benevole, Indiculum Patrum ac Veterum Scriptorum Ecclesiasticorum, qui a Christianae Religionis incunabilis ad tempora usque BB. Thomae Aquinatis et Bonaventurae Ecclesiam scriptis suis illustrarunt. Dixi,* Indiculum *a me tibi exhiberi. Qui vasta hac de re expectat volumina, alias pulset fores, alios adeat fontes: non enim Bibliothecam Patrum conscribere, sed praecipuorum solummodo brevem indiculum texere animus fuit, Theologiae tyronibus inservìturum. Hinc ne prolixior esse cogerer, ad ultima usque tempora non sum delapsus, quae maximum Scriptorum numerum suppeditant; sed ad annum Christi MCCLXXIV. quo Oecumenica Synodus Lugdunensis II. est habita, Sanctique Ecclesiae Doctores Thomas Aquinas et Bonaventura inter Coelites recepti sunt, cursum stiti, Scriptores ducentos septuaginta et unum complexus, quorum prae reliquis celebrior fama est in Ecclesia.*

In singulis Scriptoribus haec plerumque praestiti. Praemisi Auctoris elogium, in quo nomen, cognomen,

patriam, parentes, dignitatem, professionem, annum, diemque obitus, quantum scire mihi licuit, exactae adnotavi; variasque variorum, sive Antiquiorum sive Recentiorum aberrationes non numquam detexi. Tum res gestas maxime memorabiles, praesertim ad Ecclesiae et Reipublicae litterariae statum pertinentes ex optimis quibusque Scriptoribus notavi. Ad haec cum omnia Opera in unum corpus redacta sunt, id observavi; editionemque praestantissimam secutus, catalogum Operum uno pluribusque voluminibus contentorum explicui: cum vero variis in locis, temporibus, formisque excusa sunt, ac velut Absyrti membra hinc atque inde dispersa, ubi inveniri queant, indicavi. Scripta, sub alienis nominibus latitantia, suis Authoribus restitui: deperditorum vestigia saepe scrutatus sum, et quaenam hodie supersint fragmenta, et ubinam reperiantur, quasi digito monstravi: quae dubiae sint fidei, Lectorem monui, genuina a supposititiis sedulo distinxi, et ubi opus erat, rationes reddidi; breviter id quidem, et tribus quasi verbis, ne a proposita mihi brevitate discederem, nisi ubi pleniorem crisin res ipsa postularet.

Ordinem Alphabeticum in recensendis Scriptoribus amplexus sum, tamquam cuivis magis obvium. Ne quis tamen temporum quoque seriem merito desiderare posset, Abacum Chronologicum ad calcem hujus Indiculi adjunxi, in quo summa, qua licuit, accuratione, suo quisque Scriptor saeculo affixus est.

Sua quoque laus merito delata fuit Eruditis Viris, quorum diligentia ac diutinis laboribus Patres et Scriptores Ecclesiastici vel e Graeca lingua in Latinam versi sunt, vel Commentariis, Dissertationibus, ac Notis illustrati, abstersoque squalore integritati suae restituti in lucem prodierunt. Locum etiam atque annum editionis, et sacrum Ordinem, in quo Regulares Interpretes ac Editores merebantur, diligenter addidi. Initiales litterae O. S. B. Ordinem Sancti Benedicti, O. S. A. Ordinem Sancti Augustini, O. P. Ordinem Praedicatorum, O. M. Ordinem Minorum, S. J. Societatem Jesu denotant.

Fontes, ex quibus hausi, atque in areolas meas derivavi, fuerunt Lugdunensis Bibliotheca Maxima Patrum, Collectio Harduiniana Conciliorum, Baronius, Bellarminus, Sixtus Senensis, Possevinus, Labbeus, Pagius, Gravesonius, Natalis Alexander, Oudinus, Caveus, Dumesnilius, Fleurius, aliique complures, praecipue Acta Sanctorum, a Joanne Bollando, ejusque Continuatoribus, Viris doctissimis Antuerpiae edita, ex quibus quae in rem meam erant, praecipue in adornandis Sanctorum Virorum elogiis, et in nodis Chronologicis solvendis, liberaliter deprompsi. Quodnam vero de eruditissimis hisce Actis judicium tulerint tum Pontifices Summi, tum Cardinales Eminentissimi, tum alii summi nominis Viri, Eruditi omnes norunt. Quod siquis haec Sanctorum Acta stultum ineptiarum laborem

cum Caveo vocitet, dignus est me hercle, qui impudentiam publice profiteatur, ac morionum instituto nolam in capite gestet.

At quamvis peritos duces nactus fuerim, non ita tamen praeclare de me rebusque meis sentio, ut in errores aliquos subinde me non prolapsum existimem.

Nullus enim vitio sine fit liber: optimus ille est,
Qui minimis urgetur.

Qui plurimos annos in hoc scriptionis genere contriverunt, doctorum hominum opera adjuti, librisque selectissimis instructi: quibus publicarum Bibliothecarum adyta patebant, a multiplici tamen errore immunes haud fuerunt: quanto magis id mihi contigerit homini novo, hisque praesidiis destituto. Naevos tamen a me admissos hilari fronte emendare paratus sum, si amica voce aut Epistola admonitus, justa a me postulari intellexero. Scriptiunculam hanc pari qua caeteras observantia ac reverentia Sanctae Romanae Ecclesiae judicio et censurae subjicio, quam ut Matrem omnium Ecclesiarum, basim, atque Orthodoxae fidei firmamentum veneror.

Verum cui bono, inquies, haec lucubratio paratur? Respondeo, ne illi, qui Theologiae operam navant, vastisque voluminibus volvendis impares sunt, barbari sint homines, qui, ut vetus habet paroemia,

equum ab asino vix norunt discernere, et quid distent aera lupinis ignorant. Qui enim fieri umquam potest, ut in rebus Theologicis, quarum fundamentum est sacra Divinarum Litterarum, ac veneranda Patrum authoritas, solidam sibi doctrinam comparet, qui harum rerum notitia destitutus, ignorat qua aetate aut saeculo Patres floruerint, quibuscum dimicarint, quid librorum procuderint, quae tamquam genuina ac sincera admittenda sint, quae tamquam adulterina ac spuria rejicienda? Adde quod non alii, nisi qui Theologicis imbuti sunt disciplinis, Sacerdotio initientur, statoque tempore ad concionem verba faciant, et subditum sibi gregem ad virtutem consectandam ac vitia fugienda hortentur. At quam aegre sacer ille Orator dignitatem sui muneris tuebitur sine omni Patrum ac Veterum Scriptorum Ecclesiasticorum notitia! quam foedae prolapsiones non contingent, quae illum ludibrio Auditorum non omnino rudium objicient, praecipue cum initialibus tantum litteris Patres eorumque libri designantur eo in codice, qui sacro Oratori forte unicus ad manum est! Littora littoribus contraria inter se jungentur: Roma in Africam transvehetur, Africa in Asiam: peregrina procudentur Patrum nomina, novique Libri, qui Eruditorum omnium diligentiam hactenus effugerunt.

Atque haec prima fuit ratio, cur lucubrationem hanc nec spissam nec dilutam nimis pararim: altera,

ut Catholicam juventutem adversus Heterodoxorum molitiones, fraudes, ac calumnias praemunirem. Non antiquiores modo Critici ex Protestantibus, Rivetus, Cocus, Perkinsius, Tossanus, Gherardus, Aubertinus, Hottingerus, Maresius; sed Recentiores etiam, Clericus, Caveus, Oudinus, aliique eorum gregales, Commentarios de Scriptoribus Ecclesiasticis ediderunt. Verum quamvis eorum aliquibus eruditionis laus denegari nequeat, sincere tamen ac sine fuco, et absque praejudicio obstinatae in errore voluntatis eo in argumento versatos non fuisse ex eo liquet, quod sordes ac mendacia corraserint, glande, siliquis, ac furfuribus ingenti labore comportatis. Quoties illis sermo est de iis Patrum libris, ex quibus Catholici Primatum Romani Pontificis, Virginitatis ac Votorum Monasticorum sanctitatem, jejunii et Christianae abstinentiae praestantiam, invocationem Sanctorum, cultum Reliquiarum et Sacrarum Imaginum, et quae plura sunt ejuscemodi, invictis argumentis evincunt, omnem in partem se torquent, ut authoritatem hanc sibi novoque suo Evangelio adversantem declinent. Ac primo quidem canos illos Patres pedibus manibusque reluctantes atque invitos obtorto collo in suas partes pertrahere nituntur. Id vero si minus e sententia succedat, visque iis illata in omnium oculos incurrat, frivolis de causis libros illos Patribus abjudicant, ac nescio quas Monachorum fraudes in iis supponendis intercessisse vo-

ciferantur. Quod si testium nube convicti genuinos esse Patrum illorum foetus agnoscere cogantur, maledictis et conviciis rem expediunt. Omni seposita reverentia, solutisque pestilentissimae linguae habenis in Sanctos illos Viros invehuntur, Pharisaicam simulationem, superbiam, ignorantiam, superstitionem, idololatriam, elati animi tumorem, foedum adulandi studium ea procacitate ac petulantia illis exprobrant, ut fidem omnem apud cordatos amiserint, nec nisi a bardis aliquot gregalibus suis, aut nullius religionis hominibus plausum referant. Verum quid aliud ab his expectes, qui praejudiciis suis in transversum acti, odioque Catholicae Religionis inflammati, vix sui compotes sunt, et obvios quosque allatrant, mordent, vulnerant? An Virginitatem commendabunt ora illa foemineis osculis fatigata ac detrita? An jejuniis, sobrietati, corporis afflictationi, ac Vitae Monasticae favebunt homines cuticulae ac cupiditatibus suis blandientes, ex novi Evangelii disciplina profecti? An Romani Pontificis majestatem aequis intuebuntur oculis jurati illius hostes, parati cum quovis, cujuscunque, etiam nullius Religionis homine dexteras jungere, modo Romae aeterna juret odia? An Sanctorum cultum ratum habebunt ii, quorum fides ac vita dissimilis diversam post obitum stationem eis praeparatam esse portendunt?

Verum alia mihi nunc quercus excutienda est: Scripseram Theologiae Dogmatico-Polemicae Tomo I. Num. CCXXVII. inventos fuisse ex Protestantibus, qui S. Cyrillum Alexandrinum arguerent, et Nestorio patrocinarentur, nempe Lutherum, Albertinum, Gaillardum, Crojum, ac Joannem Laurentium Moshemium, *quem merito Patrum omnium totiusque venerandae antiquitatis Zoilum maledicentissimum vocavi, ut paulo post invicte ostendam. At locum illum, quem ex Moshemio, Tom I. Institutionum Historiae Christianae retuli, aequo Lectori prius exhibeam necesse est, ut causa cognita sententiam ferat. Libro itaque cit. pag.* 403 *Editionis Helmstadiensis anni* 1737 *ita scribit Moshemius*: Inhonestis artibus et studiis haud parum in hoc Concilio (*Ephesino I.*) datum fuisse, Cyrillumque animi potius commotionibus, quam justitiae et pietati obsecutum esse, nemo bonus et sapiens facile negaverit. *Et pag.* 404 Sunt tam Veterum quam Recentiorum longe plurimi, qui idem ipsum (*Nestorium*) quod Ephesinos sensisse, alio vero modo locutum esse arbitrantur, omnenque culpam funestissimi hujus dissidii in Cyrilli turbulentum ingenium, et iniquam erga Nestorium voluntatem conjiciunt. – – – Aequis disceptari armis poterit, uter pejus de re Christiana promeritus sit, Cyrillus an Nestorius. *Tum his relatis, continere me non potui quin exclamarem:* O blasphemam impudentissimi hominis vocem!

Pupugit res Lipsiensem Ephemeridum litterariarum scriptorem, quae titulum hunc praeferunt: Neue Zeitungen von gelehrten Sachen auf das Jahr 1770. *Hic itaque Moshemii vindex pag.* 734 *pro sua modestia et studio aequitatis, his in me verbis invehitur, quae ut Germanice scripta sunt, ita immutata reddo*: Noch unverschämter aber lastert er (*nimirum Auctor Theologiae Dogmatico-Polemicae*) den Canzler Mosheim, den er Zoilum maledicentissimum nennet; und da er etwas aus dessen Institut. Christ. Hist. Tomo I. von dem, was Mosheim vom Nestorius und Cyrillus sagt, angeführt, sezt er diese Worte hinzu: O blasphemam impudentissimi hominis vocem! Unsere Leser werden uns wohl nicht zumuthen diesen Muthwillen zu bestrafen. Es schreibt ein Jesuit: Luther und Mosheim haben die Achtung eines so elenden Tropfs, wie P. Sardagna sich hier erwiesen, zu ihrem Ruhme nicht nöthig. *Egregiam enimvero consecutionem, dignamque doctissimo hoc Moshemii vindice! Moshemius commendatione ac laudibus Jesuitae hujus non indiget: ergo nec perperam, nec inverecunde atque impudentes de S. Cyrillo Alexandrino scripsit. O miseram exceptionem, qua miserius ac ineptius nihil excogitari potest?*

Equidem quid hic terrae filius de me, aut universa Societate Jesu sentiat, minime sollicitum me habet; neque enim umquam tam amens fui, ut Theologiam Dogmatico-Polemicam scribendo gratiam me a

Protestantibus initurum sperarem. Verumtamen quia genus hoc hominum apud Protestantes Dictatoriam sibi in recensendis libris potestatem arrogat, virgasque ac secures in Catholicos Scriptores nulla de causa passim expedit; importuni hujus vindicis os ferreum comminuam, experiarque Deo bene juvante, an resipiscere discat, et pristinam stultitiam deponere, qua impulsus temere effutiit, quidquid in buccam venit. Eja itaque Litterariae Reipublicae Dictator metuende aures arrige. Ostendam, Moshemium inverecunde atque impudenter de S. Cyrillo Alexandrino scripsisse: hoc primum. Moshemium Patrum esse contemptorem ac Zoilum maledicentissimum: hoc alterum. Haec si evicero, perorabo.

Si aequis disceptari armis potest, uter pejus de re Christiana promeritus sit, Cyrillus an Nestorius; nemini dubium esse potest, aequis etiam disceptari armis posse, utri peius de re Christiana promeriti sint, Ephesini Patres an Nestorius, ejusque osseclae. Eadem enim quae Cyrilli, etiam Ephesinorum Patrum est doctrina, quam suam illi fecerunt. Dubitas forte? Audi Ephesinam *Synodum in relatione ad S. Coelestinum Romanum Pontificem, Tomo I. Collectionis* Harduinianae *Conciliorum, columna* 1506. Lectae proinde sunt litterae, quas Sanctissimus, Deoque dilectissimus Alexandrinae Ecclesiae Episcopus Cyrillus ad eum scripserat: quas Sancta Synodus approbavit ut recte inculpa-

teque exaratas, atque in nullo dissentaneas divinis Scripturis; traditae videlicet fidei, et expositae in magna illa Synodo a Sanctis Patribus, qui Nicaeae Bithyniae olim convenerunt: sicut tua quoque Sanctitas id recte probans testificata est. *Audi* Chalcedonense *Concilium Oecumenicum IV. Tomo II. Collectionis* Harduinianae *columna* 290. Omnes sic credimus: sicut Cyrillus, ita credimus: aeterna memoria Cyrilli.

Atqui aequis armis disceptari minime potest, utri pejus de re Christiana promeriti sint, Ephesini Patres an Nestorius, ejusque asseclae. Numquid enim Lutherani aeque ac Calviniani passim in libris suis ac symbolis se prima quatuor Concilia Oecumenica, Nicaenum I., CPolitanum I., Ephesinum, ac Chalcedonense venerari asserunt, haeresesque in iis damnatas se execrari? At si in Ephesina Synodo haud parum inhonestis artibus et studiis datum est: si Patres illius Synodi aeque rei Christianae obſuerunt ac Nestorius, et turbulento Cyrilli ingenio contra fas omne velificati sunt: si ob litem vocabulariam gravissimis dissidiis Ecclesiam conciderunt, quam quaeso venerationem promerebitur tertium Oecumenicum Concilium, quod potiori jure latrocinium ac temerarius conventus appellari posset? Nonne vides, nonne sentis, nonne intelligis, Moshemium a Majorum suorum doctrina recedere, suaeque etiam sectae hominum judicio hac in re deserendum tamquam inverecundum Cyrilli Sanctissimi E-

piscopi obtrectatorem , qui Nestorianae perfidiae murum aheneum atque inexpugnabilem se opposuit? Praeterea qua umquam ratione persuadere tibi poteris litem de solis verbis fuisse Nestorium inter et Cyrillum? Putasne Clientem tuum Moshemium , paucosque ejus amentiae socios , post tredecim et amplius saecula , oculatiores fuisse , quam non dicam ducentos , qui Ephesi convenerunt , sed reliquos etiam totius Orbis Christiani Episcopos , qui latam ab Ephesino sententiam adversus Nestorium suffragiis suis comprobarunt? Manum itaque pectori admove , culpamque deprecare , quod profligatae causae patrocinium susceperis , ac clientis tui impudentiam non minori impudentia dicam an imprudentia , tueri conatus fueris.

Verum non iniquiorem modo erga S. Cyrillum Alexandrinum se Moschemius tuus praebuit , sed reliquorum etiam Patrum infrunitus fuit contemptor , totiusque venerandae antiquitatis Zoilus maledicentissimus. Id absque aliorum testimonio , absque ullo eloquentiae subsidio , facile evincam ; neque ambigo , ipsorum etiam paulo moratiorum Protestantium sententia causam mihi adjudicandam. Quod igitur Superi bene vertant , Tomum I. institutionum Historiae Christianae *Helmstadii A.* 1737 *editum aperio , non ut omnia causae meae opportuna corradam , quae et scribentis manum , et Lectoris patientiam nimium fatigarent ; sed ut aliqua tantum Moshemianae impudentiae specimina exhibeam. Aures itaque arrige , et ex ungue Leonem disce.*

Pag. 96. Hermae (*Discipuli B. Pauli Apostoli*) qui vocatur Pastor, perantiquus est liber, at Scriptoris fanatici. Stultius enim apud ipsum coelestes loquuntur genii, quam nostri fossores et bajuli.

Pag. 226. *de S. Paulo primo Eremita scribit, quod in loca Thebaidos deserta commearit, vitamque duxerit* bestia quam homine digniorem.

Pag. 235. *S. Stephanum I. Rom. Pontificem vocat* arrogantem.

Pag. 307. Epiphanius, Salaminae in Cypro Episcopus, sectas Christianorum justo persecutus est volumine; at variis maculis et erroribus, propter auctoris levitatem et ignorantiam inusto.

Pag. 308. Hilarius, Pictaviensis Episcopus, Libris XII. de Trinitae, aliisque scriptis celebris est. Fuit in eo non nihil perspicacitatis et ingenii: at maluit tamen saepe numero Tertullianum et Origenem, cujus amantissimus erat, compilare, quam suo ingenio uti.

Pag. 309. Ambrosius, Mediolanensis ex Praefecto Episcopus, vir nec dictione nec ingenio barbarus, nec sententiis ineptus; at aetatis qua vixit vitio parum solidus et accuratus, ordinisque negligens.

Pag. 309. Hieronymus, Monachus Palaestinus, multis sine dubio meritis rem sibi Christianam devinxit; sed acerbitate quoque erga dissentientes, gloriae cupiditate, intemperantia commotionum animi, iniquis bonorum et innocentium virorum criminationibus, superstitionis degenerisque pietatis insana commendatione, aliisque vitiis, non levem sibi apud posteros ignominiam conscivit. *O frontem ferream, pudorisque omnis expertem!*

Eadem Pag. 309. *de S. Augustino scribit*: Sed non aeque magna fuit ipsi judicandi vis, plusque saepe in Viro eximio naturae quidam ardor potuit, quam ratio et prudentia. Itaque magnam multis praebuit facultatem de veris ejus sententiis dimicandi aliis inconstantiam ejus, praecipitemque de rebus haud satis exploratis scribendi celeritatem accusandi. *Et pag.* 315. Interpretandi (*Scripturam Divinam*) leges ferre voluerunt Augustinus et Tychonius, neuter potuit.

Pag. 318. Nec tamen mihi praetereundae sunt novae illae argumentorum sedes, quae hac aetate inventae et propositae sunt: multitudo Martyrum, miracula, confessio hominum, quos mali genii obsidere putabantur. Non ignorant, qui sapiunt, valde lubricam esse ex his locis disputandi rationem, improbisque ad fraudes struendas percommodam. Et valde vereor, ne

plerisque eorum, qui eam adhibuerunt hoc tempore (*nempe saeculo IV. et V.*) tametsi graves et summi Viri fuerint, jure periculosa fallendi alios cupiditas exprobrari queat. Ambrosius in litibus Arianis homines producit Cacodaemone plenos, qui admotis Reliquiis Gervasii et Protasii adiguntur, ut Concilii Nicaeni doctrinam veram et divinam, Arianorum falsam et periculosam esse exclament. Hoc inferorum Principis testimonium argumenti instar Ambrosius habet supra omnem exceptionem positi. Ariani autem audacter prodigium istud rident, Ambrosiumque argento hos testes sibi comparasse adseverant. Et multi, scio, Arianis credent magis quam Ambrosio, Sanctis licet hic adscriptus sit, illi haereticis.

Pag. 325. His doctrinae moralis morbis duo capitales addendi sunt errores, hac aetate (*Saeculo IV. et V.*) publice propemodum recepti ex quibus infinitae deinceps calamitates prodierunt. Alter hic est: Fallere ac mentiri virtus est, si res Religionis hoc vitio juvari queat. – – – Prius horum dogmatum, quod superioribus jam placuerat saeculis, quantos fabularum ineptissimarum acervos, quantumque piorum mendaciorum exercitum per omnia saecula infelici verae Religionis fato produxerit, incredibile dictu est. Vereor ego, ne qui curiosius maximorum et Sanctissimorum hujus saeculi Doctorum res gestas et libros explorave-

rit, omnes fere hac scabie inquinatos inventurus sit. Non Ambrosium, non Hilarium, non Augustinum, non Gregorium Nazianzenum, non Hieronymum excipio. Et eodem forte vitio Sulpitius Severus, vir caeteroqui minime levis, impulsus est, ut Sancto Martino tot tribueret miracula.

O virulentum Chami progeniem! o rabidam furoris audaciam pro meritis numquam satis castigandam! Ergone summi illi Viri, ac praecipui Sanctae Dei Ecclesiae Doctores, Hilarius, Ambrosius, Gregorius Nazianzenus, Augustinus, Hieronymus, homines fuere mendaces, simulatores, Sycophantae, perfrictae frontis nebulones, qui fraudibus ac mendaciis rem Christianam amplificarunt? Decumanam hanc impudentiam Christianae aures aversantur, probi omnes exhorrescunt.

Pag. 349. Melior certe et sanctior fuit (*S. Athanasius Alexandrinus*) quam obtrectatores ejus volunt; sed minor deteriorque, quam importuni ejus laudatores existimant.

Pag. 382. Joannes Cassianus, homo indoctus et superstitiosus.

Pag. 382. Salvianus facundus, verum tristis et severus Scriptor, qui dum in vitia temporum suorum vehementius declamat, ipsemet animi sui morbos et errores imprudens aperuit.

Pag. 393. *Stylitas vocat* sanctae dementiae Sectatores.

Pag. 436. *S. Ennodium appellat* insanum Symmachi adulatorem.

Pag. 442. Gregorius Magnus Romanus Pontifex, vir boni rectique in multis consilii; at simplex valde, superstitiosus, et omnis eruditionis inimicus, quod Epistolae ejus et Dialogi testantur.

Pag. 443. Isidorus Hispalensis variis scriptis rem Grammaticam, Theologicam, et Historicam illustravit. Verum inops fuisse judicii videtur.

Pag. 447. *scribit, quod Contemplationes Anagogicae prodant S. Anastasii Sinaitae* levitatem et ignorantiam.

Pag. 507. Multum huic (*S. Bonifacio Martyri Moguntino Archiepiscopo*) Germanorum, ut dicitur, Apostolo Romanus debet Pontifex, cujus imperium



praeclare firmavit, et dilatavit: id scilicet grata voluntas erga Patronum in cujus verba juraverat, exigebat. Multum eidem debent Monachi, quorum res ubique fidelissime curavit. Multum denique ei debet superstitio, sine qua nec ipse, nec Romanus Antistes, cum amicis et discipulis dominari potuisset. At parum ipsi debet vera pietas et religio: quam si populorum quos adiit mentibus instillasset, illi certe meliores fuissent, nec arbores, lucos, fontes, quod antea fecerant, una cum Christo coluissent, levissimaque occasione ducti ad veterem impietatem plane descivissent. Fuit certe in hoc viro animus vafer et subdolus, incredibilis ignorantia, immodicum erga Romanum Pontificem studium, dominandi vesana cupiditas, aliaque vitia. Testes vel Epistolae ejus sunt quae extant.

Pag. 528. Joannes Damascenus, vir subtili praeditus ingenio, nec indisertus, qui varii generis scriptis cum Philosophiam Peripateticam, tum sanctiorem disciplinam illustravit: at temporum suorum vitiis, superstitione, nimiaque Majorum veneratione praeclaras animi dotes corrupit. *Et pag.* 536. Est in his ejus scriptis ingenii nonnihil et subtilitatis, at parum lucis et simplicitatis.

Pag. 539. Rationibus et argumentis, quibus Decreta sua fulciunt Antistites, (*Nicaeni II. Concilii*) nihil puerile magis, et amentius excogitari potest.

Pag. 559. Vicerunt caeteros sui ordinis impotentia mentis et dominandi libidine Gregorius IV. et Nicolaus I. quorum ille filiorum Ludovici Pii impietatem in parentem fovit, a nonnullis licet excusetur: hic desipientis arrogantiae, superstitionisque ridiculae varia exempla dedit. *Et pag.* 585. Nicolaus I. homo superbus et agrestis.

Pag. 587. *De litibus inter Photium et Romanos Pontifices scribit*: Romani omni honestate et modestia relicta, quo suo consulant fastui, aperte insaniunt, aeternaeque discordiae inter utrumque orbem ignem accendere malunt, quam odio in hominem, cui parem non habebant, modum ponere.

Pag. 641. Nullus Pontificum arrogantior fuit Gregorio VII. *Et pag.* 643. In hoc exilio Pontificum turbulentissimum et superbissimus obiit.

Pag. 692. Bernardus Claraevallensis Abbas, vir ingenii haud inelegantis, rectique in multis consilii; verum superstitiosi et impotentis animi, qui magnam dominandi libidinem eximia pietatis specie contegere noverat, nec fictis criminationibus obruere nefas putabat, quos ferre nolebat.

Pag. 736. *et* 737. Innocentius III. homo callidus, et sine omni modo ambitiosus. – – – Extant hominis plane immoderati et crudelis Epistolae, ex quibus apparet, mediocrem eruditionem in eo maximis ingenii et animi vitiis junctam fuisse. – – – In Lateranensi IV. LXX. leges tulit maxima parte barbaras, et ad omnem funditus rationem et libertatem evertendam comparatas.

Pag. 740. Dominicus Hispanus, homo, quod tota ejus vita docet, tristis, sanguinarius, et impetuosus.

Pag. 740. Franciscus Assisius Italus, vir rationis inops et delirus. *Plura alia silentio praetereo, ne stomacum Lectoribus moveant tot injuriarum ac conviciorom acervi.*

Eja nunc fare, fideliterne atque exacte Moshemii tui verba reddidi? Si negas, oculos tibi eruisti, tuamque impudentiam mirabuntur omnes, quibus Moshemii Liber ad manum est: si affirmas, pudorisque aliquid tibi etiamnum superest, atque ingenuae indolis scintilla quaedam, an inficias ibis, Moshemium tuum multa inverecunde omnino atque proterve scripsisse adversus gravissimum illum, omnique reverentia dignissimum Ecclesiae Patrum Senatum? Fuit Moshemius vir doctus atque eruditus; sed malignus, inverecundus Romanorum Pontificum, totiusque Sanctae Dei Ecclesiae

trectator, Patrum Momus, ac contemptor, canino dente metuendus. Quare si pudere te aliquando potest, rubore suffundaris, quod profligatam causam, quin ejus momenta prius expenderes, tuendam susceperis: quae in papyrum effundis, sedulo prius meditare: vires tuas prius consule, quid valeant humeri, quid ferre recusent. Noli tibi tam facile persuadere, Scriptores Catholicos ad id natos factosque esse, ut pro libito vestro terga denudent Protestanticis flagellis caedenda. Est et nobis scutica, qua ferocientes compescamus, vosque modestiae memores esse jubeamus. Expertus jam es quanta vi hastam torserit miser, quem tu vocas, homuncio, inverecundia tua provocatus. Itaque in posterum saniora admitte consilia: quae si respuas, eademque chorda oberrare pergas, data occasione, (neque enim tua causa scriptionis aliquid meditor,) pinguius tibi congiarum sancte polliceor. Vale si potes, meisque in rem tuam consiliis utere.

Sed dimisso Lipsiensi litterariarum Ephemeridum Scriptore, te nunc revertor Lector Benevole. Tenues hos labores meos aequi bonique consule: inveniens forte non pauca, quae antea ignorabas, et quae scire tua maxime intererit. Faxit Deus, ut lucubratio haec ad majorem cedat Divini Nominis honorem et gloriam, Sanctae Romanae Ecclesiae augmentum, haeresum et errorum omnium ruinam, qui unicus est curarum mearum scopus.

INDEX PATRUM

AC VETERUM SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM

Ordine alphabetico digestus.

A

B

XLII.	*Berno Augiensis.*
XLIII.	*Boetius Severinus.*
XLIV.	*S. Bonaventura.*
XLV.	*S. Bonifacius Moguntinus.*
XLVI.	*S. Bruno Carthusiensis.*
XLVII.	*S. Bruno Signinus.*
XLVIII.	*Burchardus Vormatiensis.*

C

XLIX.	*S. Caesarius Arelatensis.*
L.	*Caesarius Heisterbacensis.*
LI.	*Cajus Presbyter.*
LII.	*S. Joannes Cassianus.*
LIII.	*M. Aurelius Cassiodorus.*
LIV.	*Georgius Cedrenus.*
LV.	*S. Chromatius Aquilejensis.*
LVI.	*S. Joannes Chrysostomus.*
LVII.	*Claudianus Mamertus.*
LVIII.	*Clemens Alexandrinus.*
LIX.	*S. Clemens Romanus.*
LX.	*S. Cyprianus Carthaginensis.*
LXI.	*S. Cyrillus Alexandrinus.*
LXII.	*S. Cyrillus Hierosolymitanus.*

D

E

LXXXIII.	*S. Eustathius Antiochenus.*
LXXXIV.	*Euthymius Zigabenus.*

F

LXXXV.	*Facundus Hermianensis.*
LXXXVI.	*S. Faustus Rejensis.*
LXXXVII.	*Ferrandus Diaconus.*
LXXXVIII.	*Flodoardus Rhemensis.*
LXXXIX.	*Florus Diaconus.*
XC.	*Freculfus Lexoviensis.*
XCI.	*Fulbertus Carnotensis.*
XCII.	*S. Fulgentius Ruspensis.*

G

XCIII.	*S. Gaudentius Brixiensis.*
XCIV.	*Gelasius Cyzicenus.*
XCV.	*Gennadius Massiliensis.*
XCVI.	*S. Germanus CPolitanus.*
XCVII.	*Glaber Rudolphus.*
XCVIII.	*Goffridus Vindocinensis.*
XCIX.	*Gratianus.*
C.	*S. Gregorius Nazianzènus.*
CI.	*S. Gregorius Neocesariensis.*
CII.	*S. Gregorius Nyssenus.*
CIII.	*S. Gregorius Magnus.*

H

I

CXXVII.	*Jacobus de Vitriaco.*
CXXVIII.	*S. Ignatius Martyr.*
CXXIX.	*S. Ildephonsus Toletanus.*
CXXX.	*Innocentius III.*
CXXXI.	*Innocentius IV.*
CXXXII.	*Joannes Biclariensis.*
CXXXIII.	*S. Joannes Climacus.*
CXXXIV.	*S. Joannes Damascenus.*
CXXXV.	*Joannes Maxentius.*
CXXXVI.	*Joannes Moschus.*
CXXXVII.	*Joannes Sarisberiensis.*
CXXXVIII.	*Joannes Zonaras.*
CXXXIX.	*Jonas Aurelianensis.*
CXL.	*S. Irenaeus Lugdunensis.*
CXLI.	*S. Isidorus Hispalensis.*
CXLII.	*Isidorus Mercator.*
CXLIII.	*S. Isidorus Pelusiota.*
CXLIV.	*Julianus Pomerius.*
CXLV.	*S. Julianus Toletanus.*
CXLVI.	*Julius Firmicus Maternus.*
CXLVII.	*S. Ivo Carnotensis.*
CXLVIII.	*S. Justinus Martyr.*
CXLIX.	*Cajus Juvencus Presbyter.*

L

CL.	*Lactantius Firmianus.*
CLI.	*Lambertus Schafnaburgensis.*
CLII.	*B. Lanfrancus Cantuariensis.*
CLIII.	*S. Leander Hispalensis.*
CLIV.	*S. Leo Magnus.*
CLV.	*Leo VI. Imperator.*
CLVI.	*Leontius Byzantinus.*
CLVII.	*Leontius Cyprius.*
CLVIII.	*Liberatus Carthaginensis.*
CLIX.	*Lucas Tudensis.*
CLX.	*Lucifer Calaritanus.*
CLXI.	*Luitprandus Cremonensis.*
CLXII.	*Lupus Servatus.*

M

CLXIII.	*Marcellinus Comes.*
CLXIV.	*Marculfus.*
CLXV.	*Marianus Scotus.*
CLXVI.	*Marius Aventicensis.*
CLXVII.	*Marius Mercator.*
CLXVIII.	*S. Martinus Bricarensis.*
CIXIX.	*Matthaeus Paris.*
CLXX.	*S. Maximus Martyr.*

N

O

P

R

CCXIII.	*B. Rabanus Maurus.*
CCXIV.	*Ratherius Veronensis.*
CCXV.	*Ratramnus.*
CCXVI.	*S. Raymundus de Pennafort.*
CCXVII.	*Reinerius Sachonus.*
CCXVIII.	*Regino Prumiensis.*
CCXIX.	*Remigius Antissiodorensis.*
CCXX.	*S. Remigius Lugdunensis.*
CCXXI.	*Richardus Victorinus.*
CCXXII.	*Robertus Pullus.*
CCXXIII.	*Rufinus Aquilejensis.*
CCXXIV.	*Rupertus Tuitiensis.*
CCXXV.	*Ruricius Lemovicensis.*
CCXXVI.	*Rusticus Diaconus.*

S

CCXXVII.	*Salvianus Massiliensis.*
CCXXVIII.	*Caelius Sedulius.*
CCXXIX.	*Severianus Gabalensis.*
CCXXX.	*Severus Sulpitius.*
CCXXXI.	*S. Sidonius Apollinaris.*
CCXXXII.	*Sigebertus Gemblacensis.*
CCXXXIII.	*Simeon Metaphrastes.*

U V

CCLVII.	*Valerianus Cemeliensis.*
CCLVIII.	*Venantius Fortunatus,*
CCLIX.	*Victor Antiochenus.*
CCLX.	*Victor Tunnonensis.*
CCLXI.	*S. Victor Vitensis.*
CCLXII.	*Fabius Marius Victorinus.*
CCLXIII.	*S. Victorinus Petabionensis.*
CCLXIV.	*Victorius Aquitanus.*
CCLXV.	*Vigilius Tapsensis.*
CCLXVI.	*Vincentius Bellovacensis,*
CCLVII.	*S. Vincentius Lerinensis.*
CCLXVIII.	*Usuardus.*

W

CCLXIX.	*Walafridus Strabo.*
CCLXX.	*Wandelbertus.*

Z

CCLXXI.	*S. Zeno Veronensis.*

S. VINCENTIUS LERINENSIS

in Commonitorio adv. Haereses, Cap. IV.

Operam dabit, ut collatas inter se Majorum consulat interrogetque sententias: eorum dumtaxat, qui diversis licet temporibus et locis, in unius tamen Ecclesiae Catholicae communione et fide permanentes, Magistri probabiles extiterunt: et quidquid non unus aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu, aperte, frequenter, perseveranter, tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum.

Idem Lib. cit. Cap. XLIII.

Ephesinam quoque Synodum, id est, totius pene Orientis sanctorum Episcoporum judicata proculcet (necesse est) *quibus divinitus placuit, nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacrata, sibique in Christo consentiens Sanctorum Patrum tenuisset antiquitas. – – – Necesse est profecto omnibus deinceps Catholicis qui se se Ecclesiae Matris legitimos filios probare student, ut sanctae SS. Patrum fidei adglutinentur, immoriantur, profanas vero profanarum novitates detestentur, horrescant, insectentur, persequantur.*

INDICULUS PATRUM

ET VETERUM SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM

Qui ab incunabulis Christianae Religionis, ad tempora usque BB. Thomae Aquinatis, et Bonaventurae, Ecclesiam scriptis suis praecipue illustrarunt.

Ordine alphabetico digestus.

A

I. **Abdias**, non ille, cujus Scriptura inter XII. Prophetas minores meminit, sed alius, qui Babylonis Episcopus ab Apostolis creatus dicitur, perperam existimatus fuit *Vitas Apostolorum*, X. libris comprehensas, scripsisse Hebraico idiomate, quas Eutropius Abdiae discipulus transtulerit ex Hebraeo in Graecum, Julius vero Africanus latinitate donaverit. Id asseruerunt Jacobus de Voragine, et Petrus de Natalibus. Sed nemo non videt, quantum aberraverint, qui Julium Africanum Graece scripsisse, non Latine; minime animadverterunt; nec S. Hieronymum hujusmodi lucubrationem inter Opera ipsius recensuisse. Accedit hujus authoris operisque nullam haberi omnino apud antiquos memoriam. Sed quamvis eloquentissimum sit Veterum hac in causa silentium, id altius clamant mendacia, et nugae, quibus refertum est istud opus. Citat namque Clementem, Hegesippum, et Julium Africanum; et nihilominus

se Christum in carne vidisse gloriatur. II. Septuaginta quinque Ecclesias, una in provincia exstructas, mentitur cum nec Apostolicis temporibus, nec multo post, saevientibus Ethnicorum Imperatorum in Religionem Christianam persecutionibus, ulla templa fuerint a Christianis extructa, sed sacri conventus ab iis privatis in aedibus et subterraneis plerumque in locis celebrarentur. Nullius fidei atque authoritatis Pseudo Abdiam esse apud eruditos, jam pridem asseruere Catholici Scriptores, Sixtus Senensis, Joannes Molanus, Baronius, Bellarminus, Possevinus, Salmeron, Miraeus, Labbeus, Natalis Alexander, Bollandiani etc. Denique cum *Wolfgangus Lazius*, Ferdinandi I. Imp. Historiographus, Basileensibus typis Joannis Oporini, historiam illam Certaminis Apostolici sub Abdiae Babylonii nomine omnium primus edidisset A. 1551, opus illud *Paulus IV*. Pont. Max. rejecit, damnavitque, ut testatur *Sixtus Senensis* Lib. II. Bibliothecae Sanctae.

II. *Achajae Presbyteri* paulo post medium primi saeculi scripsisse dicuntur ad universas Ecclesias encyclicam Epistolam *de passione S. Andreae Apostoli*, cui praesentes interfuerant. Sincera S. Andreae Apostoli Acta fuisse olim ab haereticis misere foedata et corrupta, praecipue a Manichaeis, testatur S. Philastrius Brixiensis Lib. de Haeres. Num. XL; ait enim illi libro haereticos *addidisse, et ex eo tulisse, quae voluerant.* Hujus libri corruptoribus *S. Epiphanius* Haer. XLVII. adnumerat non modo illos, qui falso Apostolicos se dicebant, sed etiam his multo antiquiores Catharos et Encratitas. Iisdem Actis usos fuisse Marcionitas, atque alios primi et secundi saeculi haereticos *Augustinus* aperte insinuat Lib. I. contra adversarium Legis et Prophetarum, Cap. XX.

S. Innocentius I. Epist. ad Exuperium Tolosanum, Cap. VII. scribit, Acta illa scripta fuisse, aut magis dicendum corrupta, a Xenocharide et Leonida Philosophis. Author libri de Fide adversus Manichaeos, qui Augustino perperam tribuebatur, verisimilius tribuendi *Evodio* Episcopo Uzalensi in Africa, eadem a Leucio quodam vult esse corrupta. Hinc minime est mirandum eadem a *S. Gelasius* I. in Concilio Romano fuisse rejecta inter apocrypha. Valde itaque verisimile est, Epistolam illam de passione S. Andreae, quam hodie habemus, reipsa primitus a Discipulis ejusdem Apostoli fuisse conscriptam, ab haereticis postea misere foedatam et corruptam, dein studio et cura alicujus Catholici Scriptoris circa finem saeculi VII. aut initium VIII. ab erroribus et fabulis expurgatam. Epistolae hujus cum laude meminerunt *Etherius* Uxamensis Episcopus, et *Beatus* Presbyter Lib. I. contra Elipandum Toletanum, *Remigius* Antisiodorensis Comment. in Psal. XXI. *Wolphemus* Abbas Bruvilerensis in Epist. ad Meginardus Abb. *Lanfrancus* Cantuariensis Lib. de Corpore et sanguine Dom. *S. Bernardus* Serm. I. de S. Andr. *Ivo Carnotensis* Serm. de convenientia veteris et novi sacrificii. Denique Romana Ecclesia, quae haec acta legit in Officio S. Andreae.

III. *S. Ado*, O. S. B. monasticam vitam in coenobio Ferrariensi professus est, usus magistro Lupo Servato. Viennensis in Galliis Episcopus electus est A. 860, obtentisque a Nicolao I. pallio, et privilegiorum Viennensis Ecclesiae confirmatione, maximam pro restituenda Ecclesiastica disciplina curam impendit, duobusque Conciliis Cabilonensibus subscripsit. Obiit A. 875. die XVI. Decembris. Scripsit 1. *Martyrologium Sanctorum* ab *Aloysio Lipomano* primum editum, tum vero ab

Heriberto Rosweydo S. J. pereruditis notis Antuerpiae illustratum. Idem Martyrologium multo perfectius, adiectis etiam de suo notis eruditis, Romae edidit A. 1745. Dominicus Georgius Rodigini. 2. *Breviarium Chronicorum de sex Mundi aetatibus*, ab exordio mundi usque ad principatum Lotharii Imp. ac Ludovici et Caroli filiorum sive usque ad A. 874. unde quidquid ultra in eo Chronico adiectum legitur, non Adonis, sed alterius ignoti simul atque imperiti continuatoris operae debetur. 3. *Vitam S. Desiderii Viennensis Episcopi*, quae ab Henrico Canisio Lect. Antiqu. Tomo VI. exhibetur. 4. *Vitam S. Theodori Abbatis*, apud *Mabillonium* Saeculo I. Benedictino.

IV. *B. Aelredus*, Anglus, Ordinis Cisterciensis, Abbas Rievallensis in Eboracensi Dioecesi, pietate ac doctrina conspicuus, obiit A. 1166. anno aetatis 50. scripsit *Sermones* 31. *in Isaiam*, *Libros* 3. *Speculi charitatis*, *Libros* 3. *de spirituali amicitia*, *Tractatum de Jesu puero duodenni.* Extant Tomo XXIII. Biblioth. Max. Patrum, edit. Lugdun. Ejus *historia de Genealogia Regum Anglorum*, *de Vita et miraculis S. Eduardi Regis*, edita est a Rogerio Twisden inter Scriptores Hist. Anglic. Londini A. 1652. *Sermones de Tempore et de Sanctis* editi sunt a Richardo Gibbonio S. J. Duaci A. 1631. *Regula ad Inclusas sive Moniales*, Augustino perperam adscripta, sub Aelredi vero nomine habetur in Collectione Regularum *Lucae Holstenii* Romae A. 1662.

V. *Aeneas Gazaeus*, Sectae Platonicae Philosophus doctissimus, ad Christianam fidem conversus, circa finem Saeculi V. floruit. Insignem composuit Dialogum, qui inscribitur: *Theophrastus de Animarum immortalitate, et corporum resurrectione*: qui Tomo VIII. Bi-

bliothecae Maximae Patrum insertus legitur. Prodiit etiam Lipsiae Anno 1658. cum versione et notis *Gasparis Barthii.*

VI. *S. Agobardus*, natione Gallus, Ecclesiae Lugdunensis primum Chorepiscopus, dein post Laidradi abdicationem et secessum in Monasterium S. Medardi Suessionensis, ejusdem Ecclesiae Archiepiscopus electus est A. 813. Lotharii partes adversus Ludovicum Pium Imperatorem secutus, interfuit A. 833. Synodo Compendiensi, et specie publicae poenitentiae Imperatorem cum aliis Episcopis Lotharianae factionis exauthoravit. Seditiosum Apologeticum pro filiis Ludovici adversus patrem, et famosum adversus Juditham Augustam, ejus conjugem, conscripsit, qui adhuc extat inter ejus Opera. Idcirco Episcopatu dejectus fuit; at paulo post in gratiam rediit Ludovici, ut Ado Viennensis in Chronico testatur, Sedemque suam recepit. Paucos vero post annos a sua restitutione, apud Santones, in expeditione pro Caesare suscepta, obiit A. 840., posteaquam conjurationis crimen condigna poenitentia eluit. Sanctitatem ejus colit Ecclesia Lugdunensis VIII. Idus Junias. Reliquit 1. *Librum contra errorem Felicis Urgelitani Episcopi*, Ludovico Pio oblatum. 2. *Libellum supplicem contra Judaeorum insolentiam.* 3. *Librum de Judaicis superstitionibus* 4. *Consultationem de Judaicorum mancipiorum Baptismo.* 5. *Librum contra legem Gundobadi Burgundionum Regis.* 6. *Librum de Privilegio et Jure Sacerdotii.* ad Bernardum Viennensem. 7. *Librum de grandine et tonitru* contra opinionem vulgi, Magis tempestatem tribuentis. 8. Librum contra absonum vulgi figmentum *de pecorum lue et ejus causa.* 9. *Librum contra objectiones*

Fredegisi Abbatis. 10. *Epistolam ad Bartholomaeum Narbonensem, de quorumdam illusione signorum.* 11. *Librum contra superstitiones eorum, qui picturis et imaginibus Sanctorum adorationis obsequium deferendum putant*: qua in re erravit Agobardus, Gallorum suae aetatis sententiam secutus. Vide Tom. III. Theol. Dogm. Polem. Num. DCCLXXXI. 12. *Librum de divinis sententiis* contra eos, qui putant judicium Dei ferro, igne, vel aqua, vel armis patefieri. 13. *Librum de divina Psalmodia.* 14. *Epistolam de modo regiminis Ecclesiastici.* 15. *De coercendis injustitiis.* ad Matfredum Comitem. 16. *De Spe et timore* ad Ebbonem Rhemensem. 17. *Librum de dispensatione Rei Ecclesiasticae.* 18. *Opus contra Libros IV.* Amalarii Metensis. 19. *Epitaphium Caroli M. Imp.* 20. *Carmen de translatione SS. MM.* ad urbem Lugdunensem. Lucubratiunculas has Agobardi, veteribus ex pergameno chartis inscriptas, cum nescio quo fato, aut imperiti venditoris incuria in Bibliopegi cujusdam Lugdunensis manus venissent, et pro librorum tegumentis destinatae, immo dilaniandae jam essent, opportunissime adhuc ab interitu et aeternae oblivionis injuria vindicavit, qui homini fortuito supervenerat, *Papyrius Massonus*, prout ipse in horum Operum, quae Parisiis A. 1605. luci publicae dedit, Praefatione testatur. Eadem dein Opera praelo iterum subjecit *Stephanus Baluzius* Parisiis A. 1666. duobus voluminibus in 8., Tomo XIV. Biblioth. Max. Patrum postea inserta.

VII. *Aimoinus* Floriacensis Monachus O. S. B. gente Aquitanus, saeculo X. ad finem vergente, atque initio XI. floruit. Scripsit *Historiae Francorum*

Libros IV. ab excidio Trojae ad Pipini Regis inaugurationem usque, seu annum Christi 752. Quae Caput XLI. Libri IV. subsequuntur, ac Liber V. a recentiore quodam Scriptore, verisimilius Monacho S. Germani de Pratis, adjecta sunt. Aimoini Historiam ediderunt Parisiis *Badius Ascensius* A. 1514. *Joannes Nicotius* 1567. *Jacobus Breulius* O. S. B. 1603. *Marquardus Freherus* in Corpore Francicae Historiae Veteris ac sincerae, Hanoviae A. 1613. et *Andreas Duchesnius* Historicorum Franciae coaetaneorum Tomo III. Parisiis A. 1641. Scripsit etiam *Libros II. de Miraculis S. Benedicti*, qui extant apud *Bollandi* Continuatores ad diem XXI. Martii, et *Mabillonium* Saeculo Benedictino IV. *Sermonem in Festivitatibus S. Benedicti*, *et Vitam S. Abbonis* Floriacensis Abbatis et Martyris, apud *Joannem a Bosco* in Bibliotheca Floriacensis: *Poema Heroicum de prima fundatione Floriacensis Coenobii*, apud *Duchesnium* Tomo III. Histor. Franc. *et librum de Translatione reliquiarum corporis S. Benedicti in Galliam*, quem *Mabillonius* edidit Saeculo Benedictino II.

VIII. *B. Albertus Magnus*, Lavingae in Suevia natus A. 1193. ex nobili Dynastarum Bolstatentium familia, Praedicatorum Ordini nomen dedit A. 1221. B. Virginis Mariae, quam cultu praecipuo prosequebatur, intercessione scientiae donum adeptus, Coloniae et Parisiis sacras litteras docuit ea nominis celebritate, ut vivens etiam appellaretur *Magnus*. Ratisbonensis Episcopus creatus est ab Alexandro IV. A. 1259., eamque dignitatem invitus suscepit, Humberto Generali Magistro O. P. ipsi gravissimis litteris dissuadente, ne Angelicis humeris formidandum onus subiret, ac sta-

tum sanctae paupertatis relinqueret. Post biennium consentiente Urbano IV. Episcopatu abdicato, Coloniam rediit, ubi postquam Theologicas scholas iterum rexisset, sanctissime obiit A. 1280. aetatis suae 87. In Ecclesia Ratisbonensi, atque universo Praedicatorum Ordine sacris honoribus colitur die XV. Novembris. Scripsit *Commentarios in Aristotelem*, *in Psalmos*, *in Threnos Jeremiae*, *in Baruch*, *Danielem*, *Prophetas minores*, *in quatuor Evangelia*, *in Apocalypsin*, *in libros qui sub nomine B. Dionysii Areopagitae circumferuntur*, *in Libros Sententiarum Petri Lombardi*, *Sermones sacros*, *Summam Theologiae*, *Summam de creaturis*, *Mariale*, seu Quaestiones 230. super *Missus est*, *Biblia Mariana*, *et Opuscula quaedam Ascetica*. *Sermones de Eucharistia*, qui leguntur inter Opuscula S. Thomae Aquinatis, Alberto Magno tribuendi sunt; eidem vero omnino abjudicandi sunt *Liber de mirabilibus*, ac *de secretis mulierum*, qui non nisi ab indocto et superstitioso homine profisisci potuerunt. *Libri XII. de laudibus B. V. Mariae* non sunt Alberti M., sed *Richardi a S. Laurentio*, Poenitentiarii Rothomagensis. Alberti M. Opera omnia Tomis XXI. in folio edidit Lugduni A. 1651. *Petrus Jammy* O. P. multo labore, nullo criterio, ut ait *Natalis Alexander* Tomo VIII. Cap. IV. Artic. IV. Hist. Eccles.

IX. *B. Alcuinus* seu Flaccus Albinus, in Anglia ex Anglo-Saxonum gente, ac nobili stirpe natus est A. 737. In Eboracensi Ecclesia ab Egberto Archiepiscopo instititutus, ejusdemque Ecclesiae Diaconus ordinatus, Scholae Eboracensis post obitum Egberti Magister fuit et moderator, vir Rhetoricae, Poëseos;

Matheseos, ac Theologiae studiis apprime excultus. In Franciam dein a Carolo Magno vocatus ejusdemque et Regiae prolis praeceptor, Palatinae Scholae praefuit, ac deinde Turonensi, postquam secessit ex Aula. In confutanda Felicis et Elipandi haeresi strenue desudavit, atque honorificis nomine Caroli M. perfunctus legationibus, multis etiam ab illo auctus fuit beneficiis, scilicet Abbatia S. Lupi Trecensis, Ferrariensis in Wastinensi pago, Cella S. Jodoci, et Abbatia S. Martini Turonensis. Monachum fuisse Benedictinum Mabillonius asserit in ejus Elogio Historico; alii negant: illud certum est, eum in Abbatia Turonensi S. Martini, in quam annuente Carolo M. se recepit, vitam egisse Monastica nullatenus inferiorem, et omnium exercitatione virtutum conspicuam. Obiit Alcuinus ex paralysi Turonibus A. 804. die XIX. Maji, insignis doctrinae et sanctitatis fama post se relicta. Scripsit *contra Felicem Urgelitanum septem libros, contra Elipandum quatuor.* 2. *Libros III. de fide S. Trinitatis.* 3. *De Rhetorica, Dialectica, Musica.* 4. *De Animae ratione.* 5 *Interrogationes et responsiones in librum Geneseos.* 6. *Enchiridion in septem Psalmos poenitentiales, in Psalmum CXVIII. et in Psalmos graduales.* 7 *Commentaria super Ecclesiastem.* 8. *Quaestiones XXVIII. de Trinitate.* 9. *Libros VII. Commentariorum in Evangelium S. Joan.* 10. *Confessionem fidei.* 11. *Epistolas*, pluraque alia, quae Parisiis prodierunt in Editione A. 1617. ab *Andrea Duchesnio* sive Quercetano curata. Plura de Alcuini Operibus rescire licebit, cum absoluta fuerit editio, quam magnis sumptibus, prolatisque e Germaniae, Galliae, et Britanniae Bibliothecarum latebris antiquissimis Al-

cuini MSS. aggressus est Celsissimus S. R. I. Princeps et Abbas ad S. Emmerami Ratisbonae, *Frobenius Forster*; quamque Eruditi omnes avide expectant.

X. *Alexander Halensis*, Anglus, ab Hales, Monasterio Comitatus Claudiocestrensis, cognominatus, humanioribus litteris in Anglia imbutus, Parisiis Philosophiae ac Theologiae operam navavit. Jam Doctoris Parisiensis insignibus ornatus in magnam venerat existimationem, cum institutum Fratrum Minorum A. 1222. amplexus est. Praeceptor fuit S. Bonaventurae, O. Minorum lumen splendidissimum, ab iis *Fons vitae*, *Doctor Doctorum*, *et Irrefragabilis* appellatus; obiitque Parisiis A. 1245., in templo Fratrum suorum tumulo illatus. Scripsit *Summam Theologiae*, multaque alia, quorum indicem exhibet Lucas Wadingus in Bibliotheca Scriptorum Ord. Min., ex quo tamen alii viri eruditi expungenda esse judicant *Summam Virtutum*, *Commentarium in Metaphysicam*, *in Psalmos*, *et in IV. Libros Sententiarum*. Commentarii in Psalmos, et Apocalypsin, ac Summa Theologiae prodierunt in folio Coloniae A. 1622. Voluminibus IV.

XI. *Algerus*, Leodiensis Diaconus, primo in Ecclesia S. Bartholomaei Deo militavit, deinde ad Ecclesiam Cathedralem ab Oberto Leodiensi Episcopo translatus, annis ferme XX. sub hoc Episcopo, et Friderico, qui ei A. 1118. successit, egregie ministravit, illoque temporis spatio ad expedienda negotia Ecclesiastica complures et insignes epistolas conscripsit, quae initio magna cura custoditae, ad nos tamen non pervenerunt. Scripsit *Librum de Misericordia et Justitia*, qui tamen necdum typis fuit editus, praeter solam praefationem, quam *Mabillonius* exhibet Tomo I.

Veterum Analectorum: item *Libros tres de Sacramento Corporis et Sanguinis Domini* adversus varios errores, qui circa fidem de Sacramento Eucharistiae irrepserant, Tomo XXI. Bibliothecae Maximae Patrum dein insertos. A. 1121. Friderico Leodiensi Episcopo fatis functo, S. Benedicti institutum in Monasterio Cluniacensi amplexus, post exactum Religiosae vitae decennium sancte obiit A. 1131.

XII. *Amalarius Fortunatus*, Trevirensis Archiepiscopus, a Carolo Magno Imperatore missus est CPolim ad Michaelem Rangabe Orientis Imperatorem A. 811. Obiit A. 814. ab Orientali Legatione redux. Ejus esse librum *de sacro Baptismate* ad Carolum Magnum, qui falso hactenus suppositus fuerat Alcuino, ex Codice Petaviano probat *Sirmondus* in notis ad Theodulphum Aurelianensem.

XIII. *Amalarius* junior, Metensis Diaconus, et Lugdunensis deinde Chorepiscopus, libellis duobus concinnavit *Regulam Canonicorum et Sanctimonialium*, quae A. 816. in Synodo *Aquisgranensi* approbata, et capitibus XXXII. aucta fuit. Scripsit *Libros IV. de Ecclesiasticis Officiis* Ludovico Pio nuncupatos, quos Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus opere singulari reprehendit. Composuit *librum de Ordine Antiphonarii*, cum rediisset e Legatione Romana, quam Ludovici Pii Imperatoris nomine ad Gregorium IV. Pontificem obierat, ubi Gallicana Antiphonaria cum Romanis contulerat. Quae omnia exhibet Bibliotheca Maxima Patrum Tomo XIV. Scripsit etiam *de Praescientia et Praedestinatione* contra Gothescalcum, *Epistolas* aliquot, quae continentur Tomo VI. Spicilegii *Dacheriani*, et *Eclogam in Canonem Missae a Baluzio* Tomo II. Capitular. editam.

XIV. *S.Ambrosius* patrem habuit Ambrosium civem Romanum, Praefectum Praetorio Galliarum. Arelate in Gallis natus, Romae liberalibus disciplinis imbutus, Liguriae et Aemiliae ab Anicio Probo postea praefectus, ac tandem post Auxentii Ariani mortem Mediolanensis Ecclesia Episoopus electus et consacratus est die VII. Decembris A. 374 Vir fuit sanctitate, eruditione et eloquentia magnus, intrepidi in munere Pastorali animi, et invictae fortitudinis tum in propugnanda Fide tum in tuenda disciplina: cujus constantiam et magnanimitatem adeo suspexit Theodosius Augustus, ut dixisse feratur, se Episcopum vidisse neminem, praeter Ambrosium. Obiit vir Sanctissimus die IV. Aprilis A. 397. actatis LXIV. Episcopatus XXII. vel eo tantum ex capite de Ecclesia immortaliter meritus, quod magnum Augustinum Christo genuerit. Ambrosii genuina Opera sunt *Hexaemeron libri sex. De Paradiso liber unus. De Cain et Abel libri duo. De Noë et Arca liber unus. De Abraham Patriarcha libri duo. De Isaac et anima liber unus. De bono mortis liber unus. De fuga saeculi liber unus. De Jacob et vita beata libri duo. De Joseph Patriarca liber unus. De Benedictionibus Patriarcharum liber unus. De Elia et jejunio liber unus. De Naboth Israëlita liber unus. De Tobia liber unus. De interpellatione Job et David libri IV. Apologia Prophetae David. Enarrationes in Psalmos XII. Expositio in Psalmum CXVIII. Expositio in Evangelium S. Lucae. De Officiis Ministrorum libri III. De Virginibus ad Marcellinam libri III. De Viduis liber unus. De Virginitate liber unus. De Institutione Virginis ad Eusebium liber unus. Exhortatio Virginitatis. De lap Virginis consecratae liber unus. De Mysteriis, seu*

his qui Mysteriis initiantur, liber unus. De Sacramentis libri VI. De Poenitentia libri duo. De Fide ad Gratianum Imp. libri V. De Spiritu Sancto libri III. De Incarnationis Dominicae Sacramento liber unus. Epistolae variae numero XCI. Orationes funebres de excessu fratris sui Satyri, Valentiniani II. ac Theodosii Impp. Denique *Sermones aliqui*, non tamen omnes, qui inter Ambrosianos recensentur. Aliqua S. Ambrosii Opera injuria temporum deperdita exciderunt. 1. *Commentaria in Isaiam Prophetam.* 2. *Liber de Sacramentis et Philosophia.* 3. *Tractatus de Pansopho puero a mortuis suscitato.* 4. *Epistola ad Fritigil* Marcomannorum Reginam. Supposititia sunt, et S. Ambrosio perperam adscripta fuerunt, 1. *Commentaria in Apocalypsim.* 2. *Liber de vitiorum virtutumque conflictu ad Simplicianum.* 3. *Libellus de Spiritu Sancto.* 4. *Tractatus de concordia Matthaei et Lucae in Genealogia Christi describenda.* 5. *Tractatus de origine et moribus Brachmanorum.* 6. *Expositio in Cantica Canticorum.* 7. *Liber unicus de Poenitentia* 8. *Commentarii in Epistolas S. Pauli.* 9. *Epistola ad Demetriadem.* 10. *Libri de Vocatione Gentium.* 11. *Posterior Davidis Apologia.* 12. *Tractatus in Symbolum Apostolorum, sive de Trinitate.* 13. *Tractatus ad Virginem devotam.* 14. *Liber de Dignitate Sacerdotali.* 15. Canticum *Te Deum laudamus*, a Sisebuto Monacho Hispano verisimilius compositum. S. Ambrosii Opera ediderunt Parisiis A. 1686. *Jacobus Friche* et *Nicolaus Noury O. S. B.*

XV. *Ambrosius Autpertus*, sive Ansbertus, in Galliis nobili familia natus, Coenobii S. Vincentii apud Samnites in Ducatu Beneventano ad fontes Vulturni Monachus, ac demum Abbas O. S. B. floruit tempo-

ribus Pauli I. Romani Pontificis, ac Desiderii Longobardorum Regis saeculo VIII. Obiit Romae A. 778. die XIX. Julii, in B. Petri Ecclesia sepultus, posteaquam, a Carolo Magno Francorum Rege, qui devicto Desiderio Longobardorum Regnum sibi vindicaverat, litteras obtinuit, quibus Donationes, a Regibus Longobardorum et Ducibus Beneventanis Monasterio S. Vincentii factae, confirmabantur. Edidit *Commentariorum in Apocalypsim S. Joannis Libros X.*, Coloniae primum impressos A. 1536., tum Lugduni Tomo XIII. Bibliothecae Maximae Patrum, quos Stephano III. Romano Pontifici nuncupavit. Epistola Dedicatoria multa habet contra aemulos et obtrectatores suos, qui ipsum a coepto Opere prohibere conati fuerant: et Summo Pontifici gratias agit, qui illorum vesaniae non praebuit assensum, sed potius ad continuandum laborem ipsum peramanter incitavit. Scripsit etiam *Vitam SS. Paldonis, Tatonis, et Vasonis, cum historica sui Monasterii S. Vincentii relatione*, a Joanne Mabillonio Saeculo III. Benedictino ex MSS. Codicibus editam: *Librum de Proverbiis Salomonis: Commentaria in Psalmos, et Cantica Canticorum. Libellum de Cupiditate*; quae omnia publici juris nondum facta sunt, sed in MSS. Codicibus Bibliothecarum latent. Auctor etiam est libri *de Conflictu seu Pugna virtutum et vitiorum*, qui in S. Augustini voluminibus legitur, et ab aliquibus propter nominis affinitatem S. Ambrosio Mediolanensi perperam assignatus fuit. *Homiliae* quaedam de Purificatione Sanctae Dei Genitricis, in laudem S. Mathiae Apostoli, aliorumque Sanctorum rectius alteri cuidam Autperto juniori adscribuntur, Cassinensi Abbati, qui A. 837. obiit.

XVI. *S. Amphilochius*, ex Cappadocia familia nobilis ortus, in juventute forensem professus est Rhetoricam; sed inde relicto foro in eremum progressus, amicitiam contraxit cum SS. Gregorio Nazianzeno et Basilio, a quo etiam Librum de Spiritu Sancto, tresque Canonicas, aliasque Epistolas sibi inscriptas accepit. Post mortem Faustini invitus ac reluctans Iconiensis in Lycaonia Episcopus creatus, multis pro Ecclesia Dei laboribus functus est. Synodo CPolitanae I. adversus Macedonianos congregatae A. 381. interfuit, et Sidensi XXV. Episcoporum Concilio praefuit adversus Messalianos, quos e sua expulit provincia. Fidem Catholicam strenue propugnavit contra Valentem Imperatorem, Edictumque impetravit a Theodosio Augusto, quo Arianorum conventicula vetabantur. Vivebat adhuc vir sanctissimus A. 392., quo Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum S. Hieronymus adornabat, in quo ipsius meminit Cap. CXXXIII. Librum edidit *de Spiritu Sancto*, quo ipsum Deum esse adorandum et omnipotentem contra Macedonianos probat. Liber hic, teste *Labbeo*, MS. habetur in Regia Bibliotheca Parisina. *Epistola S. Amphilochii Synodica* extat apud *Cotelerium* Tomo II. Monumentorum Ecclesiae Graecae. Varias ejus *Homilias* Graece et Latine edidit *Franciscus Combefisius* O. P. Parisiis A. 1644. *Vitam S. Basilii* Amphilochio plerique eruditi adjudicant, Glycas, Baronius, Bellarminus, Possevinus, Natalis Alexander, Hermantius etc. Deperdita sunt haec genuina S. Amphilochii Opuscula: *Liber contra Messalianos. Epistola ad Seleucum, Epistola ad Svadienses. Commentarii in Isaiam. Epistola dogmatica ad Pancharium Diaconum Sidrensem. Liber de Generatio-*

ne Domini secundum carnem. Tractatus in illud, Dominus creavit me. *Orationes* variae.

XVII. *Anastasius*, S. R. E. Bibliothecarius, Abbas Romanus O. S. B. vir aetate sua doctissimus, floruit Saeculo IX. sub Nicolao I. Hadriano II. et Joanne VIII. *Vitam* S. Joannis Eleemosynarii, ac S. Demetrii Martyris, item *Actu Conciliorum* Generalium CPolitani III. Nicaeni II, et CPolitani IV., cui ipse Legatus Ludovici II. Imp. et Italiae Regis interfuit, Latine reddidit. 2. *Historiam Ecclesiasticam* ex Chronographia tripartita S. Nicephori Patriarchae CPlitani, Georgii Syncelli, et S. Theophanis concinnavit. 3. Latine vertit *Sermonem Panegyricum* S. Theodori Studitae de S. Bartholomaeo Studita. 4. Vitae S. Dionysii Areopagitae praefatus est, cujus Operum translationem misisse dicitur ad Carolum Calvum Francorum Regem. 5. *Collectanea*, id est, varias Epistolas et Relationes, spectantes Historiam Monothelitarum, a se ex Graecis Codicibus magnam partem collectas, Latine reddidit in gratiam Joannis Diaconi, quae edidit dein *Jacobus Sirmondus* S. J. Parisiis A. 1620. 6. *Historiam de Gestis Romanorum Pontificum*, seu Vitas illorum collegit, auxitque, quas doctissimis observationibus et notis illustratas *Franciscus Blanchinus* iterum praelo subjecit Romae A. 1718. IV. Voluminibus in folio.

XVIII. *S. Anastasius*, Sinaita dictus, quod monasticam vitam in monte Sinai excoluisset, floruit initio saeculi VII., coliturque ab Ecclesia Orientali die XXI. Aprilis, *Godefridus Henschenius* in Actis SS. Tomo II. Aprilis monet, Sinaitam hunc Abbatem permiscendum non esse cum alio Anastasio Patriarcha Antiocheno, qui sub finem anni 598. sanctitatis fama illustris obiit; atque

id circo Nicephorum Callistum oscitantiae arguit, qui in eum errorem complures abduxit. Scripsit Sinaita *Ducem viae* adversus Acephalos, quem *Jacobus Gretserus* S. J. ex Augustana Bibliotheca Graece Latineque Ingolstadii edidit A. 1606. 2. *Libros XI. Anagogicarum contemplationum in Hexaëmeron.* 3. *Libros V. dogmaticos de Theologia.* 4. *Commentarium in Psalmum VI.* 5. *Sermones complures*: quae omnia exhibentur Tomo IX. Bibliothecae Maximae Patrum Editionis Lugdunensis.

XIX. *Andreas Cretensis*, natus Damasci, Monachus Jerosolymitanus, a Theodoro Patriarcha Jerosolymitano missus fuit ad Concilium Generale VI. seu CPolitanum III. A. 680., ubi strenue cum Monothelitis depugnavit. Creatus dein Cretentium Archiepiscopus, obiit circa A. 720, Sanctorum honores in Graeca Ecclesia consecutus, die IV. Julii recolendae ejus memoriae assignata. Author fuit variorum *Canonum* et *Orationum*, praecipue in Salutationem Angelicam, in Exaltationem S. Crucis, ac Mariam Aegyptiacam, quae a *Francisco Combefisio* O. P. Latinae redditae Parisiis A. 1644., Tomo X. Bibliothecae Max. Patrum insertae fuerunt. Ejusdem *Computum Paschalem* Graece et Latine edidit *Dionysius Petavius* S. J. Tomo III. de Doctrina Temporum.

XX. *Ansegisus* Lobiensis, aliis Flaviacensis, deinde Luxoviensis, ac demum Fontanellensis Abbas O. S. B. *quatuor libros Capitularium* edidit. In primo libro posita sunt Capitularia Caroli M. ad Ordinem Ecclesiasticum pertinentia; in secundo Capitula Ludovici Pii; in tertio Capitula Caroli M. ad mundanam pertinentia Legem; in quarto Capitula Ludovici Pii ad augmentum pertinentia mundanae Legis. Collectionem istam vulgavit

A. 827. Quam quidem velut publicum Legum Francicarum Codicem Regia authoritate probatam fuisse a Ludovico. Pio, et eum ab ipso, tum a Carolo Calvo laudatam, probat *Stephanus Baluzius* in Praefatione ad Capitularia. Cum vero Ansegisus plurima Caroli M. et Ludovici Pii Capitula praetermisisset, abstinuissetque praeterea a referendis Pipini et Carolomanni constitutionibus, *Benedictus Levita* Moguntinensis Capitularia illa jussu Otgarii Moguntini Archiepiscopi, circa A. 845. in unum collegit, ac in tres libros distribuit. Ansegisi Opus editum fuit a *Pitheo* Parisis. A. 1588.; a *Jacobo Sirmondo* 1640., et *Stephano Baluzio* Parisiis A. 1677.

XXI. *S. Anselmus*, Cantuariensis Archiepiscopus, natione Italus, Augustae Praetoriae ad radices Alpium ex nobili stirpe natus A. 1033., in Coenobio Beccensi Monachum O. S. B. induit Herluino Abbate, Priore Lantfranco, anno aetatis suae XXVII. Transacto ibi triennio, cum Lantfrancus Cadomensis Abbas fuisset electus, in Beccensi Prioratu successit illi Anselmus, quo officio cum annis quindecim fuisset functus, A. 1078. post Herluini mortem Abbas Beccensis, ac tandem in Cantuariensi Archiepiscopatu Lantfranci successor est renunciatus A. 1093. annuente Guilielmo II. Anglorum Rege. Metropoli huic cum annos XVI. praefuisset, maximis pro Dei gloria et Ecclesiastica immunitate perfunctus laboribus, ad Superos migravit meritorum plenus die XI. Aprilis A. 1109. aetatis suae LXXVI. Genuina et indubitate sunt Anselmi Opera, *Monologion*, *Prosologion*, *Libelli duo pro insipiente et contra insipientem*, *Dialogi de veritate*, *de libero arbitrio*, *de casu diaboli*, *de Grammatico*, *Liber de Fide Trinitatis et de Incarnatione Verbi*, *Libri duo Cur Deus homo*, *Liber de*

processione Spiritus Sancti contra Graecos, *Liber de Conceptu virginali et de peccato Originali*, *Epistola ad Valerannum Naumburgensem de tribus quaestionibus ac praesertim de fermentato et azymo*, *Epistola ad eumdem altera de diversitate Sacramentorum*, *Liber de concordia praescientiae et praedestinationis et gratiae cum libero arbitrio*, *Liber aliquot meditationum*, *Epistolarum libri tres*. Opuscula alia, praeter hic recensita, perperam S. Anselmo Cantuariensi tribuit contendunt Critici, v. g. *Librum de similitudinibus*, *de mensuratione Crucis*, *de Passione Domini*, *Tractatum de malo*, *Offendiculum Sacerdotum*, *Librum de voluntate Dei*, *Elucidarium*, *Homilias et Exhortationes*, *Librum de nuptiis consanguineorum*, *Speculum Evangelici sermonis*, *Librum de vestimentis*, *membris*, *et actibus Deo attributis*, *Librum et Epistolam de Conceptione B. V. M.* *Libros duos de imagine mundi*, *Psalterium B. V.*, *Disputationem Judaei cum Christiano*, *Orationem S. Anselmi*, *Carmen de contemptu mundi*, *Annulum seu Dialogum Christiani et Judaei de Fidei Sacramentis*, *Librum de Sacramento Altaris*, *Commentaria in Matthaeum*, *in Epistolas S. Pauli*, *in Cantica Canticorum*, *et Apocalypsim*. Prodierunt Opera omnia S. Anselmi Lugduni A. 1630. curis *Theophili Raynaudi* S. J., atque iterum Parisiis A. 1675. ex recensione *Gabrielis Gerberonii* O. S. B.

XXII. *Anselmus*, Havelbergensis in inferiore Saxonia Episcopus, a Lothario II. Imp. A. 1135. Legatus CPolim missus, atque a Graecis doctioribus Episcopis provocatus, celebrem Conventum institui curavit, in quo de Controversiis Graecos inter et Latinos ultro citroque disputatum est. *Collationes* illic habitas praecipue cum

Nechite Nicomediae Archiepiscopo in unum collegit, Eugenio III. Rom. Pontifice A. 1149. Tusculi id postulante, eisque titulum praefixit *Anticimenon*, id est, *Collectio Objectionum*. Tres libros complectitur hoc Opus. Primus est De unitate fidei, et multiformitate vivendi ab Abel usque ad novissimum electum. Secundus, De processione Spiritus Sancti. Tertius, De diverso Eucharistiae ritu Graecorum et Latinorum, videlicet azymi ac fermentati, ac de Anthoritate Romanae Ecclesiae. Extat eruditum hoc Opus in Tomo XIII. Spicilegii *Dacheriani*. Anselmus CPoli redux, quo iterum negotiorum causa a Friderico Aenobarbo ad Manuelem Orientis Imperatorem missus fuerat, Ravennatensis Archiepiscopus electus fuit A. 1155., ac paulo post Ravennae obiit.

XXIII. *Anselmus*, Laudunensis Ecclesiae Decanus, et Scholasticus, vir aevo suo eruditione et litteris nulli secundus, scripsit *interlinearem Sacrae Scripturae glossam*, quae extat cum ordinaria Strabonis glossa, et morali expositione Lyrani Lugduni edita A. 1528. et Antuerpiae 1634. Fertur etiam scripsisse *Commentaria in Cantica Canticorum*, *et Apocalypsim*, quae olim S. Anselmo Cantuariensi perperam adscribebantur. Obiit Lauduni A. 1117., in Basilica S. Vincentii ibidem sepultus.

XXIV. *S. Anselmus*, Mediolani nobili familia natus, Alexandri II. Rom. Pontificis Nepos, ab eodem Episcopus Lucensis designatus, ab ejus successore S. Gregorio VII. consecratus est A. 1073. Mathildis Commitissae fuit Director, cujus illi curam S. Gregorius VII. commiserat. Pro Ecclesiastica immunitate, et legitimo S. Petri successore Gregorio VII. contra Guibertum Antipapam, et Henricum IV. Germaniae Regem invicte de-

pugnavit, multisque pro Sede Apostolica Legationibus functo Episcopalis inspectio per omnem Longobardiam fuit commissa. Omnem Scripturam sacram, Sanctorumque expositiones memoria tenebat. Multos libros scripsit, quos domesticus ipsius Presbyter Poenitentiarius in ejus Vita recenset: nempe *Apologeticum pro Gregorio VII.* contra Guibertum, primo ab *Henrico Canisio* editum Tomo IV. Antiquae Lectionis, deinde in Bibliotheca Maxima Patrum Tomo XVIII. recusum. 2. *Commentarium in Lamentationes Jeremiae et in Psalterium*; quae tamen expositiones latent, a nullo hactenus editae. 3. *Meditationes in Orationem Dominicam, in Angelicam salutationem, et in Antiphonam Salve Regina*, quas primus publici juris fecit *Lucas Wadingus* in Vita S. Anselmi Lucensis Romae edita A. 1657. 4. *Collectionem Canonum*, quam quidem *Natalis Alexander* Hist. Eccl. Tomo VII. Cap. V. Artic. VI. S. Anselmi abjudicat tum ob Veterum silentium, tum quia Urbani II. aliorumque Pontificum Decreta in ea laudantur, quorum aevo S. Anselmus jam obierat: sed *Joan. Dominicus Mansi* eidem illam vindicat in Animadversionibus ad citi Natalis locum ex vetustissimo Codice Vaticano et Barberino, Saeculo XII., ut rei Diplomaticae peritis visum est, exarato, in quo Anselmo Lucensi Episcopo adscribitur collectio illa Canonum. Testatur etiam *Andreas Rota* S. I. in Vita S. Anselmi, quam Veronae edidit A. 1633., in Vaticano Codice non legi decreta Urbani II. Ex quo vis argumenti eorum, qui Opus istud Anselmo abjudicant, infirmatur Obiit S. Anselmus Mantuae A. 1086. die XVIII. Martii, qua Ecclesia universa Sanctissimi viri memoriam colit, Episcopatus sui anno XIII.

XXV. *S. Antonius*, Abbas et Monachorum Pater, Comae haud procul Heraclea in superiore Aegypto A. C. 251. natus, erogato in pauperes patrimonio in solitudinem secessit circa annum 270. Frequenti cum daemone concertatione, relatisque de illo triumphis toto orbe celeberrimus, Christi inimicos Meletianos et Arianos constanter aversatus, obiit A. C. 356. aetatis suae CV. Quamvis nec legere, nec scribere litteras sciret, septem tamen, quarum B. Hieronymus meminit, supersunt ejus *Epistolae* Apostolici sensus sermonisque, quarum pleraeque ad Arsenoitas Monachos sunt directae, quas in lingua sua Aegyptiaca S. Antonius dictavit, et deinde in Graecam, rursusque ex Graeca in Latinam fuerunt translatae. I. agit de divina vocatione, et multiplici corporis motu. II. De vitandis insidiis daemonum. III. De Christi in nos beneficiis. IV. De duobus Christi praecursoribus, et ejus adventu in carnem. V. De Angelorum gaudio et luctu propter nos, et ne vitam nostram negligamus. VI. De Christi adventu, et ut nos ipsi cognoscamus. VII. De cognitione sui ipsius, et de Ario. Extant Tomo IV. Bibliothecae Max. Patrum. *Regula* quoque brevis XLVIII. articulos complectens, ejus nomen praefert, ad Monachos Nacalonitas, qui eam expetierant, scripta. Trithemius eidem S. Antonio duos Sermonum libros tribuit; sed perperam omnino cum in iis laudentur S. Basilius, Joannes Chrysostomus, Nilus, Photius, multis annis immo et saeculis Antonio posteriores. *Abrahamus Ecchellensis* Opuscula S. Antonii Abbatis, ex Arabico Latine facta, edidit Parisiis A. 1646.

XXVI. *Antonius Melissa*, Monachus Aegyptius, duos scripsit *libros Locorum communium* ad virtutes

sequendas, et vitia fugienda, quos ex Patribus collegit. *Melissa* dictus est, quasi apicula, ab Opere, quod apiarum seu alvearium merito dixeris, in quod mel ex Patrum floribus confectum congregavit. Saeculo VIII. floruisse creditur, quod ultimum e Patribus laudet S. Joannem Damascenum. Extat hoc Opus Tomo V. Bibliothecae Patrum editionis Parisinae. Seorsim excusum fuit Parisiis A. 1571. et Tiguri 1546. opera *Gesneri.*

XXVII. *S. Antonius*, Ulyssipone in Lusitania natus A. 1195. relicto Canonicorum Regularium instituto, quod amplexus fuerat, Ordinem S. Francisci adhuc viventis ingressus est A. 1221., primusque apud suos S. Francisci mandato Sacras Litteras docuit. Obiit Patavii, Patavinus idcirco ex sepulturae loco nuncupatus, XIII. Junii A. 1231. aetatis XXXVI. Cumque sanctissimam illius vitam innumeris ante et post mortem signis Deus comprobasset, Gregorius IX. A. 1232. die Pentecostes eum solemni ritu Spoleti in album Sanctorum Coelitum retulit. Sacras *Conciones*, et *Concordantias morales* Sacrae Scripturae transmisit ad posteros, quae emendatiores Parisiis prodierunt A. 1641. cura et studio *Joannis de la Haye O. M.*

XXVIII. *Arnobius*, Lactantii Firmiani praeceptor, Siccae Veneriae in Numidia Africae provincia sub Diocletiano Imperatore Rhetoricam professus est. Cum adhuc Ethnicus ad fidem Christianam amplectendam somniis, divinitus immissis, stimularetur, nec ab Episcopis impetrare posset ut vel inter Catechumenos reciperetur, quod fidem Christianam vehementius paulo ante impugnasset, *septem libros adversus Gentes* conscripsit, quibus, velut quibusdam ob-

sidibus, pietatis foedus impetravit circa annum Christi 300. In illis quaedam esse cavenda monet *S. Hieronymus* Epist. LXXVI. ad Tranquillum: neque mirandum profecto est, quod homo Christianae Religionis Mysteria necdum plene edoctus, et adhuc Catechumenus, in errores aliquot imprudens sit lapsus. Editi fuere hi libri Romae A. 1542., et Lugduni Batavorum A. 1651. curis *Claudii Salmasii. Liber de Rhetorica istitutione* ab Arnobio conscriptus, injuria temporum deperditus est.

XXIX. *Arnobius* Junior, natione Gallus, Saeculi V. Scriptor, *Commentarios* edidit *in Psalmos*, quos Leontio Arelatensi, et Rustico Narbonensi dicavit. Eidem tribuuntur *Annotationes ad quaedam Evangelistarum loca*, et *Conflictus Catholici de Deo trino et uno, de duabus in Christo substantiis in unitate personae*, et *de Gratiae et liberi arbitrii concordia.* Quae omnia *Franciscus Feuardentius O. M.* Coloniae edidit A. 1595., Tomo VIII. Bibliothecae Maximae Patrum dein exhibita. Neque defuerunt ex Eruditis, qui Arnobium Juniorem authorem fuisse *Praedestinati* a *Sirmondo* editi Parisiis A. 1643. contenderent: at solidis argumentis id nondum comprobatum est, sed meris conjecturis actum.

XXX. *Arnoldus*, Abbas Bonae vallis in Dioececesi Carnotensi O. S. B. vir pius et eruditus, ac S. Bernardo amicissimus, vixit usque ad annum 1154. Scripsit *Hexaemeron*, seu Tractatum de Opere sex dierum, *Librum de Cardinalibus Christi operibus* ad Hadrianum IV. Rom. Pontificem, qui liber olim S. Cypriano Carthaginensi perperam adscriptus fuit: *Librum secundum de Vita S. Bernardi Clarevallensis*, Tra-

ctatum de septem verbis Domini, *Librum de laudibus B. Mariae*. Extant Tomo XXII. Bibliothecae Max. Patrum Editionis Lugdunensis, et ad calcem Operum S. Cypriani Editionis Oxoniensis A. 1682.

XXXI. *Asterius*, Amaseae, quae Ponti est civitas Episcopus sub quarti saeculi finem, S. Joanni Chrysostomo aequalis, floruit. Praedecessorem in Episcopatu habuit Eulalium, successorem vero Palladium quemdam, ex Ephesinae Synodi Patribus unum, cujus illic quoque fit mentio. Scripsit multa, atque inter alia *Homilias* plurimas, quarum meminerunt *Photius* in Bibliotheca, Codice CCLXXI. *S. Nicephorus* Patriarcha CPolitanus in Antirrheticis I. et II. ac *Nicaena* II. Synodus Actione IV. et VI. *Philippus Rubenius* edidit Antuerpiae A. 1615. Graece et Latine ejusdem Homilias V. *In divitem et Lazarum*, *De villico iniquitatis*, *Adversus avaritiam*, *In festum Kalendarum*, *An liceat dimittere uxorem quacunque de causa*. *Franciscus Combefisius* O. P. Tomo. I. Auctarii Bibliothecae Veterum Patrum Parisiis A. 1648. alias Asterii vulgavit Homilias, *In Danielem Prophetam et Susannam*, *In caecum a nativitate*, *In Principes Apostolorum Petrum et Paulum*, *In Martyrem Phocam*, *In Sanctos Martyres*, *in S. Euphemiam et de ejus imagine*, *In Protomartyrem Stephanum*, quae inter S. Procli Patriarchae CPolitani Homilias a Vincentio Richardo Romae perperam edita fuerat, cum et stylus et Photii authoritas eam vindicent Asterio. Addidit praeterea Combefisius Excerpta ex variis Homiliis ejusdem, quae habentur in Photii Bibliotheca loco cit. Haec omnia Latine tantum edita fuerunt a *Theophilo Raynaudo* S. J. Lugduni A. 1652. in Heptade Prae-

sulum Christiana sapientia et facundia clarissimorum, quae postea Tomo V. Bibliothecae Maximae Lugdunensis inserta fuerunt. *Homiliae VII.* in Psalmos III. VI. et VII. quas *Joannes Baptista Cotelerius* Parisiis edidit A. 1681. Tomo II. Veterum Monumentorum Ecclesiae Graecae, et fragmenta plurima in Catena in Psalmos, aliaque in Catena in Lucam, a quibusdam Asterio Amaseno, ab aliis vero alteri Asterio Sophistae, et Arianorum fautori tribuuntur, qui circa annum 330. vixit, ac teste *S. Hieronymo* in Lib. de Scriptoribus Ecclesiast. Cap. XCIV. Commentarios scripsit in Epistolam ad Romanos, in Evangelia, et in Psalmos.

XXXII. *S. Athanasius* Alexandriae Aegypti natus, Nicaenae Synodo A. 325. Diaconus interfuit cum Alexandrinorum Episcopo, cui paulo post demortuo Successor datus est in Sede B. Marci A. 326. Divinitatem Christi constantissime, atque invicte vindicavit adversus Arianos, quorum odiis exagitatus, variis insidiis, falsisque accusationibus appetitus, exiliis vexatus, ab Impp. Constantio, Juliano, Valente proscriptus, Tyri, Arelate, ac Mediolani ab Arianis damnatus, Romae a S. Julio Papa, et Sardicae ab Oecumenica Synodo A. 347. absolutus fuit. Obiit Sanctissimus Praesul, et malleus Arianorum, Alexandriae II. Maii A. 371. laboriosissimi Episcopatus anno XLVI. Scripsit *Orationes IV. contra Arianos*, *Orationem contra Gentes*, *Orationem de Incarnatione Verbi*, *ejusque ad nos corporali adventu*, *Orationem de aeterna substantia Filii et Spiritus Sancti cum Deo*, *Orationem in illa Christi verba*, Omnia mihi tradita sunt a Patre, *Orationem qua unum esse Christum osten-*

dit, *Apologiam ad Imp. Constantium*, *Apologiam pro fuga sua*, *et alteram contra Arianos*, *Epistolam de fide Catholica ad Imp. Jovianum*, *Epistolam ad Serapionem Thmueos Episcopum contra eos qui Christum creaturam esse dicunt*, *Alteram ad eumdem de Divinitate Spiritus Sancti*, *Epistolam de Nicaenae Synodi decretis contra Eusebium*, *Epistolam de sententia Dionysii Episcopi Alexandrini adversus Arianos*, *Epistolam de Synodis Arimini et Seleuciae*: item varias *Epistolas*, *ad Antiochenses*, *ad Epictetum Corinthiorum Episcopum adversus eos*, *qui corpus Christi consubstantiale esse Verbo docebant*, *ad Adelphium adversus eos*, *qui Verbum in carne venisse negabant*, *ad Antiochenses*, *ad solitariam vitam agentes*, *ad Africae Episcopos*, *ad omnes ubique Orthodoxos*, *ad Episcopos Aegypti et Lybiae contra Arianos*, *ad Dracontium Episcopatum fugientem*, *ad Ammonium Abbatem*, *duas ad Luciferum Calaritanum*, *Tractatum de Virginitate*, *Vitam S. Antonii Abbatis*. Dubia censentur, *Vita S. Syncleticae Virginis Alexandrinae*, *Expositio Fidei*, *Testimonia ex Scriptura de naturali communione Essentiae inter Patrem et Filium et Spiritum Sanctum*, *Homilia in illud Evangelii*, *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis etc.* Supposititia sunt et spuria: *Disputatio cum Ario habita in Concilio Nicaeno*, *Disputatio altera cum Ario Laodiceae*, *Liber de unita Deitate Trinitatis*, *Synopsis S. Scripturae*, *Dialogi V. de Trinitate*, *Quaestiones ad Antiochum*, *Liberii Episcopi Romani ad Athanasium Epistola*, *et responsio Athanasii ad Liberium*, *Dicta et interpretationes parabolarum Evangelii*, *Exhortatio ad Monachos*, *Epistola ad Marcum Papa*, *Re-*

futatio hypocriseos Meletii, *Eusebii*, *et Pauli Samosatensis*, *Tractatus de Definitionibus*, *Homilia in Passionem et Crucem Domini*, *Libellus de Passione imaginis Berytensis Christi Domini*, *Homilia de Annuntiatione Deiparae*, *Historia de Melchisedecho*, *Sermones et Opuscula varia*, quae postquam in lucem prodierunt *Marii Mercatoris* Opera a *Joanne Garniero* S. J. illustrata, manifesto constare coepit, ea non S. Athanasii esse, sed Eutherii Tyanensis Episcopi Nestoriani. Denique Symbolum: *Quicunque*, quod Athanasio abjudicandum, et Vigilio, Tapsensi in Africa Episcopo sub finem saeculi V. tribuendum videtur, cui familiare fuit opuscula saeviente Vandalorum in Africa persecutione a se conscripta, non suo, sed sub antiquorum Patrum nomine emittere. Opera omnia S. Athanasii Graece et Latine edidit *Bernardus Montfauconius O. S. B.* Parisiis A. 1698. III. Voluminibus in folio. Inter erunt ejusdem S. Athanasii *Commentarii in Ecclesiastem et Cantica Canticorum*. *Liber contra Valentem et Ursacium*. *Epistolae* aliae plures. *Liber Synodicus*, in quo nomina Patrum Nicaenorum exposita fuerant, teste *Socrate* Lib. I. Hist. Eccles. Cap. IX. *Tractatus in illud*, Nunc anima mea turbata est. *Hypomnemata in Psalmos*.

XXXIII. *Athenagoras*, patria Atheniensis, Christianus Philosophus, saeculo II. floruit M. Aurelio Antonino, et L. Aurelio Commodo Imperatoribus, quibus Apologiam, seu *Legationem pro Christianis* obtulit. In hac trium flagitiorum infamem rumorem de nostrae Religionis hominibus sparsum dispellit, scilicet impietatis et Atheismi, epularum Thyestaearum, et incesti concubitus. Scripsit etiam librum *de Resurrectione mortuo-*

rum, quo illud fidei nostrae caput luculentis rationibus illustrat. Utrumque hoc opus graeco latinoque charactere excusum est Oxonii A. 1682., et Lipsiae A. 1685. Exstat etiam alius, Athenagorae nomine, inscriptus liber, *de vero et perfecto amore*, in quo Auctor de honestis Theogoni, Charidis, Therecidis, et Melangeniae amoribus disserit. Sed vir eruditissimus, *Daniel Huetius*, Abrincensis Episcopus, in libello de Eroticarum fabularum origine luculenter demonstrat, hoc Opus supposititium omnino esse, et adulterinum.

XXXIV. *S. Aurelius Augustinus* A. 354. Tagastae in Numidia natus est ex Patricio adhuc Gentili, et Monica sanctissima foemina. Ab ineunte aetate Religione Catholica imbutus, atque inter Ecclesiae Catechumenos relatus, fraudibus haereticorum in Maniehaicos errores labitur. Romam ex Africa delatus, a Manichaeis, quorum improbitatem detexerat, ad Academicos transiit. Mediolanum A. 385. vocatus ad docendam Rhetoricam, S. Ambrosium adiit, cujus concionibus, et Sanctorum exemplis incitatus, abdicato Mediolanensi magisterio, ea in urbe baptizatur ab Ambrosio A. 387. die XXIV. Aprilis. Rediens in Africam, ad Ostia Tiberina Monicam matrem amisit; indeque patriam ut tenuit, per triennium fere Tagastae versatus, dum negotiorum causa Hipponem Regium delatus esset, a Valerio Hipponensi Episcopo reluctans Presbyter ordinatur A. 391. Paulo post, nempe A. 395. Valerius metuens ne Augustinum amitteret, alicui ex Africanis Ecclesiis praeficendum, eum sibi in Episcopatu Hipponensi, quoad viveret, Collegam, post suum vero obitum successorem expetiit, et impetravit, suffragante Megalio Calamensi, Numidiae Primate, a quo Augustinus Episcopus consecratus est

A. 395. Commissam sibi Ecclesiam rexit per annos XXXVI. eximia vitae sanctimonia, editis libris, relatisque de haeresi praecipue Manichaica, Ariana, Donatistica, ac Pelagiana victoriis toto orbe celeberrimus. Obiit XXVIII. Augusti A. 430., Vandalis Hipponem Regium obsidentibus, aetatis annum agens LXXVI.

Augustini Opera omnia X. Voluminibus comprehensa Parisiis A. 1690. prodierunt studio *Thomae Blancpain* et *Petri Coustant* Monachorum O. S. B. e Congregatione S. Mauri. Tomo I. continentur *Libri* 2. *Retractationum*, *Libri* 13. *Confessionum*. *Libri* 3. *contra Academicos*, *Liber de Beata vita*, *Libri* 2. *de Ordine*, *Libri* 2. *Soliloquiorum*, *Liber de Immortalitate animae*, *Liber de Quantitate animae*, *Libri* 6. *de Musica*, *Liber de Magistro*, *Libri* 3. *de Libero arbitrio*, *Libri* 2. *de Genesi contra Manichäeos*, *Libri* 2. *de Moribus Ecclesiae Catholicae*, *et de moribus Manichaeorum*, *Liber de vera Religione*, *Regula ad servos Dei*. Tomo II. continentur *Epistolae* 270. ab Augustino, et quaedam ab aliis ad Augustinum scriptae. Tomo III. Exgetica in Vetus et Novum Testamentum, nempe *Libri* 4. *de Doctrina Christiana*, *Liber imperfectus de Genesi ad litteram*, *Libri* 12. *de Genesi ad litteram*, *Libri* 7. *Locutionum*, *Libri* 7. *Quaestionum in Heptateuchum*, *Liber Annotationum in Job*, *Speculum*, *Libri* 4. *de Consensu Evangelistarum*, *Libri* 2. *de Sermone Domini in monte*, *Libri* 2. *Quaestionum Evangeliorum*, *Liber Quaestionum* 17. *in Matthaeum*, *Tractatus* 124. *in Joannis Evangelium*, *Tractatus* 10. *in Epistolam S. Joannis ad Parthos*, *Liber Expositionum quarumdam propositionum ex Epistola ad Romanos*, *Expositio Epistolae ad Romanos inchoata*, *Expositio Epistolae ad Galatas*. Tomo IV. *Enarra-*

tiones in Psalmos. Tomo V. *Sermones ad populum*, nempe *Sermones de verbis Domini*, *De Verbis Apostoli*, *Homiliae*, *Sermones de Tempore*, *Sermones de Sanctis*, *Sermones de Diversis.* Tomo VI. Opera moralia, *De diversis quaestionibus octoginta tribus*, *Libri 2. de diversis quaestionibus*, *ad Simplicianum*, *De octo Dulcitii Quaestionibus*, *De Fide rerum quae non videntur*, *De Fide et Symbolo*, *De Fide et Operibus*. *Enchiridion de Fide*, *Spe*, *et Charitate*, *De Agone Christiano*, *De Catechizandi rudibus*, *De Continentia*, *De Bono conjugali*, *De Sancta Virginitate*, *De Bono Viduitatis*, *Libri 2. de Conjugiis adulterinis*, *De Mendacio*, *Contra Mendacium*, *De Opere Monachorum*, *De Divinatione daemonum*, *De Cura pro mortuis gerenda*. *De Patientia*, *Tractatus 4. de Symbolo ad Catechumenos*, *De Disciplina Christiana*, *De Cantico novo*, *De quarta feria*, *De Cataclysmo*, *De tempore barbarico*, *De utilitate Jejunii*, *De Urbis excidio.* Tomo VII. Libri 22. *de Civitate Dei.* Tomo VIII. Opuscula Polemica adversus haereses Manichaeorum, Priscillianistarum et Arianorum. *Liber de Haeresibus ad Quodvultdeum*, *Tractatus adversus Judaeus*, *Liber de utilitate credendi*, *Liber de duabus animabus contra Manichaeos*, *Acta*, *seu Disputatio contra Fortunatum Manichaeum*, *Liber contra Adimantum Manichaei discipulum*, *Liber contra Epistolam Manichaei quam vocant fundamenti*, *Libri 33. contra Faustum Manichaeum*, *Libri 2. contra Felicem Manichaeum*, *Liber de natura boni contra Manichaeos*, *Liber contra Secundinum Manichaeum*, *Libri 2. contra adversarium Legis et Prophetarum*, *Liber ad Orosium contra Priscillianistas et Origenistas*, *Liber contra Sermonem Arianorum*, *Collatio cum Maximino*

Arianorum Episcopo , Libri 2. contra eumdem Maximinum Arianum , Libri 15. de Trinitate. Tomo IX. Opuscula polemica adversus Donatistas. *Psalmus contra partem Donati , Libri 3. contra Epistolam Parmeniani , Libri 7. de Baptismo contra Donatistas , Libri 3. contra litteras Petiliani , Liber de Unitate Ecclesiae , Libri 4. contra Cresconium Grammaticum Donatistam , Liber de unico Baptismo contra Petilianum , Breviculus Collationis cum Donatistis , Liber post Collationem ad Donatistas , Sermo ad Caesareensis Ecclesiae plebem dictus praesente Emerito , Liber de gestis cum Emerito , Libri 2. contra Gaudentium Donatistam Episcopum.* Tomo X. Opuscula polemica adversus Pelagianos. *Libri 3. ad Marcellinum de peccatorum meritis et remissione , Liber ad Marcellinum de Spiritu et littera, Liber de Natura et Gratia contra Pelagium , Liber de perfectione justitiae hominis , Liber de gestis Pelagii , Libri 2. de Gratia Christi et peccato originali , Libri 2. de Nuptiis et concupiscentia , Libri 4. ad Vincentium de Anima et ejus origine , Libri 4. ad Bonifacium contra duas epistolas Pelagianorum , Libri 6. contra Julianum Pelagianae haeresis defensorem , Liber de Gratia et libero arbitrio ad Valentinum , Liber de Correptione et gratia , De praedestinatione Sanctorum , de Dono perseverantiae , Opus inperjectum sex libros complectens contra secundam Juliani responsionem.* Libri alii , qui olim Augustino perperam adscribebantur , ab Editoribus Maurinis in appendices singulorum Voluminum sunt rejecti. Tomus XI. Vitam S. Augustini ab iisdem elaboratam atque Indices copiosissimos complectitur.

Maurinorum editio Venetiis recusa est , *Francisci Blanchini* in Augustini Vitam a Possidio Cal-

mensi scriptam animadversionibus aucta, et gemina Augustini Epistola, una ad Optatum Melevitanum *de natura et origine Animae*, altera ad Petrum et Abraham de *poenis parvulorum ante baptismum decedentium*, quas *Godefridus Besselius*, Abbas Gottwicensis in Austria, ex Codice MS. saeculi XII omnium primus luce publica donavit Viennae A. 1732. Joannes Clericus sub ementito *Joannis Pheroponi* nomine A. 1700. Amstelodami apud fratres Huguetanos et Petrum Mortier Opera omnia S. Augustini in Tomos XIV. distributa edidit. Verum editio ista, quae falso inscribitur Antuerpiae facta, ut incauti emptores decipiantur, apud aequos rerum aestimatores exiguo est in pretio, quod Augustini textus in ea corruptus ac vitiatus sit, integris periodis ablatis, praeter innumeros errores passim insertos.

XXXV. *S. Alcimus Ecdicius Avitus*, Isicii Senatoris, ac postea Viennensis in Galliis Episcopi filius, Aviti Romani Imperatoris nepos, Apollinaris Valentini Episcopi frater, patri in Sede Viennensi A. 490. successit, non minus doctrina et facundia, quam sanctitate commendandus. Hujus opera potissimum Ariana haeresis in Galliis compressa est, et Sigismundus Gundobadi Burgundionum Regis filius ab Ariana impietate ad Religionem Catholicam transiit. Luculentam ad Italiae Episcopos Romae in causa Symmachi Papae pro tuenda Pontificis Summi dignitate et innocentia Epistolam dedit Gallicanorum Episcoporum nomine, et Epaonensi Concilio praefuit A. 517. Obiit A. 523. Sanctorum honores in Ecclesia promeritus die V. Februarii, Scripsit *Epistolas varias*, *Homiliam de Rogationibus*, *Libros V. Poematum de Mosaicae historiae gestis*, *Carmen de laude Virginitatis ad Fuscinam sororem*, multaque alia

quae temporum injuria perierunt. S. Aviti Opera omnia, et fragmenta Opusculorum notis illustrata edidit Parisiis A. 1643. *Jacobus Sirmondus* S. J., dein Tomo IX. Bibliothecae Maximae Patrum inserta. *Epistolae* IV. et fragmenta aliquot a *Stephano Baluzio* edita sunt Tomo I. Miscellaneorum Parisiis A. 1679. *Collatio* ejus aliorumque adversus Arianos exstat Tomo V. Spicilegii *Dacheriani*.

B.

XXXVI.

S. *Barnabas*, seu Joseph Levites, genere Cyprius, unus ex LXX. Discipulis Domini, ac secundi ordinis Apostolus, primordia Ecclesiae sanctitate vitae, ac praedicatione Evangelii illustravit, ut Apostolici Actus testantur, in Cypro Insula, incertum quo anno, Martyrii palmam adeptus. Corpus ejus A. 478. ab Anthemio Episcopo prope Salaminam inventum est, atque Evangelium S. Matthaei ipsius Barnabae manu exaratum, quod Zeno Imperator CPolim afferri jussum in Palatii Ecclesia S. Stepano sacra reposuit. Exstat nostris etiam temporibus *Epistola* nomine Barnabae ad fideles scripta, quae genuina, an apocrypha sit, non una est Eruditorum opinio. Ex veteribus Clemens Alexandrinus numquam dubitavit eam verum esse geminumque Barnabae foetum. Clementi praeceptori suo subscripsit Origenes: ac postea Gregorius Nazianzenus, Origenis ipsius verba transcribendo, in eadem quoque opinione se fuisse significat. At vero Eusebius Caesariensis in Hist. Eccles. et S. Hieronymus Lib. de Scriptoribus Eccles. Episto-

lam Barnabae inter scripturas apocryphas numerant: sed quaenam sit Eusebii ac Hieronymi de Apocryphorum definitione opinio, adhuc est in controversia. Ex Recentioribus Natalis Alexander, Moyuius, Bollandiani, aliique permulti, eam Barnabae penitus abjudicant. Hugo Menardus et Cotelerius fluctuant. Contra vero Usserius, Hammondus, Vossius, Bullus, Dupinius, Dominicus Mansi, aliique eam non alium quam Barnabam auctorem habere propugnant. Illud certum videtur, Epistolam hanc, si Barnabae non sit, auctoris esse ejusdem cum illo, aut saltem proximae aetatis. *Usserius* Archiepiscopus Armachanus primam ejus editionem ex Manuscriptis, quae mutuo ab aliis acceperat, Oxonii A. 1642. adornavit. Sed Vossio teste, una urbis hujus parte paulo post igne consumta, hoc incendio omnia editionis hujus exemplaria perierunt praeter unum, quod in Bibliotheca ejusdem urbis adservari dicitur. *Hugo Menardus* eam ex Corbejano Codice annorum plusquam 900. edere parabat, observationibus variis a se illustratam. Verum eo, priusquam aliquid praelo committi potuerit, immatura morte extincto, *Lucas Dacherius* paratae ab illo editionis curam in se recepit, eamque praemissa a se praefatione A. 1645. absolvit. Anno subsequentes *Isaacus Vossius* iterum eamdem Epistolam ex tribus manuscriptis, uno Bibliothecae Florentinae, altero Vaticanae, tertio Theatinorum Romanorum, Amstelodami luce publica donavit. *Cotelerius* A. 1672. ex Codice Ms. Graeco Sirmondi illam rursus edidit, novaque versione, antiquiore tamen non omissa, donavit, praefixitque Operibus Sanctorum Patrum, qui temporibus Apostolorum floruerunt.

XXXVII. *S. Basilius M.* Caesareae in Cappadocia natus circa annum 317., parentes habuit antiqua nobilitate et probitate claros Basilium et Emmeliam, fratres SS. Gregorium Nyssenum et Petrum Sebastenum Episcopos, sororem S. Macrinam Virginem Deo sacratam singulari secum amicitia devinctos SS. Gregorium Nazianzenum, et Amphilochium Iconiensem Episcopos, clarissima Ecclesiae lumina. Athenis omnibus disciplinis jam imbutus, ut in patriam rediit, docente Macrina sorore, humanae sapientiae vanitatem agnovit; lustratisque Aegypti, Syriae, Palaestinae, ac Mesopotamiae Monasteriis, voluntariam servare paupertatem, ac Monasticam vitam in Regione Pontica agere instituit. Caesaream ut negotiorum causa delatus fuit A. 362., importunis Fidelium precibus pulsatus, manus sibi imponi ac Presbyteratu se initiari est passus ab Eusebio ejusdem urbis Episcopo, cui etiam e vivis erepto successor datus est, A. 370. die XIV. Junii Episcopus consacratus. Quamvis continuis ferme morbis dirisque doloribus discruciaretur, innumeros tamen pertulit labores pro Ecclesia, pro firmanda fidei veritate contra Eunomianos, Sabellianos, Macedonianos, et Arianos, quos Valens Imp. et Modestus Praefectus Praetorio tutabantur, et pro componenda Clericorum, Monachorum, Virginum, Laicorumque vita et morum disciplina. Ad Superos migravit Praesul Sanctissimus die 1. Januarii A. 379. Genuina S. Basilii Opera sunt *Homiliae IX. in Hexaëmeron, seu de Opificio sex dierum, Homiliae XVII. in Psalmos, Homiliae de argumentis aliis XXXI. Libri V. adversus Eunomium. Liber contra Sabellianos, Arianos, et Anomaeos. Oratio adversus eos, qui calumniantur nos, quod tres Deos colamus. Libri II. de Baptismo, Liber de Spiritu*

Sancto ad Amphilochium, *Regulae breviores*, *et fusius disputatae. Liber Moralium. Epistolae Canonicae tres ad Amphilochium, Liturgia*, *seu sacra incruenti Sacrificii celebrandi formula*, *Commentarium in XVI. Capita Isaiae*, *Constitutiones Monasticae. Sermo de abdicatione rerum. Sermo de culto sive Exercitatione Monastica*, *De vera ac pia fide. Proemium Ethicorum de Judicio Dei. De Institutione Monachorum Sermones II. Epistola ad Chilonem Anachoretam de vita eremitica*, cui adnexa est *admonitio brevis ad Anachoretas juniores. Ad Monacum lapsum Epistolae II. Ad Virginem lapsam Epistola. Sermones II. de Iejunio. Epistolae* aliae CDXXVIII. ad diversos datae *Liber de Virginitate* dubius est Basilii foetus. Opera omnia S. Basilii Parisiis prodierunt A. 1618. cura *Frontonis Ducaei* S. J., atque iterum Parisiis A. 1721. studio *Juliani Garnierii* O. S. B., Vol. III.

XXXVIII. *Basilius*, Seleuciensis in Isauria Episcopus, Synodo CPolitanae adversus Eutychetem A. 448., Ephesino latrocinio A. 449., et Oecumenico Concilio Chalcedonensi A. 451. interfuit. Quo anno decesserit, non constat. Illud certum est, eum adhuc A. 458. Synodalem Epistolam misisse ad Leonem Augustum, Marciani successorem. Scripsit *Orationes* XLIV, quas Latinas reddidit *Claudius Dausquejus* S. J. Heidelbergae 1604. Harum XV. tantum recenset *Photius* in Bibliotheca, Codice CXLVIII., easque tropis abundare observat, qui tamen perspicuitatem ac suavitatem non impediant. *Franciscus Combefisius* O. P. edidit quoque *laudationem S. Stephani Protomartyris* ab eo scriptam. Libri duo *de Vita et Miraculis S. Theclae* soluta oratione conscripti, a Petro Pantino Tiletano, Decano Bruxellensi, pri-

num editi ex Codicibus non satis probatis, Basilio Seleuciensi perperam adscribuntur, qui, Photio teste, non prosa, sed metro certamina et victorias S. Theclae prosecutus est.

XXXIX. *S. Beda, Venerabilis* dictus, O. S. B. natus est A. 673. in Northumbria in Girwensi territorio apud Anglo-Saxones. Septennis adhuc puer Jaroviensi seu Girwensi Monasterio alumnus a parentibus est traditus, et primo Viremuthi sub disciplina S. Benedicti Biscopii, postea vero Jarovii fuit sub regimine S. Ceolfridi Abbatis, ubi totum vitae tempus exegit, quo Sanctus Vir nihil antiquius habuit, quam Scientiarum, Sacrae Scripturae, ac regularis observantiae studium. Monasterio numquam pedem efferens, linguam latinam, graecam, latinos versus scribere, Astronomiam, Arithmeticam, omnesque scientias didicit. Anno aetatis decimo nono Diaconus, trigesimo Presbyter ordinatus est a Joanne Episcopo Hagulstadensi. Obiit A. 735. die XXVI. Maii, qua Ascensio Dominica celebrabatur, aetatis anno LXIII., maximis elogiis ab authoribus tum supparibus tum sequioribus celebratus. Opuscula scripta fuerunt ab illo quam plurima, quorum ipse quatuor annis ante obitum suum Indicem edidit. *Libri III. in principium Genesis, Libri III. de Tabernaculo et vasis ejus, ac vestibus Sacerdotalibus, Libri IV. in primam partem Samuelis, Libri II. Expositionis allegoricae de aedificatione Templi, Quaestiones XXX. in librum Regum, Libri III. in Proverbia Salomonis, Libri III. in Esdram et Nehemiam, Libri VI. in Cantica Canticorum; Explanatio allegorica in librum Tobiae, Capitula lectionum in Pentatheucum Moysi, Josue, Judicum, In libros Regum et Verba dierum, In librum B. Job, In Parabo-*

las, *Ecclesiastem*, *et Cantica Canticorum*, *In Esdram et Nehemiam*, *Libri IV. in Evangelium Marci*, *Libri VI. in Evangelium Lucae*, *Libri II. Homiliarum Evangelii*, *Libri II. in Actus Apostolorum*, *Liber retractationum in Acta Apostolorum*, *Libri VII. in 7. Epistolas Canonicas*, *Libri III. in Apocalypsim S. Joannis*, *Capitula lectionum in totum Novum Testamentum* excepto Evangelio, *Liber Epistolarum*, quas inter Epistolae sunt *de sex aetatibus saeculi*, *de mansionibus filiorum Israël*, *de ratione Bissexti*, *de Aequinoctio juxta Anatolium*, *Vitae S. Felicis Nolani*, *S. Anastasii*, *S. Cutberti*, *Abbatum Jaroviensium Benedicti*, *Ceolfridi*, *et Huetberti*, *Martyrologium* de natalitiis Sanctorum Martyrum diebus, quod ex octo antiquis MSS. erutum *Bollandiani* Tomo II. Martii omnium primi exhibuerunt, *Liber Hymnorum* diverso metro sive rythmo, *Liber Epigrammatum*, *Liber et natura rerum et de temporibus*, *Liber major de temporibus*, *Liber de Orthographia* alphabeti ordine distinctus, *Liber de Arte metrica*, *Libellus de schematibus et tropis*, hoc est, de figuris modisque locutionum, quibus Scriptura Sancta contexta est, *Libri V. Historiae Ecclasiasticae Gentis Anglorum*, *Ejusdem Historiae epitome*, in qua factis celebrioribus dies et annus apponuntur, *Epistola ad Egbertum Eboracensem*, *Commentaria in Evangelium S. Joannis*. Interierunt injuria temporum genuina aliquot Bedae Opuscula, *Liber in Canticum Habacuch*, *Commentarius in Isaiam*, *Commentarius in Epistolas S. Pauli*; qui enim in vulgatis Bedae Operibus habetur, Floro Diacono Lugdunensi a Mabillonio tribuitur. Dubia sunt *Liber poenitentialis* Bedae, et *Martyrologium* metricum, quod *Lucas Dacherius* O. S. B. edidit Tomo X. Spicilegii.

Supposita ab eruditis habentur *Commentaria in S. Matthaeum*, *In Psalmos*, *In Boëtii librum de Trinitate*, *Vitae SS. Patritii*, *Columbani*, *Eustasii*, *Arnulfi*, *Libellus de Officiis*, *Meditationes Passionis Libri de elementis Philosophiae*, *Collectanea etc.* Bedae Opera omnia prodierunt Coloniae A. 1688. VIII. Volum. in fol. Opuscula ejusdem Historica, ac Martyrologium, Cantabrigiae A. 1722.

XL. *Berengosus*, Abbas S. Maximini extra muros Trevirenses, O. S. B. floruit initio saeculi XII. Scripsit Libros III. *de Inventione et laude S. Crucis*, *libellum de Mysterio Ligni Dominici*, *Sermones* aliquot, *Librum de luce visibili et invisibili*, per quam antiqui Patres meruerunt illuminari. Exstant in Lugdunensi Bibliotheca Patrum Tomo XII. Fabulam de lepra Constantini M. Imp. multis capitibus adornat Lib. III.; eumque a S. Sylvestro Romae fuisse baptizatum asserit, apocryphis Actis deceptus. Eumdem porro Pontificem a Latinis Sylvestrum, a Graecis Eusebium appellari fabulatur: quia sicut a legendo lector, vel a pingendo pictor, sic Eusebius a scribendo dicitur bonus scriptor. Hinc factum conjicit, ut Graeci ab Eusebio, Latini a Sylvestro baptizatum Constantinum commemorent. Quam Berengosi observationem merito lacrymabilem pronuntiat *Natalis Alexander* Hist. Eccles. Tomo VII. Cap. VI. Artic. I.

XLI. *S. Bernardus*, Doctor Mellifluus, in Castro Fontanis in Borgundia prope Divionem A. 1091. ex illustri genere natus, Cistercium in Dioecesi Cabilonensi A. 1113. se contulit, sub Stephano Abbate religiosae vitae stipendia facturus; indeque A. 1115. Claram vallem in Lingonensi territorio missus, eidem

Monasterio Abbas praeficitur. Innocentii II. partes adversus Petrum Leonis, sive Anacletum II., et Victorem IV. Antipapas eximia et constanti fide tuitus est, Guilielmo Aquitaniae Duce a Schismate abstracto, atque ad meliorem frugem reducto. Sui temporis Novatores incomparabili studio et ardore, voce et calamo impugnavit, Petrum Abaelardum, quocum in Synodo Senonensi A. 1140. congressus est, Arnaldum Brixiensem, Henricum Tolosanum Monachum Apostatam, Petri de Bruis discipulum, Apostolicos, Gilbertum Porretanum Pictaviensem Episcopum in Rhemensi Concilio A. 1148. Obiit in Clarevallensi suo Monasterio A. 1153., die XX. Augusti, anno aetatis LXIII. nondum exacto, Vir sanctitate vitae, eruditione, morum suavitate, Sacrarum Litterarum peritia, miraculis, rebusque pro Ecclesia gestis vere Maximus, ab Alexandro III. A. 1174. in Sanctorum numerum relatus. Praecipua et genuina S. Bernardi Opera sunt, *Epistolae* diversis temporibus ad diversos datae, *Libri V. de Consideratione* ad Eugenium III. Papam, *Tractatus de moribus et Officio Episcoporum* ad Henricum Senonensem Archiepiscopum, *Liber de Conversione* ad Clericos, *Liber de praecepto et dispensatione* ad Abbatem Columbensem, *Apologia* ad Guilielmum Abbatem S. Theodorici, *Liber de laude novae militiae* ad Milites Templi, *Liber de gradibus humilitatis et superbiae*, *liber de diligendo Deo* ad Haimericum, *Tractatus de Gratia et Libero arbitrio*, *Tractatus* ad Hugonem de S. Victore *de Baptismo*, aliisque quaestionibus ab ipso propositis, *Tractatus* ad Innocentium II. *contra quaedam capitula errorum Petri Abaelardi*, *Liber de Vita et Gestis S. Malachiae Hiberniae Epi-*

scopi, *Tractatus de Cantu*, seu de correctione Antiphonarii Cisterciensis, *Sermones de Tempore*, *de Sanctis*, diversisque argumentis aliis, *Sermones LXXXVI. in Cantica Canticorum*. Supposititia censentur *Continuatio in Cantica Canticorum*, *Tractatus de vita solitaria ad Fratres de Monte Dei*, *Tractatus de vita mystica seu de Christi passione*, *Meditationes de cognitione humanae conditionis*, *Liber de interiori Domo*, *Tractatus de Conscientia*, *Tractatus de Doctrina puerorum*, *Scala Claustralium de modo orandi*, *Libri III. de Amore Dei*, *Instructio Sacerdotum*, *Sermo in adventu Domini de XI. oneribus Isaiae*, *Liber de modo bene vivendi ad Sororem*, *Liber Sententiarum*, *Soliloquium*, *Liber in Hexaemeron*, *Commentaria in Psalmos poenitentiales*, *et Epistolas S. Pauli*, *Meditationes in Antiphonam Salve Regina*, *Speculum Monachorum*, *Lamentatio in Passionem Christi*, *Lamentatio Virginis Mariae*, *Tractatus de Statu Virtutum*, *Expositio in Orationem Dominicam*, *Tractatus in illud Evangelii*, Ecce nos reliquimus omnia etc. *Sermones aliqui* a Guarrico Abbate, aliisque conscripti. Opera omnia S. Bernardi Vol. II. in fol. ediderunt *Merlo Horstius* Coloniensis Parochus Coloniae A. 1641., et 1672. *Joannes Mabillonius O. S. B.* Parisiis A. 1667. atque iterum ibidem A. 1690.

XLII. *Berno*, Monachus S. Galli O. S. B. dein Abbas Augiae Divitis prope Constantiam, alius omnino a Bernone primo Cluniacensi Abbate, Vir humana et divina scientia clarus, libellum scripsit *de quibusdam rebus ad Missae Officium pertinentibus*, insertum dein Tomo XVIII. Lugdunensis Bibliothecae Patrum, et *Vitam S. Udalrici* Augustani Episcopi,

quam *Surius* exhibet ad diem IV. Julii, ac *S. Meginradi* Episcopi et Martyris, apud *Mabillonium* saeculo. Benedictino IV. Trithemius opinatur Bernonem hunc authorem fuisse Micrologi, sive opusculi de Ecclesiasticis observationibus; at perperam omnino. Ut enim Theophilus Raynaudus observat in Erotematis de bonis et malis libris, Berno Libro de rebus ad Missae Officium pertinentibus, testatur se interfuisse Coronationi S. Henrici Imp. a Benedicto VIII. Romano Pontifice factae A. 1014.; Author autem Micrologi Cap. XXIV. asserit se scribere post obitum S. Gregorii VII. qui contigit A. 1085. Obiit Berno A. 1045. die VII. Januarii, posteaquam nobile illud Monasterium annis XXXIX. administravit.

XLIII. *Anicius Severinus Boetius*, ex antiquissima Romanorum Gente Anicia natus A. 455. Athenis per XVIII. annos excultus litteris, vir fuit aevo suo clarissimus, Senator, Patricius, ac III. Consul. A. 487. 510. 522. Hujus laudes praedicat Cassiodorus Lib. I. Epistola XLV. scripta Theodorici Gothorum in Italia Regis nomine: *Sic Atheniensium scholas longe positus introisti; sic palliatorum choris miscuisti togam, ut Graecorum dogmata doctrinam feceris esse Romanam. Didicisti enim qua profunditate cum suis partibus Speculativa cogitetur; qua ratione Activa cum sua divisione discatur, deducens ad Romuleos Senatores, quidquid Cecropidae mundo fecerant singulare. Translationibus enim tuis Pythagoras Musicus, Ptolomaeus Astronomus leguntur Italis. Nicomachus, Arithmeticus, Geometricus Euclides audiuntur Ausoniis. Plato Theologus, Aristoteles Logicus Quirinali voce disceptant. Mechanicum etiam Archimedem La-*

tialem Siculis reddidisti. Apud Theodoricum Regem, quem Romam advenientem A. 500. Senatus nomine luculenta panegyri excepit, gratia plurimum valuit, ab eodem Rege sacratioribus adhibitus consiliis, ac Magister Palatii et Officiorum constitutus. Falsa dein accusatione circumventus, quod Gothis, Arium sequentibus, eripere Italiam, et Justino Orientis Imperatori restituere cum Romanis conaretur, Senatusque auctoritatem adversus Theodorici Regis molimina defenderet; Magistratibus, bonisque omnibus exutus, Regio jussu Ticini in vincula conjicitur, ac tandem capite damnatus occiditur XXIII. Octobris A. 524. Praeter libros Philosophicos, de Geometria, Musica et Arithmetica, scripsit Vir hic doctissimus aeque ac pientissimus Librum *de Sancta Trinitate* ad Symmachum socerum suum, quem tanti fecit S. Thomas Aquinas, ut illum commentariis illustraverit: Librum *de Unitate Trinitatis* ad Joannem Diaconum, Librum *de Fide* ad eumdem, Librum *de duabus in Christo naturis et unica Jesu Christi persona* adversus Nestorium et Eutychetem, Libros V. *de Consolatione Philosophiae*, in quibus praeclare disserit de divina providentia et praescientia, Opusculum sane elegantissimum, saepius excusum, notis illustratum a *Petro Callyo* in usum Serenissimi Delphini Parisiis A. 1680. Libellus *de Scolarium disciplina* Boëtio suppositus fuit. Opera omnia Boëtii prodierant Venetiis A. 1491. Basileae A. 1546. et 1570.

XLIV. *S. Bonaventura*, Balneoregii in Hetruria natus A. 1221., Ordinem Minorum A. 1243. ingressus est. Anno sequente Parisios missus, biennio Magistrum habuit Alexandrum Alensem. Doctoris laurea

ibidem A. 1253. donatus, Libros Sententiarum suis praelegit, ac tum ad Theologicam Cathedram in Parisiensi Academia promotus, triennio post, nempe A. 1256. Generalis Ministri munere in Ordine suo perfunctus est. Archiepiscopatum Eboracensem in Anglia a Clemente IV. A. 1265. sibi oblatum constanter deprecatus est, victo precibus Pontifice, qui ejus animi integritatem et dignitatum nobilem contemptum admiratus, tandem subjunxit illud Ecclesiastici: *Sta in testamento tuo, et in illo colloquere, et in opere mandatorum tuorum veterasce.* B. Gregorius X. post triennalem a morte Clementis IV. Cardinalium discordiam, Pontifex Romanus, quamtumvis absens tunc in Syria, electus annitente potissimum S. Bonaventura, probe memor, quantum Sancto huic viro obstrictus esset, eum A. 1273. circa ferias Pentecostales in Urbe veteri in Cardinalium coetum adlegit, et Episcopum Albanensem esse jussit. Cumque Lugduni in Galliis Oecumenica Synodus coiret pro extinguendo Graecorum schismate, S. Bonaventura Pontificem in Gallias proficiscentem A. 1274. comitatus, Lugduni morbo tentatus, post quartam Concilii Sessionem ibidem extinctus est, die XV. Julii, anno aetatis LIII., ingenti Patribus omnibus sui desiderio relicto. Exequiis ejus in Templo Minorum Papa cum tota Curia Romana, et cunctis Concilii Praesulibus interfuit, Rem divinam faciente, et in demortui laudes excurrente Petro Tarantasino O. P. Cardinale et Episcopo Ostiensi. Ducentis et amplius post mortem annis, nempe A. 1482. vir hic sanctitate, doctrina ac miraculis conspicuus a Sixto IV. inter Sanctos, anno autem 1587. a Sixto V. inter Ecclesiae Doctores fuit adscriptus.

Reliquiae S. Bonaventurae capite dumtaxat barbaricū subducto, quod seorsim asservabatur, a Calvinianis Lugduni A. 1562. in publico succensae sunt igne, jactatis in profluentem Rhodanum cineribus.

Plurima scripsit Doctor Seraphicus, spiritualis vitae ac Theologiae Magister summus, unctione Spiritus Sancti plena: *Principium Scripturae Sacrae*, *Expositionem in Hexaemeron*, *in Psalterium*, *in Ecclesiasten*, *in Sapientiam*, *in Lamentationes Jeremiae*, *in Evangelium S. Lucae*, *in Caput 17. S. Matthaei*, *Postillam in Evangelium S. Joannis*, *et Collationes in eumdem*, *Commentaria in IV. libros Magistri Sententiarum*, *Sermones varios de diversis argumentis*, *Opusculum de reductione artium ad Theologiam*, *Breviloquium*, *Centiloquium*, *Pharetram*, *Declarationem terminorum Theologiae*, *Opusculum de septem donis Spiritus Sancti*, *Diaetam salutis*, *Mediationes vitae Christi*, *Speculum B. M. Virginis*, *Formulam auream de gradibus virtutis*, *Opusculum de Pugna spirituali contra septem vitia capitalia*, *Speculum animae*, *Confessionale*, *seu Instructionem Confessarii*, *Expositionem Missae*, *Expositionem in Regulam Fratrum Minorum*, *Determinationes quaestionum circa regulam S. Francisci*, *Libellum Apologeticum in eos qui Ordini Fratrum Minorum adversantur*, *Tractatum de paupertate Christi*, *Apologiam pauperum*, *Biblia pauperum*, *Vitam S. Francisci*, *Itinerarium mentis in Deum*, *Lignum vitae*, *Librum de Institutione Novitiorum*, *Regimen conscientiae*, *De sex alis Seraphim*, *De septem gradibus contemplationis*, *Stimulum amoris*, *De profectu Religiosorum*, *Soliloquium*. Dubii S. Doctoris foetus, aut omnino suppositi censentur, *Compendium Theologi-*

cae veritatis, *Mystica Theologia*, aliaque. Opera omnia S. Bonaventurae in VIII. Tomos distributa prodierunt Romae A. 1588., Lugduni A. 1668. in VII. Volum. ac nuper Venetiis A. 1753. apud Stephanum Orlandinum cum hac epigraphe : *S. Bonaventurae ex Ordine Min. S. R. E. Episcopi Card. Albanensis Opera in hac nova editione III. in partes distributa , quarum una certa , altera dubia , supposititia tertia complectitur. Accedit S. Doctoris Vita una cum Diatriba Historico-Chronologico-Critica in Opera ejusdem*, Tomi XIV. in 4to

XLV. *S. Bonifacius*, Germaniae Apostolos, in Saxonia Occidentali , sive Anglia , Kirtoni in Comitatu Devoniae circa annum 680. in lucem editus est , Wilfridus ab Anglis vocatus. Monasticum institutum ea in Insula amplexus, litteris imbuitur, ac XXX. aetatis anno Sacerdotio initiatur. Christianae Religionis proferendae studio e Britannia in Frisiam solvit, ubi cum omnia obsepta Apostolico operi cum gemitu videret, anno 716. Romam ad Gregorium II. profectus est, a quo cum ampla potestate litterisque pontificiis in Germaniam missus est ad inferendum ei provinciae Evangelium. A. 723. a Gregorio II. Romam invitatus, ab eodem festa luce S. Andreae Episcopus Regionarius consecratur , ab ejus vero successore Gregorio III. A. 732. Archiepiscopi dignitate et pallio ornatur. Liptinensi Synodo A. 743. praefuit nomine Pontificis Zachariae , a quo per Germaniam , Galliam , et Bajoariam Vicarius Apostolicae Sedis est constitutus A. 747. consensu Procerum Franciae Moguntinus creatur Archiepiscopus , qua Ecclesia per annos aliquot administrata se abdicat, et consensu Pipini Regis A. 753.

Lullum discipulum suum Episcopum ordinat; ipse vero in Frisiam se contulit, ubi multis ad Christianam fidem adductis, vel revocatis, a Frisiis Apostatis odio fidei Doccomii cum Sociis interfectus V. Junii A. 755. victricem animam ad coelum transmisit. Sacrum Bonifacii Martyris corpus, Vltrajectum interea a Clericis deportatum, Lullus Moguntinus Archiepiscopus primo Moguntiam, tum vero ad Fuldense O. S. B. Monasterium a S. Bonifacio erectum, ubi ille sepulturam sibi vivus detegerat, deferri jussit. Ibi asservantur hodiedum pretiosae ejus Reliquiae: ibi pastorale pedum, annulus, et cingulum ad venerationem ostenduntur cum tribus ipsius libris, quos Infideles occiso S. Martyre per loca palustria disperserant. Primus continet Canones novi Testamenti, id est, veterem concordantiam. Secundus Martyris sanguine tinctus Epistolam S. Leonis ad Theodorum Forojuliensem, Tractatum S. Ambrosii de Spiritu Sancto, pluraque alia Opera complectitur. Tertius est Liber Evangeliorum, quem S. Bonifacii manu scriptum ferunt. *Epistolas* CLI. S. Bonifacii Archiepiscopi et Martyris, *Vitamque ac passionem S. Livini* Episcopi, Gandavensium in Belgio Patroni, ipsi adscriptam, edidit ac notis illustravit *Nicolaus Serarius* S. J. Moguntiae A. 1605. Ejus *Statuta* quaedam edita sunt Tomo IX. Spicilegii *Dacheriani. Sermones* XIV. ejus nomine inscriptos, ex vetustis duobus Codicibus Christinae Reginae Sueciae eruit *Mabillonius*, et ex ejus apographo dederunt *Martene* et *Durand* O. S. B. Tomo IX. Collectionis veterum Scriptorum, addito Sermone XV., quem accepisse se profitentur ex *Bernardo Pezio* ejusdem Or-

dinis Monacho Mellicensi, quem ille Tomo IV. suorum Anecdotorum exhibuerat.

XLVI. *S. Bruno*, Coloniae Agrippinae claris ortus natalibus, Parisiis Philosophicis ac Theologicis disciplinis excultus est: inde in patriam revocatum S. Anno Coloniensis Archiepiscopus Canonicis S. Cuniberti adscripsit. Eo Archiepiscopo terris erepto, Bruno Rhemos transiit Rhemensis Ecclesiae Canonicus et Scholarum Magister, donec Manassis Archiepiscopi Rhemensis improbi hominis, qui tanto honore indignus Gervasio successerat, flagitiis offensus, moresque saeculi corruptos pertaesus, secessum in solitudine quaerere instituit. Vitae illius Scriptores quidam tam sancti consilii causam inde petunt ex horribili ostento defuncti nuper Parisiis Raymundi Diocres, Canonici Parisiensis, qui erecto ex mortuali feretro toto corpore, ad hanc vocem Officii Defunctorum, ***Responde mihi***, se accusatum, judicatum, ac damnatum a justo judice asseruerit: sed hanc narrationem, vetustioribus testimoniis destitutam, Urbanus VIII. ex Romano Breviario expungi jussit, eamque, ut fabulam, rejiciunt Pagius, Mabillonius Launojus, Papebrochius, Fleury, Casteel, Calles etc. Anno 1084. cum sex sociis ad Hugonem Gratianopolitanum Episcopum se recepit, a quo peramanter exceptus, Carthusiam prope Gratianopolim in Delphinatu sitam incolere coepit, ex qua vocante Urbano II. Pontifice Maximo, Romam perrexit A. 1089., ut eumdem Pontificem solatio consilioque suo in Ecclesiasticis negotiis juvaret turbulentissimis illis temporibus. Sed carae solitudinis et quietis amore flagrans, cum tumultus Curiae ferre amplius non posset, Urbano Pontifice Alpes transgresso,

et in Galliam profecto A. 1095. ad Claromontanum Concilium, Bruno confestim in Calabriam se abdidit, et Turrensi in eremo prope Squillacium, Rhegiensi recusato Episcopatu, ad amicum sibi silentium, et jugem cum Deo conjunctionem rediit. Obiit ibi Vir Sanctissimus, Christianae poenitentiae exemplar, et perfectissima imago, die VI. Octobris A. 1101., a Leone X. inter Sanctos adscriptus A. 1514. Scripsit *Commentarium in Psalmos, et in omnes Epistolas S. Pauli, Epistolam ad Radulphum Viridem* Rhemensis Ecclesiae Praepositum, et *alteram ad suos Majoris Carthusiae Alumnos*. Reliqua Opuscula non huic, sed alteri Brunoni, Signino Episcopo, videntur adscribenda, Opera omnia S. Brunonis, Carthusianae Familiae Fundatoris, Coloniae Agrippinae prodierunt A. 1611. curis *Theodori Petrei* Carthusiae Coloniensis Alumni. *Professionem fidei*, quam S. Bruno morti proximus edidit, et in qua diserte Berengarii haeresis damnatur, publici juris fecit *Joannes Mabillonius* Tomo IV. Veterum Analectorum.

XLVII. *S. Bruno*, *O. S. B.* Astae Pompejae, aut, ut aliis placet, Soleriae, agri Alexandrini pago, in Insubribus nobili stirpe natus, Bononiae Philosophicis studiis operam navavit, Doctoris lauream dein consecutus. Canonicis in Civitate Senensi adscriptus, Romam negotiorum causa contendit, devictoque in Romana Synodo Berengario, invitus licet Signinae Ecclesiae A. 1079. a S. Gregorio VII. Episcopus praeficitur, atque ab Urbano II. A. 1095. ad Claromontanum Concilium in Gallias ducitur. Cum annos aliquot Pastorale munus summa cum laude exercuisset, desiderio contemplationis illectus, Casinum migravit A.

1102., ac religiosam vitam ibidem professus, A. 1107. Casinensis Abbas eligitur. Sed instante populo Signino, A. 1112. a Paschale II. dimissa Casinensi Abbatia ad Ecclesiam suam redire est jussus. Obiit A. 1123. die XVIII. Julii, anno Episcopatus sui XLIV., a Lucio III. inter Sanctos relatus. Multa et praeclara reliquit ingenii sui monumenta, *Commentarium in Genesim, in Exodum, in Leviticum, in Numeros, in Deuteronomium, in Job, in Apocalypsim, Homilias seu Sermones CXLV.* in Evangelia totius anni, Eusebio Emisseno perperam attributos, *Tractatum in Canticum Zachariae; Tractatum de Incarnatione Domini et ejus sepultura, Argumentum de Sacrificio azymi, Opusculum de Sacramentis Ecclesiae, Mysteriis, atque Ecclesiasticis ritibus, Vitam S. Leonis IX. Papae, et S. Petri Episcopi Anagnini, Responsam ad Quaestionem Cur corruptus Status Ecclesiae, Epistolam ad Episcopum Portuensem, et alteram ad Paschalem II. Papam, Sententiarum Libros VI.* S. Brunonis Episcopi Signini Opera omnia edidit Vol. II. *Maurus Marchesius O. S. B.* Congreg. Casinensis Venetiis A. 1651., quae Tomo XX. Lugdunensis Bibliothecae Patrum exhibentur. Opuscula aliquot antea inedita, *Expositionem de Consecratione Ecclesiae, de Consecratione Chrismatis, de Significatione vestimentorum Sacerdotalium*, Tomo XII. Spicilegii sui inseruit *Lucas Dacherius O. S. B.*

XLVIII. *Burchardus, O. S. B.* patria Hassus, Lobiensis Monachus, Olberti Lobiensis, postea Abbatis Gemblacensis, discipulus, Wormatiensem Episcopatum A. 996. obtinuit commendatione Franconis fratris sui, cui demortuo successit, et Ottonis III. Im-

peratoris favore, Wiligiso Archiepiscopo Moguntino carissimus. Interfuit Synodis Tremonianae A. 1005. Moguntinae in causa Episcopatus Bambergensis A. 1006. Francofordiensi A. 1007. ac Salegunstadiensi A. 1022. de Ecclesia et Imperio optime meritus. Pluribus ante obitum annis exstructa sibi cella et Oratorio in sylva, duobus Wormatia milliaribus distante, ab omni strepitu, negotiisque saecularibus procul remota, pietati et otio litterario se totum dedit; ibique hortatu Waltheri Spirensis Episcopi, et Brunichonis Wormatiensis Praepositi, ope vero Olberti Monachi Lobiensis quo jam olim Magistro usus erat, Canones veteris Ecclesiae ex aliis potissimum collectionibus in unum volumen Decretorum collegit. Ad Ecclesiae suae Wormatiensis usum in Opus illud incubuisse se profitetur Burchardus; illudque perfecisse cognoscimus antequam Salgunstadiensis Synodus haberetur; cujus propterea Canones cum in suam Collectionem inserere non potuisset, in ejus fine omnes simul locavit. In Libros XX. Opus suum distribuit, quod ita inscriptum est: *Loci communes congesti cum ex Decretorum libris, tum Conciliis, et Orthodoxorum Patrum decretis, atque etiam diversarum nationum Synodis.* Vulgo tamen hanc Burchardi Collectionem *Decreta Burchardi* appellamus; ab Italis vero et Gallis vocem hanc corrumpentibus *Decreta Brocardica* plerumque vocabantur. Obiit Wormatiae paralysi prostratus, intento semper in Deum animo, ac jugem inter precationem, die XX. Augusti A. 1025. A morte ex rebus ejus praeter tres denarios, hirsutum cilicium, et catenam ferream, usu attritam, nihil est repertum; pecunia omni in pauperes prius distributa, quorum curam solertissime semper gessit,

sibi ipsi ad quotidianum victum, praeter olera fere, panem et aquam, nihil reliquum faciens. Sancti nomen Burchardo a pluribus tribuitur, tametsi in Sanctorum numerum solemni Ecclesiae more non sit adscriptus. Opus Burchardi prodiit Coloniae A. 1548., et Parisiis A. 1549.

C

XLIX.

S. *Caesarius*, A. 469. in territorio Cabilonensi natus, aetatis anno XVIII. Clericali militiae adscriptus est; et biennio inter Clericos transacto, Lerinum se contulit, ibique vitam monasticam sub Porchario Abbate professus est. Inde aegritudinis causa Arelatem missus, a S. Aeonio Arelatensi Episcopo Diaconus et Presbyter consecratur. Abbas dein in insula Rhodani prope Arelatem factus, postquam Monasterium illud ultra triennium sanctissime rexerat, S. Aeonio Episcopo A. 502. in Sede Arelatensi successit. Praefuit Synodis Agathensi A. 506. Arelatensi A. 515. Carpentoractensi A. 527. Arausicanae II. A 529., in qua Semipelagiani damnati sunt, et Vasionensi eodem anno habitae. Ravennam A. 513. ad Theodoricum Ostrogothorum in Italia Regem profectus est, a quo perquam honorifice ac benevole exceptus, multisque donis cumulatus, quae tamen ille in pauperes distribuit, Romam eodem anno ad Symmachum Papam contendit, a quo Pallium accepit, impetravitque, ut lis de Jure Metropolitico suam inter et Viennensem Ecclesiam de-

cideretur. Decrevit itaque Symmachus, ut Ecclesiae Viennensis Jurisdictio in Ecclesias Valentinam, Tarantasiensem, Genevensem, et Gratianopolitanam extenderetur, caeterae vero Metropolitae Arelatensi subessent. Obiit Praesul sanctissimus Arelate die XXVII. Augusti A. 542. Episcopatus sui anno XL., aetatis LXXIII. Scripsit *Homilias* complures, quae tamen non omnes sunt Caesarii, licet illius nomen praeferant, *Admonitionem ad eos, qui uxores habentes adulteria committere non erubescunt*, *Exhortationem ad charitatem observandam*, *Homiliam de decem Virginibus*, *Admonitionem de contemptu praesentis vitae*, *Epistolam ad Caesariam sororem*, quam Virginum coenobio a se aedificato praefecerat, *Alteram eidem et toti Congregationi inscriptam*, *Epistolam hortatoriam ad Virginem Deo dicatam*, *Regulam pro Sanctimonialibus*, XLIII. continentem capitula, sive regulas particulares, *Regulam pro Monachis*, quae in plerisque Galliae Narbonensis Monasteriis olim viguit. Utraque legitur in Codice Regularum *Lucae Holstenii*. Homilias Parisiis edidit *Stephanus Baluzius* A. 1669., reliqua vero Opuscula exhibentur Tomo XXVII. Lugdunensis Bibliothecae Patrum. Scripsisse praeterea dicitur S. Caesarius Librum *de Gratia*, *et Libero arbitrio*, injuria temporum nunc deperditum, quem contra Faustum Rejensem exaratum fuisse Recentiores quidam magno quidem consensu, sed nulla solida ratione contendunt. Verum *Joannes Stiltingus* in Actis SS. Tomo VI. Augusti, fol. 58. ostendit, nomine Libri illius intelligenda esse Capitula Arausicanae II. Synodi adversus Semipelagianos.

L. *Caesarius*, natione Germanus, Heisterbacensis in Dioecesi Coloniensi Monachus Ord. Cisterc. floruit A. 1222. Scripsit Libros sive Dialogos XII. *Historiarum memorabilium de Miraculis et Visionibus sui temporis*, a *Tilmanno Bredenbachio* Coloniae Agrippinae A. 1599. recusos, atque a *Tissierio* Tomo II. Bibliothecae Cisterciensis: *Libros II. in illud*, Signum magnum apparuit in coelo. *Libros III. de Vita S. Engelberti* Coloniensis Archiepiscopi, qui extant apud *Surium* ad diem VII. Novembris, *Homilias de Infantia Salvatoris*, *Sermones in omnes Dominicas*, *et Festa totius anni*, quos edidit *Andreas Coppensteinius* Coloniae A. 1615. Quamvis peritiores Critici sinceritatem Caesarii in dubium non vocent, facile tamen consentiunt, eum nimis credulum fuisse, ac veras historias a falsis satis accurato criterio non secrevisse.

LI. *Cajus*, Romanae Ecclesiae Presbyter, Zephyrini Pontificis temporibus floruit, et Disputationem insignem edidit adversus Proculum Montani sectatorem. Ejus meminerunt *Eusebius Caesariensis* Lib. VI. Hist. Eccles. Cap. XIV., et *S. Hieronymus* in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, Cap. LXX. Eumdem Cajum Gentium Episcopum ordinatum fuisse absque certa ullo ac determinata Dioecesi, ut Evangelii fidem Gentibus infidelibus inferret, testatur Photius in Bibliotheca, Codice XLVIII., et libellos duos, *De universi natura*, quos alii Josepho, alii S. Justino, alii S. Irenaeo adscripserunt, edidisse; item *Labyrinthum*, ab aliis Origeni attributum, et Librum *contra Artemonis haeresim* ab aliquibus Cajo tribui.

LII. *S. Joannes Cassianus* CPoli, aut ut aliis placet, in Provincia Narbonensi natus, humanioribus lit-

teris probe imbutus, in Palaestinam pietatis causa contendit, ibique Bethlehemitici Coenobii, quod a Monasterio S. Hieronymi diversum erat, institutum arripuit. Paulo post cum Germano Monacho, quocum summa necessitudine devinctus erat, Palaestinae, Aegypti, ac Thebaidis Monasteria peragravit, ac frequentia cum Patribus illis colloquia habuit de rebus Asceticis. Inde CPolim profectus, a S. Joanne Chrysostomo ob perspectam pietatem et probitatem CPolitanae Ecclesiae Diaconus creatus est. Chrisostomo Eudoxiae Augustae odiis in exilium pulso, Romam ad Innocentium I. Cleri CPolitani nomine Legatus venit A. 405. Paulo post mortuo Chrysostomo; in Gallias se recepit, et Massiliae substitit, ubi factus est Presbyter; qua in urbe duplici Coenobio condito, virorum altero foeminarum, magnam sibi sanctitatis et doctrinae famam comparavit. A Castore Aptae Juliae Episcopo impulsus, scripsit Libros XII. *de Institutis Monachorum Aegypti*, Libros VII. *de Incarnatione Domini* adversus Nestorium hortatu S. Leonis M. tunc Romanae Ecclesiae Archidiaconi, et *Collationes Patrum*, quarum decem Leontio Episcopo Forojulensi, et Helladio tunc Monacho, dein Episcopo; septem S. Honorato Arelatensi, et S. Eucherio Lugdunensi Episcopis, totidemque Monachis, Stoechadas insulas incolentibus, nuncupavit. Quod ad Cassiani sententiam de divinae gratiae necessitate pertinet, tertia decima illius Collatio, quae est de Protectione Dei, in qua Chaeremonem Abbatem inducit disputantem, Semipelagianismo est infecta. Hanc confutavit S. Prosper A. 432. Libro qui inscribitur, *Contra Collatorem*. Obiit Cassianus Massiliae anno circiter 431., ut conjici potest ex *Gennadio* Lib. de Viris Illustribus, Cap. LXI., San-

ctorumque honoribus colitur quot annis ab Ecclesia Massiliensi die XXIII. Julii sub ritu duplici cum Octava. Neque error ille Semipelagianorum Cassiani sanctitati quidquam officit; quia aevo illo nondum erat supremo Ecclesiae judicio proscriptus. Opera omnia S. Joannis Cassiani recusa sunt Romae A. 1580. et 1611. Atrebati 1628. Lipsiae 1722. et Pedeponti 1739. cum Commentariis *Alardi Gazaei* O. S. B.

LIII. *M. Aurel. Cassiodorus*, ex Clarissima Romana stirpe Scyllacii in Brutiis A. 470. natus, sub Odoacre Herulorum Rege, qui tunc Italiae dominabatur, Sacrarum Largitionum Comes institutus est. A Theodorico Rege Brutiis et Lucanis Praefectus, Quaestor, Magister Officiorum, Praefectus Praetorio, ac denique A. 514. Consul creatus est. Sub Athalarico iterum Quaesturam et Praefecturam Praetorii gessit. Sub Theodato eadem dignitate tertio ornatus est: quam et sub Vitige, Theodati successore, quarto consecutus, et Quaesturae insuper munere functus est. Dignitates amplissimas sanctissime administravit, maximo Ecclesiae, et Reipublicae bono. Anno aetatis LXX. fluxas opes et dignitates despiciens, Religiosam vitam amplexus est, condito, fundatoque Vivariensi Monasterio prope Scyllacium, cujus Abbas fuit. Obiisse creditur prope centenarius circa A. 563. Plurima Vir hic clarissimus ingenii et eruditionis suae monumenta ad posteros transmisit, Libros XII. *Epistolarum*, quos titulo *Variarum* inscripsit, propter diversa, quae in eis continentur, rerum argumenta. *Chronicon* ad annum usque Aerae Christianae 519. Libros XII. *Historia Gothorum*, quod tamen Opus excidit praeter Epitomen a Jornande Ravennate scriptam, *Librum de Anima*, *Commentarium in Psal-*

mos, *Historiam Ecclesiasticam tripartitam* ex Socrate, Sozomeno, et Theodoreto in gratiam Vivariensum suorum Monachorum, *Librum de Institutione Divinarum Litterarum*, *Librum de Orthographia*, *Commentarium in Donatum*, *Librum de Schematibus et Tropis*, *Tractatum de Etymologiis*, *Librum de Litteris humanioribus*, scilicet Gramatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Musica, Geometria, Astronomia, *Computum Paschalem* ad indictionem et epactas inveniendas, *Complexiones in Epistolas et Acta Apostolorum, et Apocalypsim*, quas e vetustissimis Canonicorum Veronensium Membranis omnium primus eruit, et notis a se illustratas edidit Florentiae A. 1721. Vir de Litteraria Republica immortaliter meritus, Marchio *Scipio Maffejus*. Liber *de vera Amicitia, et Expositio in Cantica Canticorum* perperam a quibusdam Cassiodoro fuerunt adscripta. Cassiodori Senatoris Opera in duos Tomos distributa, et observationibus illustrata emendatissime ex antiquis et probate fidei MSS. edidit *Joannes Garretius* O. S. B. ex Congr. S. Mauri Rothomagi A. 1679., Venetiis dein recusa A. 1729.

LIV. *Georgius Cedrenus*, Monachus Graecus, scripsit saeculo XI. *Compendium Historiarum* ab Orbe condito usque ad A. 1057. et Isaacii Comneni Imperium. In eo Opere fere omnia ex Chronico Georgii Syncelli ab initio Mundi usque ad Diocletianum, inde usque ad Michaëlem Curopalatem ex Chronographia Theophanis; inde vero usque ad Isaacium Comnenum ex Historia Joannis Protovestiarii, cognomine Tharacesii, sive Scylitzae descripsit. *Guilielmus Xylander*, sive Holzmann, Basileae A. 1566. Cedrenum edidit graece et latine, non uno in loco ab heterodoxo hoc interprete corruptum,

ut observat *Gretserus* Tomo II. de Cruce. Extat idem Opus Tomo X. Scriptorum Historiae Byzantinae editionis Parisiensis.

LV. *S. Chromantius*, patria Romanus, Aquilejensis Ecclesiae Presbyter, Concilio Aquilejensi A. 381. interfuit, in quo Palladius et Secundianus, Ariani Episcopi, damnati sunt. Valeriano Aquilejensi Episcopo successor datus, amicitia magnorum virorum floruit, Ambrosii, Joannis Chrisostomi, et Hieronymi, a quo Praefatione in Libros Paralipomenon, Episcoporum sanctissimus et doctissimus vocatus est. Obiit circa A. 412., ejusque nomen Martyrologio inscriptum est ad diem II. Decembris. Elegantissima composuit in Evangelium S. Matthaei Commentaria, ex quibus non nisi unicus Sermo *de octo Beatitudinibus*, aliaeque duae Homiliae cum fragmentis supersunt, Tomo V. Biblioth. Max. Patrum inserta, Epistolae sub nomine Chromatii et Heliodori ad Hieronymum, et hujus Responsio, in qua agitur de Nativitate B. M. et de Martyrologio, suppositiae sunt.

LVI. *S. Joannes*, *Chrysostomus* dictus ab auream eloquentiam, patre Secundo, matre Anthusa, nobili apud suos prosapia, Antiochiae A. 344. natus, sub Libanio Sophista et Andragathio Rhetoricae ac Philosophiae operam dedit. Actis aliquamdiu in foro causis, baptismum a S. Meletio Antiocheno Episcopo petiit, et impetravit, inter Clericos paulo post ab eodem relatus, et sacris Litteris imbutus. Pulso in exilium Meletio, Magistros habuit Carterium, et Diodorum, postea Tarsensem Episcopum, a quibus vitae etiam monasticae exercitia didicit, duobus in schola Libanii sodalibus ad idem vitae institutum pertractis, Theodoro, et Maximo, quorum ille Mopsuestiae in Cilicia, alter Se-

leuciae in Isauria postea fuere episcopi. Cum ad Episcopatum quaereretur, A. 374. fuga se subduxit, ac primo quidem quadriennium in Monasterio, tum vero biennium in durioribus vitae anachoreticae laboribus sanctissime transegit. Antiochiam cogente morbo reversus, restituta utcunque valetudine, Diaconus a S. Meletio A. 380. ad finem vergente, atque a S. Flaviano Meletii successore A. 386. Presbyter ordinatur, provincia illi imposita Antiochenum populum Verbo Dei pascendi. Praestitit hoc fructu uberrimo Vir eloquentissimus, ac Deo plenus, per annos duodecim, donec mortuo Nectario, CPolitano Episcopo, jussu Arcadii Imperatoris CPolim perductus, ejusdem Ecclesiae Episcopus consecratus est A. 398. die XXVI. Februarii. In reformationem Cleri Regiae Urbis cum diligenter incumberet, Theophili Alexandrini, et conjuratorum Episcoporum malis artibus, Joannis Archidiaconi sui, et Isaacii cujusdam Monachi vagi calumniis, Eudoxiae, superbae Imperatricis, ira muliebri et potentia oppressus, ad Synodum XXXVI. Episcoporum in suburbano Chalcedonis, quod *Quercus* dicitur, causam dicturus citatur: cumque is, quod eorum judicio juxta Canones obnoxius non esset, comparere merito detrectaret, A. 403. Episcopatu spoliatus, ac CPoli, jussu Arcadii, violenter expulsus, in Bithyniam ductus est. Sed orto populari tumultu, Regiaque Urbe terrae motibus concussa, postridie revocatus, faustas inter populi acclamationes CPolim ingressus est. Interim Chrysostomus, dum digna Episcopo libertate pravos abusus cohibere ac corrigere nititur, in odium Eudoxiae rursum incurrit, quod ludos, divinorum Officiorum tempore circa ejus statum haud procul ab Ecclesia S. Sophiae fieri solitos, improbasset.

Quare stimulante Augusta, urgentibusque iniquissimae sententiae praedatoriae Synodi ad Quercum executionem Severiano Gabalorum, Acacio Beroensi, Leontio Ancyrano, Ammonio Laodiceno, aliisque Episcopis conjuratis, et professis Chrysostomi hostibus, Arcadius Imperator Chrysostomum A. 404. Urbe Regia iterum expellit in exilium, substituto ei in Sede CPolitana Arsacio, et Cucusum deportari jubet. Obiit Vir Sanctissimus in urbe Pontica Comana tertio exsilii sui anno, quod frequenter ei commutatum fuerat, laboribus itinerum et aerumnis confectus, atque ad coelestem patriam a S. Basilisco Martyre pridie invitatus, A. 407. die XIV. Septembris.

Opera genuina S. Chrysostomi sunt, *Homiliae in Genesin*, *in Psalmos*, cujus tamen operis vix tertia pars ad nos pervenit, *in Isaiam in Matthaeum*, *Lucam*, *Joannem*, *in Actus Apostolorum*, *in Epistolas omnes S. Pauli*: *Homiliae ad populum Antiochenum XXI.*; reliquae enim LVIII. latinae tantum occurrunt, suntque centones et fragmenta e diversis Chrysostomi genuinis Homiliis collecta, *Homiliae aliae de variis ac diversis argumentis*, *de poenitentia*, *de Lazaro et divite*, *de eleemosyna*, *de anathemate*, *de laudibus S. Pauli*, *de SS. Meletio*, *Philogonio*, *Pelagia*, *Juvensino*, *et Maximino etc. Orationes contra Anomaeos*, *Judaeos*, *Quartodecimanos*, *Manichaeos*, *Novatianos*. *Epistolae complures ad diversos*, *Innocentium*, *Theodorum*, *Olympiam*, *Eutropium etc. Libri VI. de Sacerdotio*, *Libri III. adversus vituperatores Vitae Monasticae*, *Liber de comparatione Regis*, *et Monachi*, *Liberi III. ad Stagyrium a daemonem vexatum de Providentia Dei*, *Tractatus geminus ad Viduam juniorem*, *Opuscula II. de*

illicita cohabitatione Clericorum cum mulieribus, *et de avaritia*, *Liber contra Gentiles*, *seu in Babylam*, *Liber adversus Judaeos*, *et Gentiles*, *quod Christus sit Deus*, *Libri II. de Compunctione cordis*, *Libri II. de Orando Deum*, *Liber de Virginitate*, *Liturgia*. Suppostitia, sunt, et Chrysostomo abjudicanda, *Opus imperfectum in Matthaeum*, *Expositio Psalmi CI. CII. CIII. CIV. CV. CVI. CVII. CVIII. Homiliae plurimae in varios Veteris Testamenti locus*, *Homiliae XIV. in Marcum*, *Vita S. Gregorii Armenorum Apostoli*, *Epistola ad Caesarium Monachum*, *atque illa ad Cyriacum*. *Commentarius in Danielem* inter dubia Chrysostomi scripta numerandus venit. Opera omnia S. Chrysostomi Graece et Latine ediderunt *Fronto Ducaeus* S. J. Parisis A. 1621., et *Bernardus Montfauconius* O. S. B. ex Congreg. S. Mauri Parisiis A. 1718. Vol. XIII. in fol.

LVII. *Claudianus Mamertus*, Viennensis Ecclesiae Presbyter, et S. Mamerti Viennensis Episcopi, fratris sui, sive Chorepiscopus sive Vicarius Generalis, floruit circa A. 460; quo vero anno obierit, non liquet. Scripsit *Carmen contra varios errores, seu vanos Poëtas*, et Libros III. *de Statu animae*, Sidonio Apollinari, nondum tunc temporis Arvernorum Episcopo nuncupatos, adversus Faustum Rejensem, qui omnem substantiam creatam *corpus* nominandam esse docuerat, nomine corporis intelligens substantiam, quae non est infinita, immutabilis, et ubique tota, qualis est solus Deus. Verum pro uno Fausti errore de nomine, quem refutavit Mamertus, incidit in plures alios multo graviores, de quibus consuli possunt *Bollandi* Continuatores Tomo VII. Septembris in Vita S. Fausti Rejensis, pag. 663. Scripsisse dicitur etiam alia non nulla, inter quae et *Hymnum de Passione Domi-*

ni, cujus initium est, *Pange lingua gloriosi praelium certaminis.* Libros de statu animas edidit *Andreas Schottus* S. J. Antuerpiae A. 1617. et Tomo VI. Bibliothecae Maximae Patrum exhibentur.

LVIII. *Titus Flavius Clemens*, patria Atheniensis ut plerique volunt, Alexandrinae Ecclesiae Presbyter, ac magni Pantaeni, ex Stoico Philosopho Christiani, auditor, post ejus mortem Ecclesiasticam scholam Alexandriae tenuit, et Catecheseon Magister fuit, Vir omnium eruditissimus a S. Hieronymo vocatus in Epist. ad Magnum. Vixit sub Impp. Septimio Severo, Antonino Caracalla, Heliogabalo, usque ad initia Alexandri Severi, adeoque ad annum usque 222. Adamantium Origenem inter caeteros discipulos nactus est, qui et ipsi in munere obeundo successit. Scripsit *Stromatum libros VIII. Protrepticon, sive Orationem exhortatoriam ad Gentes, Paedagogi Libros III.* Reliqua omnia Clementis Opera injuria temporum perierunt; nempe *Liber de Paschate, Liber de Jejunio, Liber de Obtrectatione, Liber hortatorius ad patientiam, et ad nuper baptizatos, Liber de Canonibus Ecclesiasticis* Alexandro Jerosolymitano Episcopo nuncupatus, et Libri VIII. *Hypotyposeon*, quos ab haereticis saeculo III. aut IV. vitiatos fuisse valde verisimile est, quia teste *Photio* in Bibliotheca, Codice CIX. tam absona, sanae rationi ac Sacris Litteris contraria iis in libris occurrebant, ut omnino incredibile sit, a Clemente, viro doctissimo, atque a Veteribus adeo dilaudato, haec nugarum portenta scribi potuisse. Circumferuntur quoque ejus nomine praenotata in Bibliothecis Veterum Patrum, sed Latine dumtaxat. *Commentariola in priorem Canonicam S. Petri, in Epistolam S. Judae, et in Epistolas S. Joannis Apostoli.*

Opera omnia, quae supersunt Clementis Alexandrini, edidit Oxonii A. 1715. *Joannes Potterus*, Anglus, Oxoniensis Episcopus.

LIX. *S. Clemens*, Romanus, Faustini filius, B. Petri, Apostolorum Principis, discipulus, ejusdemque post Linum et Cletum in Romana Cathedra successor, ligata ad collum anchora in mare demersus, Martyr ad Chersonesum Tauricam occubuit anno Imp. Trajani tertio, Aerae Christianae 100. Indubitatum Clementis opus censetur ab Eruditis *Epistola* illa *ad Corinthios* scripta, quam *Patricius Junius* ex Bibliotheca Regis Britanniae A. 1633. Oxonii Graece et Latine edidit. Idem Junius *ex altera* Clementia *ad Corinthios Epistola*, quam complures ex Eruditis in dubium vocant, fragmentum subjecit, nullis quidem intercisum lacunis, sed gravibus foedatum mendis, ex eodem Codice descriptum. Reliqua, quae sub Clementis nomine circumferunt, supposititia sunt, et apocrypha; nempe *Epistolae duae ad Jacobum Fratrem Domini, et tres aliae ad diversos, Homiliae XVIII, Epitome de Gestis Petri, Constitutionem Apostolicarum libri VIII., Recognitionum libri X.* Graece scripti, atque a Rufino Aquilejensi Latine reddit, Clementis *Liturgia*, et *Canones Apostolorum*. Recognitionum et Constitutionum Apostolicarum libros, eaque quae sub Clementis nomine circumferuntur, *Joannes Baptista Cotelerius* Parisiis A. 1675. cum operibus Patrum edidit, qui temporibus Apostolicis floruerunt.

LX. *S. Thascius Caecilius Cyprianus* natione Afer, patria verisimiliter Carthaginensis, adhuc Gentilis Rhetorem egit mira eloquentia ac eruditione celebris. Ad Christi fidem Caecilii Presbyteri hortationibus et mo-

nitis adductus, perpetuam castitatem amplexus est, bonaque sua ac praedia in pauperes erogavit. Inde in virtutum et sacrarum Litterarum studium incumbens, Lectione librorum Tertulliani, et Minutii Felicis Dialogo, qui *Octavius* inscribitur, delectabatur. Non diu a suscepto Baptismo ob virtutis commendationem Presbyteratu initiatus, Donato Carthaginensi Episcopo A. 248. successor datur miro populi consensu. Fervente Decii persecutione insanis Gentilium clamoribus ad leonem postulatus, ut Ecclesiae suae bono consuleret, A. 250. fuga se subtraxit, quamvis ingenti Martyrii desiderio teneretur, atque e secessu suo Episcopatum strenue administravit, Mártyres ad certamen pro Christo strenue subeundum hortando, et Confessorum aliquot, Clericorumque in lapsis ad Ecclesiasticam pacem praepropere admittendis temeritatem tribus Epistolis acriter objurgando. Persecutione jam sopita, post XIV. exsilii mensem A. 251. Carthaginem reversus, Synodum de Lapsis habuit, in qua singulorum causis diligenter discussis, Libellaticos qui mox a lapsu poenitentiam egerant, e Synodi decreto mox ad pacem admisit; Sacrificatos vero non nisi post certum tempus pro gravitate delicti in poenitentia exactum; hac tamen cautione, ut si eo nondum expleto periculose decumberent, eodem beneficio nihilominus gauderent. In eadem Synodo Felicissimus Schismatis auctor, qui a S. Cypriano jam ante reditum suum e secessu Ecclesiastica communione privatus fuerat, cum quinque Presbyteris, eidem palam adhaerentibus, quos inter praecipuus erat Novatus, damnatus est, Actaque Synodalia Romam fuere transmissa. Novatiani Antipapae Legatos in Africam missos S. Cyprianus a sua communione rejecit, et a Caldonio ac For-

tunato, Afris Episcopis, qui Roma redierant, causam penitus edoctus velut haereticos damnavit, Cornelio Romano Pontifici legitime electo constanter adhaerens, scripto etiam ad Romanos Confessores, quorum aliqui Novatianum sequebantur, libro de Unitate Ecclesiae. Persecutione altera sub Valeriano et Gallieno Impp. exorta, ab Aspasio Paterno, Africae Proconsule, interrogatus, Christianumque, et Episcopum se esse professus, ejusdem jussu Curubim relegatur; ubi per annum commoratus, rebus Episcopatus sui dispositis, posteaquam novus Proconsul Galerius Maximus Carthaginem delatus est, in hortis Curubitanis captus, eidem Proconsuli sistitur; qui decretum ex tabella recitavit, ut Acta Proconsularia testantur: *Thascium Cyprianum gladio animadverti placet.* Passus est Sanctissimus Martyr in agro Sexti prope Cartaginem coram numerosissimo populo, die XIV. Septembris A. 258., exuta prius, qua indutus erat, Dalmatica, et aureis XXV. spiculatori suo numerari jussis. Quae in Controversia Baptismi, ab haereticis collati, Cyprianum inter et Stephanum Romanum Pontificem gesta sunt, uberius descripsimus Tomo VI. Theologiae Dogm. Polem. Num. CXLIX. CLXIV. et seq. Opuscula S. Cypriani Ecclesia maximo semper in pretio habuit, exceptis tamen iis, quae de haereticorum Baptismatis inanitate conscripsit, et in quibus errorem tutatus est.

Genuina S. Cypriani scripta sunt *Epistolae* variis temporibus ad diversos scriptae, *Liber de Disciplina et et habitu Virginum*, *Tractatus de Lapsis*, *Liber de Unitate Ecclesiae*, *Expositio Orationis Dominicae*, *Liber ad Demetrianum*, *Liber de Idolorum vanitate*, *De mortalitate*, *De opere et eleemosynis*, *De bono patien-*

tiae, *De Zelo et livore*, *De exhortatione Martyrii ad Fortunatum*, *Libri III. Testimoniorum contra Judaeos ad Quirinum*. Dubia Cypriani Opuscula sunt, *Liber de spectaculis*, *De Disciplina*, *De bono pudicitiae*, *De laude Martyrii ad Moysem*, *Oratio pro Martyribus*, *et alia in die Passionis suae*, *Liber ad Novatianum de spe veniae lapsis non neganda*. Supposititia sunt, et S. Cypriano perperam ab aliquibus adscripta, *Liber de Aleatoribus*, *Liber de montibus Sina et Sion*, *Carmina de Genesi*, *de Sodoma*, *ad Senatorem Apostatam*, *de Pascha Domini*, *Liber de singularitate Clericorum*, *Expositio in Symbolum Apostolorum*, quae Rufinum Aquilejensem authorem habet, *Liber ad Vigilium de Judaica incredulitate*, *Liber adversus Judaeos*, *qui insectati sunt Christum*, *Liber de XII. abusionibus saeculi*, *Liber de Rebaptismate*, *De revelatione capitis S. Joannis Baptistae*, *Ad Fortunatum de duplici Martyrio*, *Dispositio coenae*, *Liber de Cardinalibus Christi operibus*, ab Arnoldo, Bonae Vallis Abbate, scriptus, in quo ille agit de Nativitate, Circumcisione, Epiphania, Baptismo Christi, Jejunio ac tentationibus, Coena Domini, Ablutione pedum, Unctione chrismatis, Passione Christi, Resurrectione, Ascensione, ac Spiritu Sancto. Opera omnia S. Cypriani ediderunt *Jacobus Pamelius* Canonicus Brugensis Antuerpiae A. 1568., ac Parisiis A. 1574. *Nicolaus Rigaltius* ibidem 1648., *Stephanus Baluzius* itidem Parisiis, cui editioni Vitam S. Cypriani praefixit, et notas adjecit *Prudentius Maranus* O. S. B. *Joannes Fellus Oxonii* A. 1682. cum Annalibus Cyprianicis *Joannis Pearsonii*, Amstelodami recusa A. 1700. cum Dissertationibus Cyprianicis *Henrici Dodwelli*.

LXI. *S. Cyrillus* Theophili, Alexandrini Episcopi, nepos, tertia post Theophili mortem die eidem in Sede Alexandrina successit A. 412., mense Octobri. Episcopatus sui initio Novatianorum Ecclesias Alexandriae clausit, sacra earum vasa, atque ornamenta abstulit, et eorum Episcopum Theopemptum omnibus suis nudavit facultatibus; cujus Sectae injurias Socrates Novatianus homo iniquo in Cyrillum calamo styloque ultus est in Libris Historiae suae Ecclesiasticae. Judaeos, quod conspiratione facta Christianorum ingentem numerum trucidassent, Cyrillus ademptis Synagogis Alexandria expulit. Chrysostomi a decessore suo Theophilo damnati memoriam in Alexandrina Ecclesia restituit, S. Isidori Pelusiotae adhortationibus permotus; sicque sublata discordiarum causa pax inter Alexandrinam et Romanam, aliasque Occidentis Ecclesias coaluit. Vir fuit eruditissimus, et Catholicae Fidei egregius propugnator, praecipue adversus Nestorianam haeresin, quam primo in Alexandrina Synodo profligavit, ac dein in Generali Ephesina A. 431., cui nomine S. Coelestini Romani Pontificis praefuit, Apollinarismi perperam, et injuste a Theodoreto, Joanne Antiocheno, ac Nestorio accusatus. Vide Tomum I. Theol. Dogmat. Polem. Num. CCXX. et seq. Obiit S. Cyrillus Alexandriae die XXVII. Junii A. 444. Episcopatus sui XXXII., maximis pro Ecclesia Catholica laboribus perfunctus, cujus doctrinam, et sanctitatem coaevi Scriptores, duoque Oecumenica Concilia, Ephesinum, ac Chalcedonense, prolixe dilaudarunt. Sancti hujus Viri memoriam Ecclesia Latina celebrat die XXVIII. Januarii.

Joannes Aubertus, Laudunensis Ecclesiae Canonicus, et in Schola Parisiensi Laudunensis Collegii Ma-

gister, ac Interpres regius, genuina Opera omnia S. Cyrilli Alexandrini Parisiis edidit Graece et Latine A. 1638. in VI. Tomus distributa. Tomo I. continentur *Libri XVII. de Adoratione et cultu in spiritu et veritate. Glaphyra*, sive Commentaria scita et elegantia in *Pentatheucum* Moysis. Commentarius tamen in Liviticum abjudicandus est Cyrillo; quaecunque enim ex eo in exemplaribus nostris leguntur, ad verbum recusa sunt ex Origene. Tomo II. *Libri V. Commentariorum in Isaiam Prophetam.* Tomo III. *Commentarii in XII. Prophetas minores*, interprete *Jacobo Pontano* S. J. Tomo IV. *Commentariorum in Joannis Evangelium Libri XII.* Intermedii quatuor, nempe V. VI. VII. et VIII. periisse credebantur; ideoque *Jodocus Chlictoveus* Neoportuensis Theologus Parisiensis, ad immitationem Cyrilli ex S. Joanne Chrysostomo et aliis Patribus Graecis eos resarcire conatus fuerat, ut in editionibus Parisiensibus anni 1573., et 1605. leguntur. In nova autem hac Auberti editione Liber V. et VI. Graece et Latine primum prodierunt, una cum fragmentis Libri VII. et VIII. Tomo V. *Thesaurus de Sancta et consubstantiali Trinitate*, qui tamen integer ad nos non pervenit. *Dialogi IX. ad Hermiam de Sancta et consubstantiali Trinitate, de Incarnatione Unigeniti, et quod Christus sit unus ac Dominus secundum Scripturas. Scholia de Incarnatione Unigeniti. Homiliae XXX. de Festis Pascalibus. Homiliae XIV. de variis argumentis. Epistolae LXI. ad diversos de variis argumentis. Liber ad Theodosium Imp. de recta in Jesum Christum fide. Libri II. de recta fide* religiosissimi Reginis nuncupati. Tomo VI. *Libri V. Contraditionum adversus Nestorii blasphemias. Explanatio XII. Capitum*

Ephesi pronuntiata. Apologeticus pro XII. Capitibus adversus Orientales Episcopos. Liber adversus impugnationem XII. Capitum a Teodoreto editam ad Evoptium Episcopum. Apologeticus ad Theodosium Imp. Libri X. pro sancta Christianorum religione adversus Julianum Apostatam. Liber unus ad Calosirium adversus Antropomorphitas. Supposititia sunt: *Dicta Veteris Testamenti et S. Scripturae, interpretata anagogice, breviter et dilucide collecta a Cyrillo et Maximo. Homiliae XIX. in Jeremiam Prophetam*, quas Origenis esse existimant Eruditi. *Apologi morales. Liber de Sacrosancta Trinitate.*

LXII. *S. Cyrillus*, per annos aliquot in Eccl sia Jerosolymitana Catechistae munere functus, circa A. 350. post mortem S. Maximi Episcopi eidem in Sede Jerosolymitana suffectus est ab Arianis Palaestinae Episcopis, atque ab ipso Acacio, Caesareae Metropolita, Arianarum partium signifero; quod Cyrillum putarent ab Ario non admodum abhorrere, aut saltem eidem non acerbe adversaturum. At spe sua frustrati sunt. Quamvis enim Cyrillus vocem *homousios* pacis bono dissimulandam, ac reticendam putaverit, Filium tamen in substantia, ac per omnia Patri perfecte similem, adeoque verum esse natura ac substantia Deum constanter adversus Arianos propugnavit. (Vide dicta Tomo I. Theol. Dogm. Polem. Num. CVI.) Quare delusum se dolens Acacius, coacta Synodo Cyrillum A. 357. in ordinem redigit gemina de causa, quod is a Metropolita suo Caesariensi citatus comparere renuerit, quodque Ecclesiae suae thesauros famis tempore in egenos erogasset. Cyrillus Jerosolymis pulsus, Tarsi cum Silvano Episcopo vixit, in ejusque Ecclesia frequenter ad populum ser-

niones habuit, frustra per litteras reclamante Acacio. Anno 359. in Synodo Seleuciensi Acacio superior fuit, sed paulò post in Conciliabulo CPoli habito, renovatis prioribus calumniis, additisque novis, illum Acacius iterum deposuit Sub Juliano suae restitutus fuit Ecclesiae, ac sub Valente iterum pulsus. Tandem A. 379. sub Theodosio Seniore, fugatis adversariis, in Sedem suam reversus, octo annis inconcussum Episcopatum tenuit. Anno 381. Concilio CPolitano I. interfuit, a quo in integrum restitutus, et honorificentissimo elogio ornatus fuit, quod plurima variis in locis contra Arianos certamina subierit. Obiit Jerosolymis die XVIII. Martii A. 386., Sanctorum honores in Ecclesia adeptus. Scripsit *Catecheses XVIII.* quae Extemporaneae dicuntur *ad Illuminatos*, seu Competentes, aut Catechumenos, et V. *Mistagogicas* ad recens baptizatos, Opus insigne, validumque Orthodoxae veritatis propugnaculum, quo nostrorum temporum Sectarii, praecipue vero Sacramentarii, praedamnantur. Item *Epistolam* A. 350. *ad Constantium Augustum de signo lucidae Crucis Jerosolymis viso*: *Homiliam in Paraliticum*, *ad piscinam probaticam jacentem*. Epistolam nomine Cyrilli Jerosolymitani ad S. Augustinum, *De Miraculis S. Hieronymi* scriptam, quae inter Opera S. Hieronymi legitur, universa doctorum hominum natio tum ob insulsitatem, tum ob horrendum anachronismum Cyrillo abjudicat, qui XXXIII. annis ante Hieronymum obiit. Opera omnia S. Cyrilli Episcopi Jerosolymitani Graece et Latine ediderunt *Joannes Prevotius* Parisiis A. 1609., *Dionysius Petavius* S. J. Parisiis A. 1622., *Thomas Milles* Anglus Oxonii A. 1703., *Antonius Augustinus Touttee* O. S. B. e Congreg. S. Mauri Parisiis A. 1720.

D

LXIII.

S. *Damasus*, natione Hispanus, A. 366. Liberio Romano Pontifici successit. Ejus electio nefando Ursini, seu Ursicini Romani Diaconi schismate turbata est: is enim contra Damasum, legitimis electum suffragiis, ordinatus est Episcopus, et multos ex Clero, populoque Romano suas in partes pertraxit. Ex quo tam atrox orta est seditio, ut in Basilica Sicini uno die CXXXVII. cadavera reperta sint, teste *Ammiano Marcellino* Hist. Lib. XXVII. Cap. III. Qui ab Ursicino contra Damasum stabant, cum legitimam illius electionem convellere non possent, tam projecta fuere audacia, ut ad calumnias conversi sanctissimum virum adulterii accusarent, quem *S. Hieronymus* Epist. L. ad Pammachium, Virginem, Ecclesiaeque virginis Doctorem appellat: cujusque mores integerrimos antiqui Ecclesiasticae Historiae Scriptores, Socrates, Theodoretus, et Sozomenus pariter praedicant. S. Hieronymi opera usus fuit in conscribendis epistolis ad diversas consultationes ex diversis Ecclesiarum Conciliis, ad se Romam perlatas. Eumdem jussit Novum Testamentum Graecae fidei reddere. Romae plura celebravit Concilia, A. 371. quo Auxentium Mediolanensem, et Arianos damnavit, A. 375. Adversus Lucium, Alexandrinae Sedis invasorem, A. 377. contra Timotheum, et Apollinaristas, A. 378. contra Arianos, et Macedonianos, quorum haeresin ante Generale Concilium

CPolitanum I. praedamnavit. Obiit Romae prope octogenarius A. 384. die XI. Decembris, Pontificatus sui anno XVII. jam exacto, cujus elegans ingenium in componendis versibus celebrat *S. Hieronymus* Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis Cap. CIII., et multa quidem, sed brevia Opuscula Heroico carmine edidisse testatur. Extant hodiedum *sacra aliqua* ejusdem *poemata*, *et genuinae Epistolae octo*, una ad Paulinum Antiochenum, una ad Orientales, duae ad Acholium Thessalonicensem, duae ad S. Hieronymum, quae exstant etiam in veteribus libris inter S. Hieronymi Epistolas: una ad Episcopos Illyrici, una contra Apollinarium, et Timotheum. Aliae multae S. Damasi Epistolae, quibus Orientis, atque Occidentis Synodicis consulsationibus S. Pontifex respondit, injuria temporum interciderunt. *Isidorus Mercator* Epistolas quinque S. Damaso supposuit, unam ad Aurelium Episcopum Carthaginensem, unam ad S. Hieronymum, cujus initium *Dum multa etc.* unam ad Stephanum Mauritaniae Archiepiscopum, unam ad Episcopos omnes de Chorepiscopis, unam ad Italiae Episcopos de non accipiendis scripsit accusationibus. Librum quoque *Pontificalem*, seu de Romanis Pontificibus, S. Damasi genuinum non esse foetum et S. Hieronymi silentium, et squalida barbaraque scribendi ratio satis evincunt. Sancti Damasi Papae Opuscula cum notis *Marci Milesii Sarrazani*, aucta et illustrata Diatribis duabus, edita sunt Romae A. 1754. in folio.

LXIV. *S. Diadochus*, Photices in veteri Epiro, seu Illyrico, Episcopus, saeculo V. circa annum 460. floruit; Victor enim Vitensis, qui circa annum 487. Libros suos de Vandalica persecutione scripsit, in Prae-

fatione meminit Diadochi Episcopi, tamquam viri se antiquioris quidem, sed tamen adhuc coaevi. Teste *Photio* in Bibliotheca, Cod. CCI. et CCXXXI. scripsit centum capita *de Perfectione spirituali*, impressa Florentiae A. 1573., et Antuerpie A. 1575 Interprete *Francisco Turriano* S. J. *Interrogationum et Responsionum liber* non ad hunc, sed alium Diadochum juniorem, saeculi XI. scriptorem pertinet.

LXV. *Didymus* Alexandrinus, A. 308. natus, cum litteras discere inciperet, quadrimus oculorum lumen amisit. Verum quia excellenti erat ingenio, atque incredibili sapientiae amore flagrabat, humanas divinasque omnes disciplinas ita complexus est, ut prodigium hominis audiret, magnique fierent, ex omnibus provinciis doctorum hominum ad eum concursus. Scholae Alexandrinae praefectus maximorum virorum amicitia floruit, Athanasii, Antonii Abbatis, Eusebii Vercellensis, Hilarii Pictaviensis, Luciferi Calaritani, et Hieronymi, quem tempore aliquo Alexandriae discipulum habuit. Obiit A. 393. aetatis suae LXXXV., eo ex capite infelix, quod Origenis errores tueretur, proscriptus idcirco post mortem suam cum Origene, et Evagrio Pontico a Synodo V. Oecumenica, sive CPolitana II., atque a S. Martino I. Romano Pontifice in Concilio Lateranensi, Secretario, seu Actione V. Canone XVIII. Scripsit teste Hieronymo Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, *Commentarium in omnes Psalmos*, *Libros XVIII. in Isaiam*, *Libros III. in Oseam*, *Libros V. in Zachariam*, *Commentarios in Job*, *in Evangelium Matthaei*, *et Joannis*, *in Epistolam ad Galatas*, *Libros duos contra Arianos*, *Tractatum de Dogmatibus*, plurimaque alia injuria tem-

porum ac diuturnitate nunc deperdita, solo nobis relicto horum Operum desiderio. Naufragium evaserunt *Libri III. de Spiritu Sancto* a S. Hieronymo Latine redditi, atque illius Operibus inserti: item *Enarrationes breves in Epistolam Catholicam B. Jacobi, priorem Canonicam B. Petri, ac secundam, in tres S. Joannis, in Epistolam B. Judae, et fragmentum Libri contra Manichaeos*, quod *Henricus Canisius* Tomo V. antiquae Lectionis vulgavit ex interpretatione *Francisci Turriani* S. J., et *Combefisius* in Auctario suo recudit.

LXVI. *S. Dionysius Alexandrinus*, Origenis discipulus, vir fuit litteris undequaque excultus, qui insignem scientiam cum Christiana demissione ita conjunxit, ut posteris dubium reliquerit, magisne modestiae, an doctrine laude sit commendandus. Heraclae successit in Catechumenorum institutione, dum hic ad S. Marci Thronum post Demetrium evectus est: ac tandem eidem Heraelae successor datus in Sede Alexandrina A. 248. *Magni* cognomen ab omnibus fere antiquis Patribus Dionysio attributum est: quam appellationem sane illustrem adeptus est multis praeclare gestis, ac fortiter pro Christo toleratis sub Decio, Valeriano, Aemiliano; nec non Opusculis illis, quibus et Catholicam veritatem egregie asseruit, et haereticorum blasphemias acerrime confutavit. De divina Filii substantia eum perperam scripsisse putarunt non nulli, ita ut Arianam haeresin praeformasse videri potuerit. Verum calumniam illam ipse Dionysius in Apologia sua ad Dionysium Romanum Pontificem disjecit, eumque ab hac labe S. Athanasius doctissime vindicavit. Quae contra Novatianum, Sabellium, Nepotem, Paulum Sa-

mosatenum, aliosque haereticos edidit; quae ab eo recte sancita, et decreta sunt in Ecclesiae utilitatem, quae ad explananda Orthodoxa dogmata erudite elucubravit, immortalem viri sanctissimi memoriam toto orbe Christiano celeberrimam reddiderunt. Obiit A. 265. Episcopatus sui XVII. Latini eum in suis Martyrologiis colunt die XVII. Novembris, Copti XIV. Septembris. Exstat insignis ejus *Epistola adversus Paulum Samosatenum*, cui ad decem ejus Quaestiones adnexae sunt Responsiones eruditae: nec non *Epistola Canonica ad Basilidem Episcopum*, Interprete *Francisco Turriano* S. J. Romae A. 1608. Graece, et Latine edita, ac notis illustrata, dein Tomo III. Bibliothecae Maximae Patrum inserta. *Theodorus Peltanus* S. J. edidit Ingolstadii A. 1580. cum Victore Antiocheno *Epistolam* S. Dionisii *de Resurrectione Dominica, et Paschalis jejunii termino*. Plurima alia scripsit equidem Dionysius, teste S. Hieronymo in Lib. de Script. Ecclesiasticis, nempe *Epistolas septem Paschales*, *sex de Baptismo*, *complures de poenitentia*, *et varias ad diversos Libros*, *II. de Promissionibus adversus Nepotem*, *Aegypti Episcopum*, *Libros aliquot adversus Sabellium*, *Apologiam pro se Dionysium Romanum Pontificem etc.* quae tamen omnia modo deperdita sunt, praeter fragmenta aliqua, quae supersunt apud *Eusebium Caesariensem* Hist. Eccles. Lib. VI. et VII., et *S. Athanasium* in Lib. de sententia Dionysii Alexandrini, ac Lib. de Decretis Synodi Nicaenae.

LXXVII. *S. Dionysius Areopagita* praedicante Athenis S. Paulo Christianam fidem amplexus est. Hunc primum Atheniensium Episcopum constitutum fuisse

tradit Dionysius Corinthiorum Episcopus apud *Eusebium* Lib. III. Hist. Eccles. Cap. IV. et Lib. IV. Cap. XXII. Dionysium Areopagitam cum Dionysio, Parisiensium Episcopo ac Martyre, omnium primus perperam confudit Hilduinus Abbas saeculo IX. contra omnium veterum Martyrologiorum, ac Scriptorum Ecclesiasticorum fidem. Liquet enim ex *S. Gregorio Turonensi* Lib. I. Hist. Francorum, Cap. XXX. Dionysium Parisiensium Episcopum circa medium saeculi III. sub Decio Imperatore in Gallias missum fuisse: cui consonat *Sulpitius Severus*, qui Lib. II. Historiae Sacrae, persecutionem illam commemorans, in Lugdunensi, et Viennensi Gallia temporibus Antonini Veri saeculo II. excitatam, disertis verbis Martyres ante id temporis in Gallia nullos fuisse testatur. At vero qui Dionysii Areopagitae vitam longissime protrahunt, ad Hadriani usque tempora pervenisse volunt, alii sub Trajano, alii autem sub Domitiano perfunctum Martyrio scribunt. S. Dionysio Areopagitae a quibusdam tribuuntur *Libri de Hierarchia coelesti et Ecclesiastica*, *de Divinis Nominibus*, *de Theologia mystica*, *ac Epistolae X.*, quae omnia Graeco-Latine cum scholiis Maximi Martyris, et Georgii Pachymerae Paraphrasibus prodierunt Antuerpiae A. 1634. opera et studio *Balthasaris Corderii* S. J., Venetiis recusa A. 1755., atque ante illum Parisiis ediderat *Petrus Lansselius* S. J. A. 1615. At paulo eruditiores cum Petavio, Launojo, Morino, Noury, Fleurio, Labbeo, Papebrochio etc. nulla Dionysii Areopagitae extare Opera sentiunt, alterique, non Monophysitae quidem, ut *Le Quienius O. P.* eruditus Joannis Damasceni editor censuit, sed Orthodoxo antiquo Scriptori ad finem quinti, vel ini-

tium sexti saeculi adjudicant, quae sub Dionysii Areopagitae nomine circumferuntur, utpote Eusebio, Hieronymo, ac Gennadio penitus ignota, a nullo ex Patribus, qui Ecclesiam primis quinque saeculis scriptis suis illustrarunt, laudata; nec nisi A. 533. in Collatione CPoli habita inter Catholicos et Severianos primum producta, haereticis istis aliquid ex Dionysio Areopagita objicientibus, Hypatio autem Ephesino Episcopo qui Catholicam veritatem propugnabat, adversus ea falsi suspicionem injiciente.

LXVIII. *Dionysius*, a pusilla corporis statura *Exiguus* appellatus, natione Scytha, professione Monachus, Romam post mortem S. Gelasii circa finem saeculi V. delatus Monasterio cuidam ibidem praefuit. Linguarum Graece et Latinae tanta pollebat scientia, ut, cum legeret, aequali facilitate Graeca Latine, et Latina Graece redderet. Hinc multos ex Graeco Libros vertit, ac praeter alia, non publica equidem authoritate, et jussu Romani Pontificis, sed a Stephano Salonitano Episcopo rogatus, novam Ecclesiasticorum Canonum collectionem adornavit, in qua Apostolorum Canones omnium primus Latinos fecit, Nicaenos, Ancyranos, Neocaesarienses, Gangrenses, Antiochenos, Laodicenos, et CPolitanos, ex quibus priscus Graecorum Codex constabat, nova ipse sua interpretatione Latinos reddidit, cum vetus interpretatio confusione quadam laboraret. Propriam suam interpretationem etiam Chalcedonensibus Canonibus, quos Graeci suo Codici addiderant, adhibuit, vetere illorum interpretatione posthabita. Canones denique, qui Latine in ipsis Conciliis conscripti fuerant Sardicenses nempe et Africanos, in Codicem suum inseruit. Cum tamen Dio-

nysianus hic codex non publica authoritate concinnatus fuerit, sed privato hominis studio; neque approbatione donatus, nisi quoad interpretationem eorum Canonum, qui jam ante ab Ecclesia Romana probati fuerant; illud conficitur, ejus authoritatem ab ipsis monumentis, quae in illo Codice continentur, esse repetendam. Paulo post Julianus tituli S. Anastasiae Presbyter eidem auctor fuit, ut Romanorum Pontificum a Siricio ad Anastasium II. usque Decretales epistolas colligeret, easque in Codicem suum referret. Utraque haec *collectio Canonum Ecclesiasticorum*, et *Decretorum Romanorum Pontificum* Parisiis prodit A. 1661. in nova Bibliotheca Juris Canonici Veteris, cura et studio *Guilielmi Voelli* et *Henrici Justelli*. Idem Dionysius auctor fuit Aerae, qua hodie utimur, et annos a Nativitate Jesu Christi numeramus, abrogata Diocletiani Aera, quae etiam Matyrum dicta est. Hanc tamen Dionysianam Aeram minus exacte cum vero natali anno Christi congruere, sed annis quinque aut sex eumdem sequi, peritiores Chronologi contendunt. Scripsit etiam *Epistola duas de Cyclo Paschali* ad Petronium, et Bonifacium, editas in Appendice Operis *Dionysii Petavii* de Doctrina temporum. E Greco in Latinum sermonem transtulit *Epistolam S. Cyrilli, et Concilii Alexandrini adversus Nestorium*, quam *Justellus* Parisiis edidit A. 1661. in nova Bibliotheca Juris Canonici veteris. 2. *Librum S. Gregorii Nysseni de Opificio hominis*, quem *Joannes Mabillonius* O. S. B. exhibet Tomo II. Analectorum. 3. *Vitam S. Pachomii* ab *Heriberto Rosweido* S. J. editam Antuerpiae A. 1615. in Vitis Patrum. 4. *Epistolam S. Proterii Alexandrini Episcopi ad S. Leonem M. de Ratione*

Paschali, editam apud *Petavium* in Appendice de Doctrina temporum. 5. *Orationem S. Procli CPolitani de laudibus Sacrosanctae Dei Genitricis Mariae* adversus Nestorii balsphemias, et ejusdem *Epistolam de Fide ad Armenos*, Romae A. 1630. impressam in Collectione Operum S. Procli a Richardo Vincentio facta. 6. *Historiam inventionis Capitis S. Joannis Baptistae* a Marcello Abbate conscriptam, quam ad calcem Tractatus historici de Capite S. Joannis Baptistae subjecit *Carolus Ducangius* Parisiis A. 1665. Obiit Dionysius Exiguus Romae circa annum, 550., ab amicissimo sibi *Cassiodoro* Lib. de Divinis Lectionibus, Cap. XXII. prolixe dilaudatus.

LXIX. *Christianus Drutmarus*, Corbejensis in Gallia Coenobii O. S. B. Monachus, vulgo *Grammaticus*, natus in Aquitania, Graecis, Latinis, sacrisque litteris eruditus, edidit *Commentarios in Evangelium S. Matthaei* ad Monachos Stabulensis et Malmundariensis Coenobiorum, sub uno Abbate in Dioecesi Leodiensi consistentium, qui cum illius fragmentis *de Expositione in Evangelium S. Lucae, et S. Joannis* extant Tomo XV. Bibliothecae Maximae Patrum. Scripsit eo tempore, quo Bulgari ad Catholicam Fidem conversi baptizabantur, ut ipse significat Cap. LVI. Comment. in Matthaeum; adeoque saeculo IX. Ejus Opera a *Secerio* Lutherano Hagenoae edita sunt A. 1530. non absque suspicione fraudis, et interpolationis in iis, quae Eucharistiam spectant, ut probant *Sixtus Senensis* Annotatione CXII. Lib. VI. Bibliothecae Sanctae, et *Card. Perronius* Lib. II. de Eucharistia, Authoritate XXV.

LXX. *Dungalus*, Diaconus, Sandionysianus prope Parisios Monachus O. S. B. eruditus Theologus, floruit saeculo IX. sub Carolo Magno, ad quem *Epistolam de Eclipsi Solari* scripsit, editam Tomo X. Spicilegii *Dacheriani*: tum sub Ludovico Pio, ejusque filio Lothario Imperatoribus, quibus dicavit *Librum responsionum suarum de cultu SS. Imaginum, Reliquiarum et Sanctorum invocatione* adversus Claudii Taurinensis Episcopi sententias. Extat Tomo XIV. Bibliothecae Maximae Patrum.

E

LXXI.

Eginhardus, natione Germanus, sive ex Orientali Francia oriundus, a Carolo Magno Imperatore Secretarii primum, dein Archicapellani, quae vox aevo illo supremum Cancellarium denotabat, ac Praefecti Regiorum aedificiorum in Aquisgranensi Palatio ornatus, anno 806. Romam a Carolo missus est, ut Testamentum, quod ipse Imperator de partitione Regni inter filios condiderat, Leonis III. Romani Pontificis manu subscriberetur. Emmam uxorem habuit, foeminam, genere et virtute illustrem. Eam fuisse filiam Caroli Magni, quam furtivis amoribus deperierit Eginhardus; ad quam per noctem deportatus, ab insomni Principe fortuito deprehensus fuerit, et venia impetrata, eam uxorem acceperit, putidissimum est commentum Scriptoris Chronici Laurishemiensis, quatuor ferme saeculis Eginhardo posterioris. Conjuges hi no-

bilissimi continentiam dein mutuo consensu professi, villam Michlenstatt, sitam in Germaniae sylva Ottonica, vulgo Odenwald, Monasterio S. Nazarii tradiderunt. Tum Eginhardus Abbatiae Fontanellensi, Fossatensi, ac Blandiniensi praepositus, in villa Mülenheim, quae postea Seligenstatt ad Moenum fluvium dicta est, Ecclesiam, et Monasterium aedificavit in memoriam SS. MM. Petri et Marcellini, quorum corpora obtinuerat. Ibi Regulam S. Benedicti professus, primus Monasterii, a se erecti, fuit Abbas, ibique tumulo illatus est, posito ei a Rabano Mauro epitaphio. Quo anno obierit exploratum non est. Quidam mortem ejus affigunt anno 839., alii 843., alii demum anno 844. Scripsit eleganti ac nitido stylo *Vitam Caroli Magni Imperatoris*, quae, ut innumeras alias editiones silentio praeteream, extat in Actis SS. Tomo II. Januarii ad diem XXVIII., observationibus *Joannis Bollandi S. J.* illustrata, quamque additis suis aliorumque doctorum virorum notis exactissimam edidit Trajecti ad Rhenum A. 1711. *Joannes Hermannus Schminckius*. Idem scripsit etiam *Historiam de Translatione et Miraculis SS. MM. Marcellini et Petri*, quam *Bollandi* Continuatores exhibent in Actis SS. Tomo I. Junii, ad diem II. ejusdem mensis. *Annales Regum Francorum, Pipini, Caroli Magni, ac Ludovici Pii*, ab anno Christi 741. ad annum usque 829., qui etiam *Annales Laurishemienses* dicuntur, quod eos Cointius a Laurishemiensi quodam Monacho conscriptos fuisse propugnet, Andreas Duchesnius, Joannes Mabillonius, aliique, ac nuper etiam *Henricus Schuz*, S. J. in Diatriba praeliminari Commentarii Critici Ingolstadii A. 1761. verisimilius Eginhardo adscribunt.

Edidit illos cum LXII. Eginhardi Epistolis *Andreas Duchesnius* Tomo II. Historiae Francorum Parisiis A. 1636. *Libellus de adoranda Cruce*, quem sibi ab Eginhardo nuncupatum fuisse testatur *Lupus* Abbas Ferrariensis Epistola IV., interiit.

LXXII. *S. Eligius*, patria Lemovix, e villa Cataliacensi, Aurifaber primum Dagoberto I. Francorum Regi charissimus, defuncto Achario Noviomensi seu Veromandensi Episcopo suffectus est, et Rothomagi die XIV. Maii A. 640. consecratus. Interfuit Concilio Cabilonensi III. A. 644., admirandaque vitae suae sanctitate quam plurimos amplissimae suae Dioecesis Infideles ad Christianam Religionem, et peccatores inveteratos ad poenitentiam, ac meliorem frugem perduxit, ut *S. Audoenus* Rothomagensis Episcopus, S. Eligio amicissimus, in ejus Vita testatur. Obiit A. 659. I. Decembris, quo ab Ecclesia inter Sanctos colitur. Praeter *Homilias* XVI. de diversis argumentis, quae extant Tomo XII. Bibliothecae Maximae Lugdunensis, habetur inter *Desiderii* Cadurcensis Episcopi, atque ad Desiderium datas epistolas, una S. Eligii *Epistola*, et in Appendice Tomi VI. Operum S. Augustini Maurinae editionis *Sermo ad plebem*, seu *Tractatus de rectitudine Catholicae Conversationis*, revera est S. Eligii, ut ex ejus Vita a *S. Audoeno* scripta Lib. II. Cap. XVI. plane constat. Illud tamen fatendum est, Homilias VIII. et XV. non esse S. Eligii, sed ab alio quodam consarcinatas non modo ex antiquioribus, sed etiam Eligio posterioribus saeculi VIII. et IX. scriptoribus.

LXXIII. *S. Magnus Felix Ennodius* A. 473. ex nobilissima stirpe progenitus est; inter propinquos enim

affinesque suos numeravit Faustum, Boetium, Avienum Exconsules, Caesarium Arelatensem, et Aurelianum Episcopos, Senarium, Florianum, Olybrium, et alios genere atque honoribus clarissimos. Sedecim annos natus, amitae, quae ipsum aluerat, solatio destitutus, subsidium per nuptias nactus est, uxore ducta praedivitis ac nobilissimae foeminae filia, ex qua prolem sustulit, ejusque opibus deinceps abundavit. Post haec, relicta mature saeculi militia, in sacram adscriptus, atque inter Diaconos a S. Epiphanio, Ticinensi Episcopo, relatus est, uxore itidem ad religiosae vitae cultum pari studio conversa. Humanioribus litteris apprime excultus, magnam nominis famam consecutus est Apologetico praecipue, et Panegyrico: quorum altero Theodoricum Italiae Regem publice laudavit, altero Symmachi Papae, Synodique Romanae causam tanta cum approbatione defendit, ut a Synodo universa honorificentissimo elogio, decretoque ornatus fuerit. Anno circiter 510. S. Maximo Ticinensium Episcopo successor datus est, et ab Hormisda Romano Pontifice A. 515., atque iterum A. 517. Orthodoxae fidei causa ad Anastasium Imperatorem CPolim missus; sed in utraque Legatione subdoli Principis vesania irritus fuit eventus, spectata fides, et virtus Ennodii: quem frustra tentatum Anastasius, cum flecti ad sententiam suam non posse cerneret, indignis modis vexatum, rimosoque ac fragili navigio impositum contumeliose dimisit. Reversus ad Ecclesiam suam paulo post excessit e vita anno aetatis suae XLVIII., Chrsti 521., die XVII. Julii, Sanctorum honores in Ecclesia promeritus. Scripsit *Libros IX. Epistolarum ad diversos, Carminum et Epigrammatum Libros II.*

Dictiones XXVIII., quas inter Sacrae sunt VI. Scholasticae VII. Controversiae X. Ethicae V., *Opuscula Miscella X.*, *nempe Panegyricum Theodorico Ostrogothorum in Italia Regi dictum*, *Libellum Apologeticum pro Symmacho Papa et Romana Synodo*, *Vitam S. Epiphanii Ticinensis Episcopi*, *Vitam S. Antonii Monachi Lerinensis*, *Eucharisticon de vita sua ad Elpidium*, *Paraenesin didascalicam Ambrosio et Beato*, *Praeceptum de Cellulanis Episcoporum*, *Petitorium*, *quo absolutus est Gerontius*, *Benedictionem Cerei Paschalis I. et II.* Opera omnia S. Ennodii eruditis notis illustrata ediderunt *Andreas Schottus* S. J. Tornaci A. 1610., et *Jacobus Sirmondus* S. J. Parisiis A. 1611.

LXXIV. *S. Ephraem*, Nisibi in Mesopotamia natus, Professione Monachus, atque Edessenae Ecclesiae in Syria Diaconus, dein a S. Basilio Magno Presbyteratu initiatus, saeculo IV. floruit. Ejus virtutes, sanctimoniam, ac doctrinam celebrarunt S. Basilius, S. Gregorius Nyssenus, S. Hieronymus, S. Chrysostomus, Theodoretus, Sozomenus, aliique eorum temporum Scriptores tantum non omnes, qui eum Orbis Magistrum, atque Ecclesiae Euphratem appellarunt, ejusque scripta post divinas Scripturas in multis Ecclesiis publice legi testati sunt. Graecas litteras quamvis non attigisset, multiplices tamen Graecorum errores confutavit, Catholicae veritatis propugnator acerrimus, et Asceseos Magister peritissimus, Hortator perpetuus ad poenitentiam, jejunia, et lacrymas; ad Dei timorem; ad mortis, judicii, et inferorum memoriam. Obiit vir sanctissimus die I. Februarii A. 379. Syriace scripsit quam plurima, quorum aliqua, ab anti-

quo interprete Graece versa, extabant, alia vero nuper e Syriacis Codicibus in apricum prolata sunt: nempe *Explanationem in Genesin*, ac plerosque *divinarum Scripturarum Veteris Testamenti libros*, *Sermones Exegeticos in Scripturam*, *Sermones de Nativitate Domini*, *Sermones adversus haereses*, *Sermones polemicos LXXXVII. de Fide adversus scrutatores*, *Sermonem adversus Judaeos*, *Necrosima seu funebres Canones*, *Paraenetica seu LXXVI. adhortationes ad poenitentiam*, *Sermones XII. de Paradiso Eden*, *Sermones XVIII. de Diversis*, *Sermones de Virtutibus et vitiis*, *Reprehensionem sui ipsius*, *Sermonem Asceticum ad imitationem Proverbiorum*, *De Compunctione animi*, *De passionibus animi*, *In secundum Adventum Jesu Christi*, *De Perfectione hominis*, *Institutionem ad Monachos*, *Testamentum suum etc.* S. Ephraem Opera omnia Latine prodierunt Romae opera et studio *Gerardi Vossii* Praepositi Tungrensis A. 1593., tum Coloniae A. 1603., et Antuerpiae A. 1619. recusa: Graece tantum prodierunt Oxonii A. 1704. Syriace, Graece, et Latinae in VI. Volumina distributa, Romae A. 1737. studia *Petri Ambarachii*, seu *Benedicti* S. J. e Gente Maronitarum, et *Stephani Evodii Assemani* Archiepiscopi Apameensis, nitidissimis typis excusa.

LXXV. *S. Epiphanius*, Eleutheropoli, Palaestinae oppido, natus circa A. 308., in prima aetate delapsus in Gnosticorum consortium, citra noxam tamen ex eorum illecebris evasit. Primam Monastici instituti exercitationem in Aegypto suscepit, ibique ad vigesimum usque aetatis annum permansit, donec ad Eleutheropolitanam regionem reversus Monasterium in

ea condidit, S. Hilarioni frequenti conversatione familiaris. Sub Valente Imperatore A. 368. creatus est Constantiae, seu Salamine in Cypro Episcopus; vir enim erat pietate, reliquisque virtutibus Christianis ornatissimus, Hebraice, Syriace, Aegyptiace, Graece, ac Latine doctus, atque idcirco a D. Hieronymo, cui amicissimus erat, πενταγλωττος appellatus, seu quinque linguarum peritus. A Theophilo Alexandrino circumventus, paulo iniquiori fuit animo erga S. Joannem Chrysostomum, cujus communionem CPoli est aversatus, quamdiu Origenis laudatores foveret; ex abundantia zeli humanum aliquid passus, cujus ipsum cito poenituerit. Obiit in maritimo itinere, dum CPoli in Cyprum rediret, A. 403. Colitur ejus memoria ab Ecclesia die XII. Maii, qua Sancti viri corpus finita navigatione in Cypro est depositum. Genuina S. Epiphanii Opera sunt *Panarium*, insigne Opus adversus LXXX. Haereses, *Anchoratus*, sive Sermo de fide, de SS. Trinitate, et de Spiritu Sancto contra Macedonianos, *Epitome*, seu Anacephalaeosis Panarii, *Liber de Mensuris et ponderibus*, *de asterisco et obelo*, ad intelligentiam eorum, quae de his in Scriptura reperiuntur, *Epistola seu Apologia ad Joannem Jerosolymitanum Episcopum*, *Physiologus*, *Liber de duodecim gemmis, quae erant in veste Aaronis*, *Ejusdem libri Epitome de duodecim lapidibus Rationali Sacerdotis infixis*. Contra supposititia ab Eruditis censentur, *Liber de Vita Prophetarum, eorumque obitu, et sepultura*, in quo, judice Petavio, sexcentae sunt mendaciorum nugae, et Thalmudica commenta, *Orationes VIII.*, nempe *in Christi sepulturam*, *in Christi Resurrectionem*, *de Christi Assumptione*, *de laudibus*

B. Mariae Virginis, *de Numerorum Mysteriis*, *de Christi Resurrectione*, *et duae in festum Palmarum*. S. Epiphanii Opera omnia ex veteribus codicibus recensuit, pleraque Latine vertit, doctissimis animadversionibus illustravit, ac Tomis duobus Graece simul ac Latine excudenda curavit Parisiis A. 1622. *Dionysius Petavius* S. J.

LXXVI. *Evagrius*, ortus ex urbe Epiphania in secunda Syria A. 537., Antiochiae causas egit, *Scholasticus* idcirco dictus, magnamque eo in munere famam consecutus est. Nomine Gregorii Antiocheni Episcopi scriptas *Orationes*, *Relationes*, *Epistolas*, *Disputationes*, in unum volumen congessit, quod nunc amplius non extat, Tiberio Constantino imperante, a quo propterea Questurae dignitate donatus est. Nec multo post cum Orationem de laudibus Mauritii Augusti ob Natalem Theodosii Principis composuisset, codicillos Praefecturae ab eodem Mauritio accepit, ut ipse in Epilogo historiae suae testatur. Edidit postea Libros VI. *Historiae Ecclesiasticae*, exorsus ab iis temporibus, in quibus Theodoretus, ac Socrates desierant, id est, ab Ephesina Synodo, sive anno 431., eamque ad XII. annum Mauritii Imperatoris perduxit, qui fuit annus Christi 594. Officiorum dignitas, quibus praefuit, non parum adjumenti attulit, ut pleniorem sibi rerum gestarum notitiam compararet. Evagrii Historiam inter reliquos Historiae Ecclesiasticae Scriptores, Eusebium nempe, Socratem, Sozomenum, et Theodoretum, Latine edidit *Joannes Christophorsonus* Episcopus Cicestrensis Lovanii A. 1570., Coloniae dein recusam A. 1581.; Latine vero et Graece adnotationibus illustratam *Henricus Valesius* Parisiis A. 1668.;

quae Academicis typis iterata est Cantabrigiae Anno 1720.

LXXVII. *S. Eucherius*, ex clarissimo Senatorum sanguine progenitus, demortua uxore, ex qua duos liberos susceperat, Salonium, ac Veranium, Viennensis, ac Lugdunensis Ecclesiae postea Episcopos, veram Christi philosophiam in Lerinensi Monasterio amplexus est; tum vero in proximam Leronis insulam, quae *S. Margarethae* hodie nuncupatur, vitae anachoreticae studio secessit cum Salonio filio, annos tantum decem nato. Lugdunensis Episcopus creatus A. 434. Ecclesiam illam sanctissime gubernavit ad annum usque 449., quo, teste S. Prospero in Chronico, ad Superos abiit. Cum hoc permiscendus non est alter *S. Eucherius* ejusdem Ecclesiae Lugdunensis Episcopus, S. Viventioli successor, qui S. Caesario Arelatensis coaevus, et familiaris, subscripsit Concilio Arelatensi IV. A. 524., Carpentoractensi A. 527., et Arausicano II. A. 529. S. Eucherii Senioris genuina sunt Opuscula, *Epistola de contemptu mundi ad Valerianum*, cognatum suum, *Epistola de laude Eremi ad* S. Hilarium Arelatensem, *Liber formularum spiritualis intelligentiae cum praefatione* ad Veranum filium, postea Episcopum Lugdunensem, *Libri II. Instructionum* ad Salonium alterum filium, postea Episcopum Viennensem. Scripsisse etiam dicitur *Compendium Collationum*, *et Institutionum Joannis Cassiani*, *et Homilias aliquas*, quae hactenus sub nomine *Eusebii Emisseni*, aut Gallicani apparuerunt. *Historia passionis SS. Mauritii et Sociorum* Legionis Thebaeae, Agauni in Sedunis jussu Maximiani Imperatoris interemptorum, ad Sylvium Episcopum, quam *Laurentius Su-*

rius edidit in Vitis Sanctorum ad diem XXII. Septembris, alterutrius est Eucherii. Neutrius vero *Commentarii in Genesim*, *et Libros Regum*, qui Bibliothecis Patrum Eucherii nomen adscriptum habent. Nam eorum Author S. Gregorium M. laudat, et S. Augustini Anglorum Apostoli meminit; adeoque patriam suam, aetatemque utroque recentiorem Eucherio palam indicat. Opera S. Eucherii edidit Romae *Paulus Manutius* A. 1564., *Vincentius Barralis* Lugduni A. 1613., *Andreas Schottus* S. J. Coloniae 1618., extantque Tomo VI. Bibliothecae Maxime Lugdunensis.

LXXVIII. *S. Eulogius*, Monachus, et Presbyter Antiochenus, circa annum 579. Alexandrinus Patriarcha electus, haereticos Novatianos, Agnoitas, Eutychianos, Theodosianos, et Gajanitas confutavit, multosque ex illis ad amplectendam Catholicam fidem permovit; maximis a S. Gregorio M. Romano Pontifice laudibus celebratus, quocum amicitiam jam CPoli contraxerat, cum ille, Romanae Ecclesiae tunc Archidiaconus, in Urbe Regia versaretur. Obiit A. 605. vel 606. doctrina et sanctitate conspicuus, cujus memoriam Ecclesia colit die XIII. Septembris. Scripsit *Libros VI. adversus Novatianos*, *Libros II. adversus Eutychianos* pro Epistola S. Leonis ad Flavianum, et Concilio Chalcedonensi, *Orationem invectivam adversus Gajanitas*, *et Theodosianos*, *Decretum in Samaritanos*, ac praeterea *Orationes XI. de fide sua ad Pelagium II.*, *contra Agnoitas*, *Eutychianos*, *de Vita Monastica etc.* Verum haec omnia dudum jam exciderunt, exceptis fragmentis iis, quae *Photius* Bibliothecae suae inseruit, et quae *Combefisius* in Operibus S. Maximi Martyris Tomo II. pag. 145. dedit, nem-

pe S. Eulogii *capita VII. de duabus in Christo Domino naturis. Homilia* vero *in ramos Palmarum et in pullum asini*, quam *Combefisius* in Auctario Patrum Tomo I. pag. 671, et Bibliotheca Maxima Lugdunensis, Tomo XII. exhibent, S. Eulogio indubitanter adscribi nequit.

LXXIX. *S. Eulogius* Cordubensis Presbyter, Archiepiscopus Toletanus electus est saeculo IX., sed, nescio quo eventu, impedita fuit ejus consecratio. In persecutione Arabica a Saracenis, qui Cordubae in Baetica sedem regni constituerant, post plures alios Martyrio coronatus est die XI. Martii A. 859. Scripsit *Memoriale Sanctorum*, seu *Libros III. de Martyribus Cordubensibus*; *Apologeticum pro Martyribus* contra Reccafredum, aliosque, qui dicebant, plus Hispaniae obesse, quam prodesse Martyres, *Exhortationem ad Martyrium* Florae et Mariae Christi Virginibus inscriptam, et *Epistolas* aliquot ad Willisindum, Pampilonensem Episcopum, ad Alvarum, aliosque. Opera haec S. Eulogii Martyris scholiis illustrata edidit Compluti A. 1574. *Ambrosius Morales* Cordubensis Presbyter, ac Regius Philippi II. Historiographus, extantque Tomo XV. Bibliothecae Maximae Lugdunensis.

LXXX. *Eusebius*, extremis Gallieni Imperatoris temporibus in Palaestina natus, Dorothei Eunuchi, Antiocheni Presbyteri, in sacris litteris fuit auditor. Ab Agapio Caesareensi Episcopo in Clerum adscitus, arctam adeo amicitiam iniit cum Pamphilo Caesareensis Ecclesiae Presbytero, ac postea Martyre in persecutione Diocletiani, ut Pamphili cognomentum eidem adhaereret. Caesareae in Palaestina Metropolitanus Episcopus post Agapii mortem Ecclesiae illi praefuit ab anno Chri-

sti circiter 315. ad annum usque 340., quo obiisse perhibetur. Non Arianarum dumtaxat partium studio, sed occulta ante et post Nicaenum Concilium in Arianae haereseos assertionem conspiratione Eusebium jure dici Arianorum principem et signiferum, aperte indicant tum complures loquendi formulae, Arianum pus olentes, quae spectato Eusebii ingenio et moribus exponi nequeunt Orthodoxo sensu, quidquid dicant Socrates, Gelasius Cyzicenus, Halloixius, aliique ejus defensores: tum malignum illius silentium in Historia Ecclesiastica, quam ad Nicaenum usque Concilium producere noluit, quamvis illustrius argumentum vix proponere sibi potuerit, quam assertam et vindicatam Christo, Religionis nostrae Authori, in celeberrimo illo Episcoporum conventu Divinitatem: tum etiam gravissima Patrum et Conciliorum authoritas, nempe *S. Athanasii* in Libro de Decretis Synodi Nicaenae, Concilii *Alexandrini* in Epistola Synodica apud S. Athanasium Apologia II., et *Sardicensis* in Epistola Synodica ad omnes Episcopos, *S. Hieronymi* Lib. I. Apologiae adversus Rufinum, et Epist. LXV. ad Pammachium, et Oceanum, *S. Hilarii* in Libello ad Constantium Augustum, *S. Epiphanii* Haer. LXVIII, *Theodoreti* Lib. I. Hist. Eccles. Cap. XXI. Concilii *Nicaeni* II. Act. V. et VI., *Photii* in Bibliotheca etc. Assensum quidem ille praebuit Nicaeno Concilio, Filium Patri Consubstantialem esse decernenti; sed simulato plane animo subscripsit, ne ob pervicaciam in tuendo errore Constantini Imperatoris gratia excideret, suoque spoliaretur Episcopatu, data occasione foedera cum Arianis firmaturus. Quod eventu demonstratum est. Neque Ecclesia Catholica Eusebio Caesareensi umquam Sanctorum honores detulit; licet Ecclesia par-

ticularis Lemovicensis in hunc errorem aliquando impegerit, et Usuardus, aliique Martyrologiorum Scriptores saeculo IX. per errorem nomen illius Sanctorum fastis inscripserint ad diem XXI. Junii, quo Ecclesia non Eusebium Pamphili, sed S. Eusebium Samosatenum Episcopum et Martyrem collit, aut S. Eusebium Caesareensem in Cappadocia Episcopum, S. Basilii Magni decessorem.

Quam plurima scripsit Eusebius Caesareensis, atque ut *S. Hieronymus* ait Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, Cap. XCI. infinita volumina, quorum aliqua hodiedum extant, alia interierunt. Ac I. quidem *Chronicon*, quod perduxit a nativitate Abrahami ad annum tertium Olympiadis 376, Aerae Christianae 326. a S. Hieronymo Latine redditum, multisque auctum, ad Romanam Historiam spectantibus, atque ab anno 326. ad annum usque 379. continuatum. Absolutissimam Chronici hujus editionem adornarunt *Arnaldus Pontacus* Episcopus Vasatensis Burdigalae A. 1605., et *Josephus Scaliger* Lugduni Batavorum A. 1606. 2. *Libros XV. de Evangelica Praeparatione* ad Theodotum Episcopsum insigne plane Opus, quod Graece et Latine editum fuit Parisiis A. 1628. ex tersissima et castigatissima interpretatione Francisci Vierii Rothomagensis S. J. 3. *Libros XX. de Evangelica Demonstratione*, quorum X. dumtaxat supersunt, Graece et Latine Parisiis editi A. 1628. 4. *Historiae Ecclesiasticae Libros X.* a Christi adventu ad annum usque Constantini XX., Christi 325, quam Rufinus Aquilejensis in Latinam linguam vertit, additis detractisque pro libito variis narrationibus, et in Libros IX. contraxit, adjunctisque de suo duobus libris ad sua usque tempora continuavit. Joannes *Christophorsonus*, Episcopus Cicestrensis, novam interpretationem molitus est, qua lon-

ge perfectiorem castigatioremque dedit Henricus Valesius Parisiis A. 1668. 5. *Libros IV. de Vita Constantini Magni*. 6. *Orationem in laudem Constantini M.* ad XXX. illius Imperatoris annum. 7. *Onomasticon* urbium et locorum Sacrae Scripturae, a S. Hieronymo primum Latine versum, dein in commodiorem ordinem redactum, et variis additionibus auctum, a Jacobo Bonfrerio S. J. Parisiis A. 1631. Graece et Latine editum. 8. *Librum adversus Hieroclem*, qui Apollonium Thyanaeum Magum Christo comparare ausus fuerat. 9. *Libros V.* quorum duo priores *adversus Marcellum Ancyranum* inscribuntur, alii tres adversus eumdem *de Ecclesiastica Theologia*. Edidit illos Parisiis A. 1628. Latinitate donatos, et notis illustratos Richardus Montacutius Pseudo-Episcopus Cicestrensis. 10. *Decem Canones de consonantia quatuor Evangeliorum*, quos cum ejusdem epistola ad Carpianum edidit *Robertus Stephanus*, et Graecae, quam curavit, Novi Testamenti editioni praefixit Parisiis A. 1550. 11. *Apologiam pro Origene*, a Rufino Latine versam, quae in Appendice Operum S. Hieronymi extat. 12. *Vitam S. Pamphili Martyris*. Ejusdem Eusebii Opuscula XVI. ex Codicibus MSS. Herivallensis Abbatiae, et Compendiensis, sexcentorum facile annorum, edidit Parisiis A. 1643. Jacobus Sirmondus S. J. Latine tantum ex veteri interpretatione, cujus auctor ignoratur. Ea sunt: *Libri II. de Fide adversus Sabellium. Libri de Resurrectione. De eadem, et de Ascensione Domini. De incorporali et invisibili Deo. De incorporali. De incorporali anima. De Spirituali cogitatu hominis. Quod Deus Pater incorporalis sit. De eodem. De eo quod dicit Dominus*, Non veni pacem mittere in terram. *De mandato Domini*, Quod dico vo-

bis in aure, praedicate super tecta. *De Operibus bonis et malis. De Operibus bonis*, ex Epistola S. Pauli ad Cor. II. *Bernardus Montfauconius* O. S. B. Tomo I. novae Collectionis Graecae et Latinae Patrum et Scriptorum Graecorum Parisiis A. 1700. edidit Eusebii Caesareensis *Commentarium in Psalmos C. et XVIII. atque in Isaiam Prophetam*, ex MSS. Codicibus excerptum. Plurima alia scripsit Eusebius vir eruditissimus, veterumque librorum pervestigator diligentissimus, posterorum incuria, et injuria temporum deperdita, quae inter numerandi veniunt *Libri XXX. adversus Porphyrium. Expositio in Cantica Canticorum*, quam *Joannes Meursius* A. 1617. Lugduni Batavorum edidit praefixo Eusebii nomine, ab Eruditis eidem abjudicatur, quod centonis instar consuta sit ex Scriptis Auctorum Eusebio posteriorum, nempe Athanasii, Gregorii Nysseni, Didymi, Philonis Carpathii, etc.

LXXXI. *Eusebius*, Edessae in Mesopotamia nobili stirpe natus, ab Arianis Episcopis, Patrophilo Scythopolitano, et Eusebio Caesareensi, sacris litteris imbutus, Arianae factioni addictissimus fuit, a qua ad Emesenas insulas in Syria, sive Phoenicia, temporibus Constantii Imperatoris promotus est. Obiit circa annum 360. Antiochiae sepultus. Teste *S. Hieronymo* lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, Cap. CI. plurima scripsit, quorum tamen nihil ad nos pervenit; nempe *adversus Judaeos, Gentiles, Novatianos, Commentarium in Epistolam ad Galatas*, et plurimas breves *Homilias* in Evangelia. Quae tamen hactenus sub illius nomine vulgatae sunt, et ante septingentos annos a *Guitmundo* Aversano sub finem Libri III. adversus Sacramentariorum parentem Berengarium, ac postea a *Gratiano* Di–

stinct. II. allegatae, Auctoris sunt Latini, et ad Syrum Eusebium nullatenus pertinent. S. Bruno Signinus Episcopus eas, quae in Evangelia totius anni circumferuntur, et de Tempore, ac de Sanctis dici solent, sibi merito vindicat. Aliae vero paulo plus quam quinquaginta, quae supersunt de variis argumentis, communi Eruditorum judicio ex Eucheri Lugdunensis, Fausti Rejensis, ac Caesarii Arelatensis penu depromptae videntur. Quin plurimae ipsarum in Gallia pronuntiatae sint, dubitari non potest; cum de Martyribus Lugdunensibus non nullae, de S. Genesio Arelatensi, de S. Maximo Rejensi, de Lytania triduana, a S. Mamerto Viennensi illis temporibus instituta, aliae inscribantur: et hic Author se discipulum, et filium S. Maximi, secundi Abbatis Lerinensis, et Episcopi Rejensis asserat. Praeterea ipse stylus Latinum, non Graecum fuisse Authorem aperte indicat. Extant Homiliae illae Tomo V. Bibliothecae Coloniensis Veterum Patrum, cura et studio Andreae Schotti S. J. recensitae, ac Sermonibus locupletatae.

LXXXII. *S. Eusebius*, natione Sardus, ob eximiam vitae sanctitatem ex Lectore Romano Vercellensis Episcopus creatus, primus in Occidente vitam Clericalem Monasticae conjunxit, praescripta Clericis suis ea vivendi ratione, qua Monachi utebantur; ita ut jam tunc Vercellensium Clericorum communitas *Monasterium* appellaretur: ex qua schola pietatis complures illustres Episcopi prodierunt. Anno 354. a S. Liberio Romano Pontifice ad Constantium Augustum, in Galliis tunc degentem, missus est, a quo obtinuit, ut sequente anno coetus Episcoporum Mediolani celebraretur. Verum in eo Concilio, cum Arianorum perfidia ac violen-

tia omnia turbarentur, Eusebius cum Lucifero Calaritano, aliisque Episcopis Catholicis, damnatione S. Athanasii Alexandrini subscribere detrectantibus, a Constantio Augusto exulare jussus, Scythopolim Palaestinae deportatus est; ubi ab ergastulario suo, Patrophile, ejusdem urbis Episcopo Ariano, famem, sitim, verbera, ac gravissima quaeque incommoda perpessus, Catholicam fidem invicta malorum tolerantia illustravit. Post Constantii mortem sub Juliano Principe cum aliis Episcopis Catholicis libertati restitutus, Alexandrinae Synodo interfuit anno 362, atque Apostolica ad restaurandas Ecclesiae ruinas in Oriente legatione perfunctus, tandem A. 363. in Italiam ad Ecclesiam suam rediit, communi omnium gratulatione exceptus. Obiit circiter anno 373. die I. Augusti, Martyrum honores in Ecclesia consecutus, quae die XV. Decembris ejus memoriam colit. Extant non nullae ejus *Epistolae*, ex Vercellensis Ecclesiae Archivio depromptae, quae ab Eruditis genuinae habentur; nempe una ad Constantium Imperatorem, ad Patrophilum Arianum Episcopum altera, ad Presbyteros Vercellenses, et quasdam Italiae plebes, de statu suo, et vitae aerumnis tertia. Denique quarta ad Gregorium Baeticum Episcopum Eliberitanum in Hispania Baetica. Exsilii sui tempore transtulit e Graeco in Latinum sermonem Commentarium in Psalmos Eusebii Caesariensis, quod tamen opus interiit. Eidem S. Eusebio Vercellensi adscribitur *verso Latina quatuor Evangeliorum*, quam *Joannes Andreas Iricus* A. 1748. Mediolani edidit.

LXXXIII. *S. Eustathius*, Sidae in Pamphylia natus circa annum Christi 270., Beroeae primum Syriae, dein Antiochiae creatus Episcopus, non in Conci-

lio Nicaeno, cui Arianae impietatis acerrimus insectator interfuit, aut ab illius Synodi Patribus, ut quibusdam perperam visum est, sed jam anno 324. a provincialibus Episcopis, et populo Antiocheno, electionem tamen illam postea ratam habente Nicaena magna Synodo. Anno dein 331. ab Eusebio Nicomediensi, aliisque audaciae suae satellitibus Arianis Episcopis, quod ab hoc verae Religionis vindice pessima quaeque Sectae suae metuerent, adulterii, et seditionis Antiochiae excitate, falso et iniquissime accusatus, Episcopatu suo spoliatus, et jussu Constantini Augusti, falsa Episcoporum relatione decepti, Trajanopolim Thraciae deportatus, obiit in exilio ante annum 337., quamquam Annus mortis ejus certo definire nequeat. Ecclesia Sancti viri hujus memoriam celebrat die XVI. Julii. Scripsit teste *S. Hieronymo* Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, Cap. XCV. plurimas Epistolas, Commentarium in Psalmos, multosque libros adversus Arianos; quae tamen omnia vel latent, vel deperdita sunt, praeter insignia quaedam fragmenta apud Veteres Scriptores. *Leo Allatius* Lugduni edidit Graece et Latine A. 1629. *Librum de Engastrimytho*, sive de sermone ex ventre, aut pythonico, adversus Origenem, genuinum, atque indubitatum S. Eustathii Opus, a S. Hieronymo dilaudatum. Idem Allatius edidit quoque sub nomine S. Eustathii Antiocheni *Commentarium in Hexaëmeron*, sive de Opere sex dierum, quem tamen plerique Critici S. Eustathio abjudicant.

LXXXIV. *Euthymius Zigabenus* Monachus Graecus Basilianus, floruit CPoli initio saeculi XII. sub Alexio Comneno Imperatore, cui familiaris erat. Scripsit Opus egregium *Orthodoxae fidei Panopliam dogmaticam* adversus omnes haereses, in duas partes divi-

sam, *Commentarium in omnes Psalmos, in decem S. Scripturae Cantica, atque in quatuor Evangelia*, quae omnia extant Tomo XIX. Bibliothecae Maximae Lugdunensis. *Lambecius* Lib. III. Bibliothecae Caesareae, pag. 170. refert, inter MSS. Graeca in ea Bibliotheca asservari Panopliae dogmaticae Euthymii Zigabeni Appendicem, qua continentur *Anathematismi quatuordecim contra Messalianorum, et Bogomilorum haeresin, et Triumphus de eorum repressione per Imp. Alexium Comnenum, cujus jussu Basilius Haeresiarcha, professione quidem Medicus, habitu autem Monachus, in Hippodromo CPolitano vivus combustus est.* Notat Lambecius, Opus illud praelo dignissimum esse ut historia originis illarum haereseon suppleatur, et illustretur. Euthymium hunc Schismaticum fuisse probat *Leo Allatius* ex Tractatu MS. Bibliothecae Regiae, cujus hic titulus est: *Euthymii Monachi Zigabeni adversus Romae veteris cives, sive Italos, capita duodecim, demonstrantia, non ex Filio procedere Spiritum Sanctum.*

F

LXXXV.

F*acundus*, Hermianensis in Africa Episcopus in Provincia Byzacena, CPoli, ubi res Ecclesiae Africanae apud Justinianum Imperatorem procurabat, anno X. post Basilii Consulatum, id est, Christi 551., *Libros XII.* scripsit *pro defensione Concilii Chalcedonensis, et trium Capitulorum*, quae non posse absque injuria fidei, Synodique Chalcedonensis eversione condemnari, falso

sibi persuasum habebat. Cumque etiam post Synodum Oecumenicam CPolitanam II. Tria Capitula pertinacissime defenderet, a Justiniano Imperatore proscriptus, atque exilio mulctatus, A. 554. *Librum* scripsit *adversus Mocianum seu Mutianum Scholasticum*, qui Africanos Episcopos propterea, quod Trium Capitulorum causa a Vigilio Papa, et ab Ecclesia, temeritate plane schismatica se segregassent, merito redarguebat. Opera haec e tenebris oblivionis eruit, imprimique curavit Parisiis A. 1629. notis illustrata *Jacobus Sirmondus* S. J. Idem Facundus scripsit etiam *Epistolam fidei Catholicae in defensione Trium Capitulorum* a *Luca Dacherio* O. S. B. Tomo III. Spicilegii editam, in qua in Vigilii, Pelagii, ac Primasii famam impudentissime grassatur homo schismaticus, illoti oris, et projectae audaciae. Ad mortem usque perseverasse in schismate creditur, quam in exilio obiit post annum 555. Opera omnia Facundi Parisiis in folio impressa iterum prodierunt cum Operibus S. Optati Milevitani, cura et studio *Philippi Priorii* A. 1676. *M. Aurelius Cassiodorus*, Commentario in Psalmum CXXXVIII., tribuit quidem Facundo libellos duos *de duabus naturis Christi*; sed verbis illis significasse videtur duo tantum priora capita Libri I. ex duodecim illis pro defensione Synodi Chalcedonensis, quos ad Justinianum Imperatorem direxit.

LXXXVI. *S. Faustus*, in Britannia minore, sive Armorica natus, in juventute studiis eloquentiae egregie imbutus, Monasterium Lerinense ingressus est, cui dein A. 434. post SS. Honoratum, et Maximum, Abbas praefuit, donec circa annum 452. S. Maximo Rejensium Episcopo successor datus est, a Sidonio Apollinari Arvernorum, et Ruricio Lemovicensium Epi-

scopis miris laudibus celebratus. Anno 462. Cocilio Romano interfuit sub S. Hilario Papa, in quo de causa Hermetis Episcopi actum est, et de aliis ad Ecclesias Gallicanas pertinentibus. Lucidum Gallicanum Presbyterum, cujus errores ab Arelatensi, ac Lugdunensi Synodo damnati fuerant, missa ad illum epistola, in qua proponebantur fidei articuli, quos profiteri debebat, ut cum Ecsia Catholica sentiret, ad ejurandam perversam suam doctrinam permovit. Ab Enrico, Gothorum in Provincia Rege, ob impugnatos libris suis Arianos in exilium pulsus, indeque ad Episcopatum suum A. 484. reversus, paulo post meritis, atque aetate gravis ad Superos abiit, maximo semper in pretio ab Episcopis Gallicanis saeculo V. et VI. habitus, quem Ecclesia Rejensis ad diem XXVIII. Septembris Officio Ecclesiastico colit sub ritu duplici secundae classis cum Octava. Hinc *Card. Baronius*, intellecto S. Fausti cultu vetusto, religiose retractavit, quae Tomo VI. Annalium ad annum 490. contra eos, qui Faustum titulo Sancti, aut Beati honorant, acriter scripserat. Cum autem dignum non sit pietate, et eruditione Baronii, titulum Sancti reddere, et morum impugnare sanctitatem, censendus est una retractasse multa, quae in Faustum vehementius antea intorserat, quamvis judicium suum de illius doctrina non mutaverit. Fausti doctrinam et sanctitatem egregie vindicarunt *Joannes Stiltingus* S. J., Bollandi Continuator, in Actis SS. ad diem XXVIII. Septembris, atque ante illum Jacobus Sirmondus, qui in Historia Praedestinatiana, Cap. VIII. scribit: *Admonet hoc loco studium veritatis, amorque innocentiae, ut Fausti Rejensis vicem doleamus, sanctoque, et clari nominis Antistiti reverentiam, qua fas est, deprecemur.*

Quis enim aegre non ferat, Faustum illum, qui in admiratione omnibus aetate sua fuit et honore, quem doctrinae salutaris, singularisque Virum Sidonius, doctorem eximium, Pastorem egregium Suricius appellabat, quem adhuc Abbatem Hilarius Arelatensis ita honoravit, ut inter se, ac Theodorum, et Maximum Episcopos medium locaret; Episcopum vero et Episcopi collegae omnes reveriti sunt, et Hilarus Pontifex dignum censuit, qui in Synodo Romana secum una praesideret; Faustum hunc, inquam, quis aequo animo ferat, librorum nunc istorum nomine, quod Praedestinatianorum in his errores ex Synodi sententia refellerit, vexari passim a multis, traducique tamquam haereticum, idque auctore, quod dissimulare non possunt, ac duce Joanne Maxentio, Scytha monacho, ex eorum numero, qui Eutychetis haeresin clam foventes, Synodum Chalcedonensem adversus Hormisdam, ejusque Legatos occultis artibus impetebant? Vide quae de Fausto habentur Tomo V. Theol. Dogmat. Polem. Dissertatione III. et IV. Genuina S. Fausti Rejensis Opera sunt, *Libri II. de Gratia Dei, et humanae mentis libero arbitrio*, hortatu Arelatensis Concilii ab eo conscripti. *Professio Fidei ad Leontium Arelatensem. Epistola ad Lucidum Presbyterum Praedestinatianum. Epistolae quinque ad Ruricium Lemovicensem. Epistola ad Benedictum Paulinum de variis quaestionibus. Epistola de poenitentia ad Felicem Patricium et Praefectum Praetorio. Epistola ad Gratum Diaconum contra Nestorii errorem. Responsio ad tres quaestiones, quae praefigi solet libris tribus Claudiani Mamerti de statu animae.* Extant haec omnia Tomo VIII. Bibliothecae Maximae Lugdunensis. Item *Homiliae X.* ad Monachos, aliaeque complures ex iis,

quae sub Eusebii Emeseni nomine vulgatae sunt. *Libri II. de Spiritu Sancto* adversus Arianos, et Macedonianos, qui Paschasio, Romanae Ecclesiae Diacono, perperam tribuebantur: *Breviarium Fidei* adversus Arianos, quod absque authoris nomine Sirmondus edidit A. 1630. inter dogmatica quinque Scriptorum Opuscula, valde verisimiliter *Joannes Stiltingus* a Fausto scriptum fuisse opinatur. Opera omnia S. Fausti nondum fuerunt unum in corpus redacta, ad MSS. Codices emendata, ac notis illustrata. Casimirus Oudinus equidem singularem exactamque eorum editionem minatus est; sed intra minas stetit.

LXXXVII. *Ferrandus*, natione Afer, Clericali militiae adscriptus, cum Trasamundi Vandalorum Regis edictis una cum Clero et Episcopis Africae apud Sardiniam exularet, monasticam vitam in Monasterio S. Saturnini Martyris juxta Basilicam Calaritanam professus est sub institutione S. Fulgentii Ruspensis Episcopi. Libertate Catholicae Ecclesiae in Africa post Thrasamundi obitum ab Hilderico Rege restituta, A. 523. in Africam reversus, atque inter Clericos Carthaginenses adscitus, et Diaconi dignitate auctus, Fulgentii magistri sui exemplo, quoad licuit, monasticae vitae asperitatem semper retinuit. Trium Capitulorum, salva tamen unitate Catholica, acerrimus fuit defensor, antequam illa a Synodo CPolitana II. A. 553. damnarentur: obiit enim Ferrandus A. 550. Scripsit *Breviationem Canonum* ex Conciliis potissimum Africanis, quorum saepe vix alibi extat memoria: *Epistolas II. ad S. Fulgentium, de duabus quaestionibus super salute Aethiopis moribundi, et de quinque quaestionibus. Epistolam ad Egippium Abbatem de Trinitate, ac de duabus Christi naturis. Epi-*

stolam ad Severum Scholasticum CPolitanum, quod D. N. J. C. sit unus de Sancta et individua Trinitate. Paraeneticum ad Reginum Comitem, qualis esse debeat Dux religiosus in actionibus militaribus, seu, de VII. regulis innocentiae. Epistolam ad Anatolium Rom. Eccl. Diaconum, de duabus in Christo naturis, et quod unus de Trinitate natus passusque dici possit. Epistolam ad Pelagium et Anatolium Diaconos Romanos, pro Epistola Ibae Edesseni, adeoque pro tribus Capitulis Concilii Chalcedonensis adversus Acephalos. *Vitam S. Fulgentii Ruspensis Episcopi* ad ejus successorem Felicianum Episcopum. Opera omnia Ferrandi notis illustrata edidit *Petrus Franciscus Chifletius* S. J. Divione A. 1649. Breviatio Canonum Ferrandi una cum Cresconii seu Crisconii Africani Episcopi Breviario Canonum extat etiam in nova Bibliotheca Juris Canónici Veteris, ab *Henrico Justello* edita Parisiis A. 1661.

LXXXVIII. *Flodoardus*, Sparnaci ad Matronam natus circa annum 894, Rhemensis Canonicus, et Culmisiacensis Ecclesiae Parochus, postmodum vitam monasticam professus est sub regula S. Benedicti, et Abbas Rhemensis Coenobii S. Remigii creatus est. A Capitulo Noviomensi et Tornacensi die XX. Julii A. 950. Episcopus electus, dignitatem illam Fulkero, Monacho S. Medardi Svessionensis, relinquere coactus est, quem indignum licet Ludovici Transmarini Francorum Regis gratia, et authoritas ad id fastigium evexit. Obiit Flodoardus, vir litteris et moribus egregie exornatus, A. 966. die XXVIII. Martii. Scripsit *Chronicon* ab anno 917. inchoatum; quod tamen a fronte tribus quatuorve annis mutilum, perductum usque ad annum 966. addita

aliquot annorum appendice primus edidit *Petrus Pithaeus* inter XII. Scriptores coaetaneos Parisiis A. 1588. ab Andrea Duchesnio deinde recusum, Item *Historiam Antistitum Rhemensis Ecclesiae*, ab exordio hujus Sedis ad annum usque 948. Libris. IV. comprehensam, quam primo *Jacobus Sirmondus* S. J. Parisiis A. 1611., ac dein *Georgius Colvenerius* Regius Professor amplissimis notis illustratam Duaci edidit A. 1617. Scripsisse etiam dicitur Flodoardus Libros XV. *de Triumphis Italicis Martyrum*, *et Confessorum* metrice, Libros III. *de Triumphis Christi et Sanctorum Palaestinae* itidem metrice, et Libros II. *de Triumphis Christi*, *et rebus Antiochiae gestis*; quae tamen omnia Bibliothecis adhuc latent, nondum hactenus edita. *Joannes Mabillonius* in Actis SS. O. S. B. saeculi III. Parti II. Flodoardi *Carmen de Pontificibus Romanis* inseruit.

LXXXIX. *Florus*, Lugdunensis Ecclesiae Diaconus, *Magister* appellatus vel ob doctrinae praestantiam, vel quod forsitan ejusdem Ecclesiae scholae praefuerit, Agobardi, et Amolonis Archiepiscopi temporibus celebris fuit. Scripsit *Sermonem de Praedestinatione*, *et Libero Arbitrio*, *de Librum de Actione Missarum*, *et Opusculum de Electione Episcoporum*, quam extant Tomo XV. Biblioth. Max. Lugdunensis. Item *Martyrologium*, seu Auctarium Martyrologii Bedae, quod *Henschenius*, et *Papebrochius*, Bollandi Continuatores, ancte Acta SS. mensis Martii, Tomo II. ediderunt minori charactere, ne cum Bedae Martyrologio confunderetur. Eidem a Mabillonio Tomo I. Veterum Analectorum, adscribuntur *Collectanea in omnes S. Pauli Epistolas*, quae alias Ven. Bedae nomen praeferebant. *Librum Lugdunensis Ecclesiae* nomine scriptum contra Joannem Erigenam *de*

Indiculus Patrum. G

Praescientia, *Praedestinatione*, *et Libero arbitrio*, a *Gilberto Mauguino* Parisiis A. 1650. ex MS. Codice Corbejensi editum, complures Eruditi Floro tribuunt; at vero illum solidis rationibus Floro abjudicant *Menetrierius* S. J. in Ephemer. Trevoltiensibus ad annum 1705., et Duchesnius Lib. III. Hist. Praedestinatianismi. Flori Collectionem ex Lege et Canonibus *de coercitione Judaeorum*, *et auctoritate ac firmitate judicii*, *et testimonio Episcoporum*, edidit *Lucas Dacherius* Tomo XII. Spicilegii.

XC. *Fregulfus*, Monachus primum Fuldensis O. S. B., dein Lexoviensis in Rothomagensi Provincia Episcopus, Launobodi successor, Concilio Parisiensi A. 846., et Turonensi IV. A. 849. interfuit, ac subscripsit, cui Rabanus Maurus Commentarios suos in Genesim nuncupavit. Obiit A. 850. vel 851. Scripsit *Chronicon* a mundi exordio ad annum Christi 600. Primam partem, quam ad Christum usque perduxit, septem libris comprehensam, dicavit suo quondam praeceptori Elisachari Abbati. Alteram a Christo Domino usque ad regna Francorum, ac Longobardorum, et annum circiter 600. Judithae Augustae, Ludovici Pii Imp. conjugi, et Caroli Calvi matri, obtulit. Editum fuit Coloniae A. 1539., extatque in Biblioth. Maxima Lugdunensi, Tomo XIV.

XCI. *Fulbertus*, natione Italus, patria forte Romanus, diu Carnuti scientias docuit, fuitque illius Ecclsiae Cancellarius. Roberti Francorum Regis, cui gratissimus erat, authoritate Carnotensis Episcopus post Rodulphum creatus, atque a Leotherico Senonensi Archiepiscopo A. 1007. consecratus, a docendo non destitit, scholamque habuit discipulorum, undequaque con-

fluentium, frequentia pernobilem. Cum urbs Carnotensis, et Basilica S. Mariae anno 1020. conflagrassent, insignem illam Ecclesiam a fundamentis excitatam, Canuto Anglorum Rege sumptus suppeditante, in honorem Deiparae iterum dedicavit, in quam singulari ferebatur studio, et amore. SS. Abbatibus, Abboni Floriacensi, et Odiloni Cluniacensi amicissimus fuit, quorum consilia in arduis negotiis saepe expetebat, et preces implorabat. Obiit vitae sanctimonia, et doctrina conspicuus Carnuti A. 1028. die X. Aprilis. Scripsit *Epistolas* complures, *Sermones* aliquot, *Prosas et Hymnos*, *Canonum de poenitentia mulierum*, *Tractatum adversus Judaeos de adventu Messiae*, *et vaticinio Jacobi*. Fulberti Carnotensis Opera omnia edidit Parisiis A. 1608. *Carolus De Villiers* Doctor Theologus, exhibenturque Tomo XVIII. Bibliothecae Maximae Lugdunensis. Epistolam Fulberti *De rebus Ecclesiae religiose et caute distribuendis*, antea ineditam, publici juris fecit *Lucas Dacherius* O. S. B. in Appendice ad Tomum II. Spicilegii.

XCII. *S. Fulgentius*, natione Afer, in Teleptensi urbe Provinciae Byzacenae anno circiter 467. natus patre Claudio, matre Mariana, Gordiano avo ex numero Carthaginensium Senatorum, humanarum rerum pertaesus Monasticam vitam amplexus est. Romam ad visitanda Apostolorum limina venit jam Abbas A. 500., quo tempore vidit cum ingenti pompa ingredientem Theodoricum, Ostrogothorum in Italia Regem, et in aurea illa prorupit verba: *Quam speciosa potest esse Jerusalem coelestis, si sic fulget Roma terrestris! et si in hoc saeculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem; qualis honor, et gloria, et pax*

praestabitur Sanctis contemplantibus veritatem! In Africam ad Monasterium suum reversus, a Fausto Episcopo presbyteratu initiatus, ac paulo post Ruspensis in Provincia Byzacena Episcopus, invitus licet, et reluctans, plebe eum deposcente, est consecratus A. 508. Qua in dignitate Instituti Monastici leges exacte servavit, condito in Episcopali sua urbe Monasterio. In Sardiniam dein cum aliis Africae Episcopis ejectus est, jussu Thrasamundi Vandalorum Regis, unde postea decreto Hilderici A. 523. revocatus, vixit ad Kalendas usque Januari A. 533. Vir fuit eximiae sanctitatis, Graecis Latinisque litteris probe excultus, in Scriptura Sacra, et in doctrina Patrum, praesertim S. Augustini, versatissimus; qui verbo et scriptis Ecclesiam illustravit, atque haereses, Arianam praecipue, in Africa sub Vandalorum dominio grassantem, debellavit.

Genuina S. Fulgentii Opera hodiedum haec supersunt: *Libri III. ad Monimum. Liber unus contra Arianos ad decem objectiones. Libri III. ad Thrasamundum Vandalorum Regem. Liber unus ad Donatum de Fide Orthodoxa, et diversis erroribus haereticorum. Liber de Fide ad Petrum Diaconum. Epistolae aliquot, nempe De conjugali debito, et voto continentiae a conjugibus emisso, Ad Gallam de consolatione super morte mariti, et de statu viduarum, Ad Probam de Virginitate simul atque humilitate, Ad eamdem de Oratione ad Deum, et compunctione cordis, Ad Eugipium Abbatem de Charitate, et ejus dilectione, Ad Theodorum Senatorem de conversione a saeculo, Ad Venantiam de recta poenitentia et futura tribulatione, Ad Reginum Comitem, utrum caro Christi corruptibilis, an incorruptibilis fuerit. Liber de Tri-*

nitate ad Felicem Notarium. Liber ad Victorem contra sermonem Fastidiosi Ariani. Epistola ad Ferrandum Diaconum de Baptismo Aethiopis moribundi, atque altera ad eumdem, in qua ad quinque quaestiones respondet. Libri II. ad Euthymium de remissione peccatorum. Libri III. de veritate Praedestinationis, et Gratiae, quos primus Jacobus Sirmondus S. J. edidit Parisiis A. 1612. *Liber de Incarnatione Christi, et de et vilium noxiorum animalium procreatione ad Scarilam. Liber de Incarnatione et gratia D. N. I. C. ad Petrum Diaconum. Sermones* XI. *Fragmenta* XXXIX. a Petro Francisco Chiffletio S. J. Divione edita A. 1656. ex Libris X. S. Fulgentii *contra Fabianum Arianum. Fragmenta duo ex ejus quaestionibus de processione Spiritus Sancti.* Exciderunt autem Opuscula S. Fulgentii plurima, nempe *Liber pro Fide Catholica adversus Pintam Arianum Episcopum. Libri VII. de Gratia Dei et Libero arbitrio adversus Faustum Rejensem, Liber de processione Spiritus Sancti, sive Commonitorium ad Abragilam Presbyterum. Responsio ad Objectiones Arianorum, a Thrasamundo Rège propositas. Libri II. ad Probam Virginem de jejunio, et oratione. Epistola ad Carthaginenses*, atque aliae plures. *Homiliae* plurimae, quarum paucae ad nos pervenerunt. *Homiliae* LXXX. quas *Theophilus Raynaudus* S. J. Lugduni A. 1633., et 1652. in Heptade Patrum vulgavit, inter dubia S. Fulgentii scripta numerantur: eidem vero passim Eruditi abjudicant librum de *Praedestinatione, et Gratia.* Opera omnia S. Fulgentii quam emendatissima prodierunt Parisiis A. 1684., et Venetiis 1742.

G

XCIII.

S. *Gaudentius*, eo tempore, quo profectionem in urbem Jerosolymitanam susceperat, post mortem S. Philastrii A. 387. absens in Episcopum a Brixiensi populo electus est, qui juramento se obstrinxerat, non alium se Episcopum accepturum. Hoc S. Ambrosium, et illius Provinciae Episcopos permovit, ut per Delegatos populi litteras ad eum mitterent, quibus ut rediret, imperabant, nisi inobedientiae reus haberi vellet, et poenam excommunicationis subire, etiam ab Episcopis Orientis inferendam. Rediit ergo, et quamtumvis invitus, atque juventutem suam frustra obtendens, maximo populi plausu in Episcopum ordinatus est. Obiit saeculo V. sanctitate, et doctrina conspicuus, die XXV. Octobris, quo Ecclesia ejus memoriam colit. Annus obitus ejus incertus est; quibusdam annum 410., aliis annum 427. statuentibus. Scripsit *Vitam S. Philastrii* praedecessoris sui, et *Tractatus* sive *Sermones* XIX. de variis argumentis. Quae omnia nitidissimis typis excusa, et notis a *Paulo Galeardo* illustrata Brixiae prodierunt A. 1738.

XCIV. *Gelasius*, patria Cyzicenus, Caesareae in Palaestina Episcopus, tempore Zenonis Imperatoris, et Basilisci Tyranni floruit saeculo V. Scripsit *Historiam Actorum Nicaenae Synodi*, multis tamen erroribus, et sphalmatis inquinatam, quae extat Tomo I. Collectionis *Harduinianae* Conciliorum. Eidem tribuendus

videtur *Libellus de duabus in Christo naturis* contra Nestorium et Eutychetem. Vide Tomum III. Theol. Dogm. Polem. Num. CDLII.

XCV. *Gennadius*, Massiliensis in Galliis Presbyter, *Catalogum illustrium Virorum*, sive Librum de Scriptoribus Ecclesiasticis ab eo tempore, quo desiit S. Hieronymus, ad sua usque tempora, nempe ad annum 495. deduxit, qui cum scholiis Auberti Miraei Antuerpiae prodiit A. 1639. Interpolatum fuisse hunc Gennadii librum, et quaedam aliena manu addita, v. g. illa quae de S. Caesario Arelatensi habentur, observant Philippus Labbeus, et Laurentius Alticotius. Scripsit quoque Librum de Fide, seu *de Dogmatibus Ecclesiasticis* ad Gelasium Papam, qui in Appendice Tomi VIII. Operum S. Augustini editionis Maurinae exhibetur. Libri hujus Capita XXX. nempe a Capite XXII. inclusive ad LI. post mortem Gennadii ab alio quopiam adjecta sunt ex Canonibus Conciliorum Milevitani, Arausicani II. etc. *Libros* etiam VIII. *adversus omnes haereses*, VI. *adversus Nestorium*, *III. adversus Pelagium*, et alios se scripsisse testatur ipse Gennadius in Catalogo, Cap. C. Sed libri illi perierunt, aut alicubi cum blattis dimicant. Quae ad librum S. Augustini de Haeresibus ad Quodvultdeum, tamquam appendices, adjectae sunt Haereses quatuor, Praedestinatiana, Nestoriana, Eutychiana, et Timotheana, Gennadii fragmentum esse creduntur a Viris Eruditis. Gennadium Cornelius Jansenius Iprensis, Card. Norisius, Natalis Alexander, Joan. Laur. Berti etc. Semipelagianismi insimulant. Contra vero pugnant pro Gennadio Suarius, Marlianus, Scipio Maffejus, Guilielmus Cave, Laurentius Alticotius. Et sane Lib. de Dogmatibus Ecclesiasticis,

Cap. XXI. doctrinam placitis Semipelagianis penitus contrariam tradit. *Manet itaque*, inquit, *ad quaerendam salutem arbitrii libertas, id est, rationalis voluntas, sed admonente prius Deo, et invitante ad salutem, ut vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est, inspiratione Dei. Ut autem consequatur quod eligit, vel quod sequitur, vel quod occasione agit, Dei esse libere confitemur. Initium ergo salutis nostrae Deo miserante habemus: ut acquiescamus salutiferae inspirationi, nostrae potestatis est: ut adipiscamur quod acquiescendo admonitioni cupimus, divini est muneris: ut non labamur ab indepto salutis munere, sollicitudinis nostrae est, et coelestis pariter adjutorii: ut labamur, potestatis nostrae est, et ignaviae.* Adde, quod saeculo VIII. *S. Hadrianus* Papa Epist. III. ad Carolum Magnum Francorum Regem de Gennadio perhonorifice loquatur, eumque cum laude, tamquam scriptorem usquequaque Catholicum, alleget in suae causae praesidium pro veneratione SS. Reliquiarum, ubi etiam Pontifex titulo sanctitatis eumdem honestat.

XCVI. *S. Germanus*, Justiniani Patricii filius, Episcopus primum Cyzicenus, dein CPolitanus Patriarcha A. 715. electus, Catholicae veritatis adversus Leonem Isauricum Imperatorem Iconomachum acerrimus fuit defensor. Edicto ejus impio de abolendis Sacris Imaginibus cum subscribere constantissime recusaret, e solio Patriarchico dejectus fuit, pugnis, etiam et contumeliis e Regia expulsus initio anni 730. Is cedens injuriae, et persecutioni, Platanium, in domum suam gentilitiam, secessit, vitam privatam acturus, civibus CPolitanis carissimi Pastoris jacturam lamentan-

tibus, in cujus Sedem Leo Imperator Anastasium Syncellum intruserat, impiis suis consiliis, ac haeresi consentientem. S. Germanus prope jam centenarius in secessu suo vitam sanctissime clausit, ejusque memoriam Ecclesia celebrat die XII. Maii. *Tres* illius *Epistolae de cultu Sacrarum Imaginum* ad Joannem Synadensem, Constantinum Nacoliae, et Thomam Claudiopolis Episcopos, lectae ac commendatae fuerunt in VII. Synodo Generali, sive *Nicaena* II. Act. IV., extantque Tomo IV. Conciliorum Collectionis *Harduinianae.* Scripsit etiam *Tractatum de sex Synodis Oecumenicis,* quem Graece et Latine primus in lucem produxit *Stephanus le Moine*, Theologus Calvinianus Lugduno-Batavus inter *Varia Sacra*, Tomo I. pag. 68., et Librum qui inscribitur, *Retribuens et legitimus*, *seu de vera et legitima retributione*, *quae rependitur hominibus prout vixerint*, in quo S. Gregorii Nysseni scripta ab Origenis erroribus immunia esse ostendit. Hujus libri meminit quidem *Photius* in Bibliotheca, Codice CCXXXIII., at nostro aevo non amplius extat *Theoriam rerum Ecclesiarum*, quam Tomus XIII. Bibliothecae Maximae Lugdunensis exhibet, quidam cum Bellarmino, et Albertino S. Germano, alii cum Leone Allatio et Gretsero alteri cuidam Germano, CPolitano pariter Patriarchae, saeculi XIII. Scriptori adscribunt. *Encomium Deiparae* a *Francisco Combefisio* O. P. Parisiis in Auctario Patrum Tomo I., et ab *Hippolyto Marraccio* Romae A. 1650. editum, ac notis illustratum, sive Orationes in Praesentationem Deiparae, Annuntiationem, et duae in ejus Dormitionem: item *Orationes in sacram Deiparae Zonam*, *de Exaltatione S. Crucis contra Bogomilos*, *de Sancta Cruce*, *et in*

G 5

Dominicam Orthodoxiae, *Oratio in Sanctam Christi sepulturam* dicta in die Magni Sabbathi, adscribendae sunt Germano huic juniori CPolitano Patriarchae Schismatico, qui circa annum 1220. floruit, multasque homilias scripsit, ut erudite observat *Jacobus Gretserus* S. J. Tomo II. de Cruce.

XCVII. *Glaber Rudolphus*, O. S. B. in Coenobio S. Germani Antissiodorensis Monachus, vixit sub Regibus Francorum Roberto, et Henrico I. Scripsit *Vitam S. Guilielmi Abbatis*, *S. Benigni Divionensis*, a *Joanne Bollando* et *Godefrido Henschenio* editam in Actis SS. Tomo I. Januarii, et *Historiam libris V.* comprehensam, ab anno 990. ad annum 1046., S. Odiloni Abbati Cluniacensi nuncupatam, quam in lucem edidit *Du-Chesnius* inter antiquos Scriptores Historiae Francorum Tomo IV. Parisiis A. 1641.

XCVIII. *Goffridus*, seu *Gaufridus*, claro genere in Andegavis natus, prima aetate inter monachos Vindocinensis Monasterii, quod Goffridus Martellus, Andegavorum Comes A. 940. in Carnotensium finibus fundarat, nomen dedit. Nec multo post, novitius adhuc et juvenis, ac Diaconus tantum, Bernone mortuo, quintus ejusdem Coenobii Abbas renuntiatus est, atque a S. Ivone Carnotensi Episcopo inauguratus. Romam profectus, Urbano II. metu Guibertinae factionis latitanti pecuniam contulit, unde Lateranum et Turrim Crescentiam redimeret. Ab eodem Pontifice Presbyter consecratus est, qui Ecclesiam B. Priscae, ex qua vi a Guibertinis pulsi fuerant Vindocinenses, cum annexa dignitate Cardinalis, ab Alexandro II. Vindocinensibus Abbatibus concessa, restituit. Claromontano Concilio, ab Urbano II. vocatus, interfuit, adfuturus etiam

Lateranensi Paschalis II., et Romano item Callisti II., a quibus pariter evocabatur; nisi alterum inter brevitas temporis, alterum hyemis asperitas exclusisset. Apostolicae Sedi semper addictissimus pro Romanae Ecclesiae utilitate duodecies Alpes transcendit, ter ab ejus adversariis captus est. Obiit Andegavi A. 1132. die XXVI. Martii. Scripsit *Epistolarum Libros V. Tractatus per breves XVIII.* de diversis, *Sermones* XI. Opera omnia Goffridi edidit, notisque eruditissimis illustravit *Jacobus Sirmondus* S. J. Parisiis A. 1610., extantque Tomo XXI. Biblioth. Max. Lugdunensis.

XCIX. *Gratianus*, Clusii in Hetruria natus, O. S. B. Monachus, Bononiae in Monasterio SS. Felicis, et Naboris circa annum 1150: Decretorum collectionem ex Patrum sententiis, Pontificum decretis, et Conciliorum Canonibus adornatam absolvit; quod Opus hodieque *Decretum Gratiani* appellatur, et *Concordiam discordantium Canonum* etiam inscribitur. Hoc Opus in tres partes distinxit Gratianus, tria summa Juris capita, vel objecta in iis complexus, scilicet personas, causas, et res Ecclesiasticas. In I. Parte, quae Distinctiones CI. continet, agit de Jure in genere, de Episcopis, et Clericis. Pars II. tractat de judiciis, et negotiis fori sacri, habetque Causas XXXVI. sic dictas, quod in singulis quaedam facti species, et veluti lis aliqua decidenda proponatur. Singulae autem Causae in Quaestiones, forensibus disputationibus accomodatas, tamquam in minores articulos dividuntur, et in quavis quaestione discutitur certa facti circumstantia. Causae XXXIII. Quaestio III., quae de Poenitentia tractat, non ab ipso Gratiano, sed ab alio posteriore in VII. Distinctiones subdivisa est. In III.

Parte agitur de rebus, et ritibus sacris, atque inscribitur *de Consecratione*, quia ab hac initium sumitur, aliaque per V. Distinctiones exponuntur, quae ad cultum divinum pertinent. Magno quidem plausu Decretum hoc, ubi in lucem prodiit, ab omnibus fuit exceptum; numquam tamen illi Pontificia authoritas, nequidem post Romanam correctionem, a Gregorio XIII. fuit attributa, ut authenticum haberi debeat, et quidquid in eo exhibetur, Ecclesiasticae legis vim habeat. Hinc Trithemius, trecentis facile annis Gratiano posterior, absque idoneis testibus, ac perperam scripsit, Gratiani Decretum ab Eugenio III. fuisse approbatum. Habent igitur eam authoritatem singuli Canones, quam merentur ex suo fonte, si illi accurate respondere deprehendantur. Rubricae vero, seu inscriptiones canonum, omnino nullam obtinent authoritatem, neque ex illis argumentum ducere licet, cum nequidem sint ipsius Gratiani, sed ab alio adjectae. In plura errata Gratianum, virum minime criticum, pro illorum temporum ingenio impegisse Eruditis omnibus exploratum est. Horum aliqua enumerat *Antonius Augustinus*, Tarraconensis Episcopus, Lib. I. *de Emendatione Gratiani*, Dialogo I. *Saepe* (a Gratiano) *erratum esse video in nominibus hominum, urbium, provinciarum, Conciliorum, et aliarum rerum, quae postea exemplis apertiora fient. Saepe falsae sunt inscriptiones, et quae Conciliorum sunt, Pontificum Maximorum esse dicuntur; et quae sunt unius Episcopi inferioris, Romano Pontifici, aut Concilio Generali, vel Provinciali tribuuntur. Ex hoc genere sunt illa, quae ex Concilio Martini Papae sumpta esse feruntur, quae vel Martino Bracarensi, et Graecis Conciliis, vel An-*

gilramo Episcopo, vel Hadriano ad Angilramum inscribi debuerunt. Multa Gregorii, Ambrosii, Augustini, vel Hieronymi verba esse dicuntur, quae aut nusquam extant, aut aliena sunt. Illa quoque ipsa quae inscriptiones habent veras, non recte referuntur. Saepe enim contrarias sententias referri scimus, saepe valde praecisas. Jam vero quae ex Graecis fontibus manant, ex variis interpretationibus afferuntur, quasi sint aliorum scriptorum; ac saepe aliud Graece, quam Latine significant. In expungendis his erroribus Romani Correctores in ea Gratiani editione, quam jussu Gregorii XIII. Romae A. 1580. adornarunt, maxima industria et labore desudaverunt; idque assecuti sunt, ut multorum Capitum inscriptiones veras restituerint, et plurima menda sustulerint. Sed cum ea iure plusculum negotii esset, quam quod ejus aetatis studia ferebant; non hominum, sed temporum vitio contigisse fatendum est, ut illi quaedam levitur tetigerint, integra non nulla reliquerint, et non pauca denique eorum animadversionem effugerint. Plura Gratiani sphalmata nostris temporibus detexerunt, atque emendarunt, III. *Joannes Baptista Bartholi* Episcopus Feltriensis in Institutionibus Juris Canonici, et *Carolus Sebastianus Berardi* in Libro, qui titulus: *Gratiani Canones genuini ab apocryphis discreti, corrupti ad emendatiorum Codicum fidem exacti, difficiliores commoda interpretatione illustrati.* Taurini A. 1752.

C. *S. Gregorius*, ob singularem rerum divinarum scientiam dictus *Theologus*, ex patre Gregorio, adhuc idololatra, et matre Nonna Christiana, ac pientissima foemina natus est saltem circa annum 315. Athenis redux, quam in urbem studiorum causa se

contulerat, a patre, Nazianzeno tunc Episcopo, baptizatus, socium se S. Basilio, quocum arctissima jam antea amicitia devinctus erat, in Pontica solitudine adjunxit, Monasticam vitam ibidem professus; indeque Nazianzum patris sui imperio reversus, ab eodem A. 362. Presbyter est ordinatus. A. 371. a S. Basilio amico suo, Caesareensis Archiepiscopo, Sasimorum Episcopus consecratus, invitus licet, et moerens. Sed Sasimis ab Anthimo Tyannensi Episcopo, Basilii adversario, et secundae Cappadociae Metropolita occupatis, cum nullum sibi ad eam Sedem capessendam accessum patere videret, in eremum secessit. At non licuit diu optata frui solitudine: nam importunis rursus patris precibus, jussisque Nazianzum revocatus, exorari se tandem permisit, ut ad sublevandam patris extremo jam senio laborantis infirmitatem, Ecclesiae Nazianzenae curam susciperet ea lege, ut patre ex hac vita egresso, gubernacula istius Ecclesiae diutius retinere non cogeretur. Demortuo patre, cui vicariam tantum navaverat operam, Nazianzenae Ecclesiae administratione solutus, Seleuciam Isauriae se contulit: tum vero ab Antiochena Synodo A. 379. CPolim missus est, ut causam Catholicam, ab Arianis oppressam, erigeret, et sustentaret. Fecit id streaue ac feliciter, aucto in dies Catholicorum numero, quos in Neobuli affinis sui aedibus colligebat, quae mox in templum erectae sunt, indito ei *Anastasiae* nomine; eoquod fides, languens antea et moribunda, illic revixisse visa fuerit, profligatis Gregorii eloquentia Arianis, Macedonianis, Sabellianis, Apollinaristis, ac Novatianis, quibus CPoli velut in stativis collocatis, antiquus hostis fidem Catholicam oppugnabat. Scolam quoque

Theologicam ibidem erexit, atque inter alios in divinis litteris discipulum habuit S. Hieronymum, qui tanto Magistro saepius gloriabatur. A Theodosio M. Imperatore, expulso Maximo Cynico, qui Ecclesiae illius trhonum fraudibus occupaverat, electus CPolitanus Episcopus, atque omnium votis expetitus, aegre licet sui tandem electioni acquievit, quam etiam ratam habuit A. 381. CPolitana Synodus. Verum cum electionem suam Timotheo Alexandrino, aliisque Aegypti ac Macedoniae Episcopis minime probari cognovisset, recuperandae libertatis occasione, quam tamdiu optaverat, avide occupata, sponte Sedi suae renuntiavit, eamque A. 381. Nectario successori reliquit. Ipse vero patriam repetens, privatam deinceps et quietam in paterno praedio vitam egit, ac partim pietatis exercitiis, partim poeticis lucubrationibus incommoda senectutis et podagrae dolores sublevavit. Obiit circa annum 389. Vir sanctissimus, ejusque memoriam Ecclesia Latina celebrat die IX. Maii; Graeca vero die XXV. Januarii.

Scripsit *Epistolas* complures ad diversos, *de Vita suo Jambico metro*, variaque *carmina de rebus suis, in laudem Virginitatis*, aliisque piis argumentis: *Testamentum* suum Eucherio et Evagrio Coss, quod Latina interpretatione donavit *Jacobus Sirmondus*: item varias *Orationes* disertissimas, ac praestantissimas, maximo semper in pretio ab omnibus habitas, quas inter sunt *quinque de Theologia*, *Apologeticae quatuor*, *tres de Pace*, *duae in Julianum Apostatam invectivae*, Laudatoriae *Machabaeorum*, *S. Gorgoniae sororis suae*, *S. Caesarii fratris*, *patris sui S. Gregorii senioris*, *S. Athanasii*, *S. Basilii*, *S. Cypriani Martyris*, Panegyricae *in*

Christi Nativitatem, in sancta Lumina, in sanctum Baptisma, in sanctam Pentecostem, Oratio in plagam grandinis, de pauperum amore, de moderatione in disputationibus servanda, duae ad Cledonium, una ad Nectarium etc. Dubia S. Gregorii Nazianzeni Opuscula sunt, *Epistola ad Evagrium Monachum de Divinitate, Significatio in Ezechielem, Oratio in laudem Martyrum, et adversus Arianos, Tractatus de Fide*, atque alter *de Fide Nicaena*, quos aliqui Latino scriptori *Gregorio Baetico* Eliberitano Episcopo adscribunt. Eruditorum ferme omnium judicio falso ac perperam eidem adscribitur *Metaphrasis* seu translatio in Ecclasiastem, quam ex S. Hieronymo constat esse S. Gregorii Thaumaturgi: et *Tragoedia Christus Patiens*, a Nazianzeni stylo, et ingenio nimis abhorrens, quam multi ab Apollinari Laodiceno conscriptam volunt. S. Gregorii Nazianzeni Opera omnia Voluminibus II. in folio cum doctissimis Nicetae Serronii, Pselli, Nonni, et Eliae Cretensis Commentariis edidit *Jacobus Billius* Prunaeus, S. Michaëlis in Eremo Abbas Commendatarius, Parisiis A. 1609., Antuerpiae recusa A. 1612., et Coloniae A. 1690. Eadem prodierunt Venetiis A. 1754. a *Jacobo Tollio, et Ludovico Antonio Muratorio* novis accessionibus, et notis locupletata.

CI. *S. Gregorius*, Theodorus antea dictus, initio saeculi III. Neocaesareae in Ponto ex Ethnicis parentibus progenitus, admodum adolescens ob studia Graecarum et Latinarum litterarum Berytum, et inde Caesaream Palaestinae cum fratre suo Athenodoro se contulit, ibique quinquennio integro Origenis fuit discipulus. Baptismo jam initiatus in patriam rediit, ac paulo post a S. Phaedimo Amaseensium Episcopo, absens licet

tridui itinere, Antistes Neocaesareae in Ponto designatus, peractis postea sacris ritibus Episcopalis Ordinationis, commissi sibi gregis curam suscepit. Septemdecim dumtaxat Christiani Neocaesareae erant, cum Episcopus illius urbis consecratus est: at vigilantia sua, precibus, virtutum exemplis, ac pastorali sollicitudine effecit, ut totidem tantummodo Ethnicos Neocaesareae moriens relinqueret. Servi sui adhuc viventis eximiam vitae sanctitatem tot signis et prodigiis Deus testatam voluit, ut Thaumaturgus, seu prodigiorum patrator passim appellaretur; multaque asserat *S. Gregorius Nyssenus* in ejus Vita, se praetermittere miracula, *ut auribus parcat incredulis, et ne offendantur hi, qui virtutem mendacium putant, ob rerum quae narrantur, amplitudinem.* Antiocheno Concilio priori A. 264. adversus Paulum Samosatenum interfuit, ac paulo post exantlatis pro Christiana Religione laboribus clarissimus, obiit circa annum Aerae Christianae 265., die XVII. Novembris, qua Ecclesia universa ejus memoriam recolit.

Genuina S. Gregorii Thaumaturgi Opera sunt, *Brevis expositio fidei*, quam a S. Joanne Evangelista ei una cum B. V. Maria apparente traditam, et ipsius Gregorii manu scriptam, dein in Tabulario Neocaesareensis Ecclesiae conservatam, testatur S. Gregorius Nyssenus in ejus Vita. *In Origenem prosphonetica, ac panegyrica Oratio*, quam Caesareae Palaestinae coram magna hominum frequentia, ipso praesente Origenem Magistro suo, recitavit, cum in patriam reditum pararet. *Metaphrasis in Ecclesiasten Salomonis. Epistola Canonica* de iis, qui in Barbarorum incursione idolothyta comederant, et alia quaedam peccata commiserant. Hanc Commentariis illustravit *Theodorus Balsamon* Graecus

Scriptor. At vero S. Gregorio Thaumaturgo ab Eruditis abjudicantur alia Opuscula, nempe *Expositio fidei ad Aelianum*, qualem modo habemus, a Sabellianis Neocaesareensibus confictam, atque altera *Expositio fidei per partes*, sive singularium quorumdam fidei dogmatum explanatio, quam *Leontius Byzantinus* Lib. de Sectis, Actione VIII. decumana fraude ab haereticis Apollinaristis vel Eutychianis S. Gregorio suppositam fuisse scribit. *Capita XII. de Fide*, subjecto singulis capitibus anathemate suo, et apposita uniuscujusque capitis interpretatione, in qua mentio fit Apollinarii, Nestorii, et Eutychetis, Gregorio longe posteriorum. *Orationes III. in Annuntiationem Deiparae*, et una in *S. Theophania*, sive de Apparitione Dei, et Christi Baptismo. *Disputatio de anima ad Tatianum*. Opera omnia S. Gregorii Thaumaturgi edidit Romae A. 1594. *Gerardus Vossius*, Tungrensis Praepositus, Moguntiae dein recusa A. 1604., et Parisiis A. 1621., ac Tomo III. Biblioth. Maximae Lugdunensis illata.

CII. *S. Gregorius*, Eusebii et Emmeliae filius, SS. Basilii Magni, Petri Sebasteni, et Macrinae frater, vir vitae sanctimonia, et eloquentia clarissimus, Theosebiam uxorem duxit, sibi minime dissimilem; quae quam nomine praeferebat divini cultus professionem, ipso vivendi instituto tenuit. Sacerdotio dein innitiatus pari consensu cum conjuge castitatem servavit, quae inter Diaconissas adlecta paulo post vivere desiit. Ipse, rebus Ecclesiae sub Valentis imperio perturbatissimis, Nyssae in Cappadocia Episcopus creatus cum fuisset, Sede sua ab Arianis pulsus, octennio exulare coactus est, donec post mortem Valentis, Gratiani Augusti sanctione restitueretur. Interfuit Concilio Antiocheno A. 379.

CPolitano I. Oecumenico A. 381., atque alteri CPolitano A. 394. Ad Superos, multis pro Catholica fide laboribus perfunctus, migrasse creditur circa annum 395. Colitur a Latina Ecclesia die IX. Martii, a Graeca vero die X. Januarii.

Genuina S. Gregorii Nysseni Opera sunt, *Hexaëmeron*, sive Historia de Opera sex dierum, in qua omissis iis, quae a S. Basilio latius explicatae fuerant, quaestionibus, sensum verborum Geneseos, et Creationis ordinem prosequitur. *Liber de Opificio hominis*, quem *Dyonisius Exiguus* Latinum reddidit. *Liber de Vita Moysis* sive de Vita perfecta. *Tractatus prior et posterior in Psalmorum inscriptiones*, *quos Jacobus Gretserus* S. J. Graece et Latine edidit Ingolstadii A. 1600. *Commentarius in sextum Psalmum pro Octava. In Ecclesiastem Conciones octo. Explanatio in Cantica Canticorum. Homiliae V. de Oratione Dominica. Orationes VIII. de vita beata comparanda*, sive de Beatudinibus. *Libellus de Imagine Dei in homine Epistola de Ventriloqua seu Pythonissa. Liber de Anima. Tractatus adversus Graecos de communibus. Epistola Canonica ad Letojum* Melitinensem Episcopum, quam *Theodorus Balsamon*, *et Joannes Zonaras* commentariis illustrarunt. *Orationes contra Apollinarem*, *contra Fatum*, *in eos qui differunt baptisma*, *de fugienda fornicatione*, *de pauperibus amandis*, *contra Usurarios*, *in eos qui aegre ferunt reprehensiones*, *de Infantibus qui praematura morte abripiuntur etc. Orationes XII. refutatoriae contra Eunomium. Catechetica magna Oratio. Ad Ablavium Oratio*, *quod tres Deos dicere non oporteat. Liber de Virginitate vera et incorrupta. Syllogismi X. contra Manichaeos. Dialogus de Anima et Resurrectione*

cum Sorore Macrina. De Fide ad Simplicium Tribunum. Liber adversus Apollinarem ad Theophilum. Quid nomen aut professo Christiniani sibi vellit? De perfectione Christiani ad Olympium. De proposito secundum Deum. Orationes V. de sancto Paschae festo, et Resurrectione: item aliae *in Natalem Domini, in Pentecosten, de Deitate Filii et Spiritus Sancti, ac de Abraham, de Baptismate Christi, de Ascensione Domini, in laudem S. Basilii fratris sui, S. Theodori M., S. Meletii Antiocheni, S. Ephrem Syri, tres in laudem SS. XL. Martyrum. Oratio consolatoria in funere Pulcheriae. Oratio funebris de Flaccilla Augusta. Oratio, qua docet non esse dolendum ob eorum obitum, qui in fide dormierunt. Oratio de iis, qui adeunt Jerosolymas*, in qua foeminis et Monachis peregrinationem illam dissuadet ob multa pericula, quibus honestas et castitas in discrimen tunc adducebantur. *Epistolae ad Flavianum, ad Eustathiam, Ambrosium, et Basilissam, ad Petrum Sebastenum. Vita S. Gregorii Thaumaturgi, et S. Marcinae sororis.* Dubia sunt S. Gregorii Nysseni Opuscula: *Oratio in ea Scripturae verba*: Faciamus hominem ad imaginem etc. *Oratio in Creationem hominis. De Sancta Trinitate, et quod Spiritus Sanctus sit Deus, ad Eustathium. De differentia substantiae, et hypostaseos ad Petrum fratrem*: quae omnia multi ex Eruditis fratri ejus S. Basilio adscribunt. Item *Oratio in principium jejuniorum, in mulierem peccatricem, in S. Stephanum Martyrem, de poenitentia*; quae Asterio Amaseae Episcopo a quibusdam tribuntur. *Libri VIII. de Philosophia*, qui perperam olim Nysseno a quibusdam adscribebantur, parentem habent Nemesium Philosophum Christianum saeculi V. scriptorem Opera omnia

S. Gregorii Nysseni Latine Parisiis edidit A. 1605. *Fronto Ducaeus* Burdegalensis S. J. Volum. II. in folio. Eadem Graeco-Latina prodierunt Parisiis A. 1615. studio *Friderici Morelli* cum notis Frontonis Ducaei, qui potissimus editionem hanc, ut et praecedentem, curavit. Huic Appendicem addidit supplentem ea, quae in Editione illa deerant, *Jacobus Gretserus* S. J., Parisiis recusam A. 1618. Denique integra prodierunt ibidem A. 1638. Voluminibus III. in folio. Posterioribus temporibus, nempe 1698. Laurentius Alexander *Zacagnius*, Vaticanae Bibliothecae Praefectus, Romae Collectanea edidit Monumentorum veterum Ecclesiae Graecae et Latinae, atque inter illa *Antirrheticum* S. Gregorii Nysseni adversus Apollinarem, *Laudationem alteram S. Stephani Protomartyris*, *Orationem de Spiritu Sancto*, *Epistolas novas XIV.* et *librum Testimoniorum adversus Judaeos*, qui antea Latine tantum extabat ex versione Laurentii Sifanii. Quidam librum hunc Nysseno abjudicarant, quod sub horum Testimoniorum finem aliqua ex S. Chrysostomo post tempora Nysseni florente, mutuata legantur. At verba illa in Codice Graeco Vaticano non extare adeoque pro panno huic Operi assuto habenda esse Zacagnius ostendit. Joannes Baptista *Caracciolus*, Clericus Regularis, ex Bibliotheca Medicaea protulit alias VII. *Epistolas* ejusdem S. Gregorii Nysseni, quas Florentiae A. 1731. cum Latina sua interpretatione edidit.

CIII. *S. Gregorius*, cui *Magni* cognomen facta indiderunt, Romae natus patrem habuit Gordianum Senatorem, matrem Sylviam, foeminam sanctissimam, atavum S. Felicem III. Pontificem Maximum. Dialecticis et Rhetoricis in juventute apprime eruditus disciplinis, in forensi militia magna sui nominis fama mereri

coepit. Virilem ingressus aetatem inter Senatores Urbis cooptatus est, atque Urbanam gessit Praefecturam, Monasticam deinde vitam anhelans, posteaquam Gordiani patris mors liberam illi de bonis suis decernendi facultatem dedisset, sex Monasteria in Sicilia, ac septimum intra Romanae Urbis muros exstruxit in propriis aedibus, honoribus S. Andreae dicatum; atque ipse tandem Monasterium hoc ingressus, sub S. Equitii, an S. Benedicti regula incertum est, sacra fecit stipendia. E Monasterio abstractum Benedictus I. Romanus Pontifex Diaconum ordinavit; Pelagius vero II. Papa cum ab Tiberium Constantinum Imp. Apocrisiarium suum CPolim A. 582. legavit; ubi disputationem cum Eutychio Patriarcha CPolitano iniit, qui in Origenis errorem lapsus, corpus palpabili carne indutum resurrecturum negabat, eumque tandem ad saniora perduxit: Romam reversus in Monasterio suo iterum delituit, donec A. 590. Pelagio II. lue extinto, conspirantibus bonorum omnium votis ad Romanum Pontificatum evectus, ac die III. Septembris consecratus est, posteaquam fugam frustra molitus fuerat, Summi Sacerdotii honores declinaret. Pontificatus sui initio ad omnes Orientis Patriarchas epistolam dedit, cui pro illius aetatis more fidei suae professionem inseruit, confirmans se quatuor Concilia Oecumenica, Nicaenum, CPolitanum, Ephesinum, et Chalcedonense, perinde ac quatuor Evangelii libros suscipere: et quintum pariter Concilium, in quo damnata sunt Tria Capitula, se venerari. Quod Concilium ut ab omnibus reciperetur, et pertinaces Trium Capitulorum defensores a furioso incoepto tandem abstinerent, intentissima cura laboravit. Lytaniis, supplicationibusque institutis depulit pestilentiam, qua Urbs

vexabatur, ac testis placati Numinis in summa Hadriani mole, gladium vagina condens, conspectus est Angelus, qui celebre deinde Arci nomen ad posteros dedit. Hispanis permisit ut una tantum immersione Baptismi Sacramentum administrarent. Subdiaconos coelibes esse voluit. Prohibuit ne Judaei vi compellerentur ad suscipiendam Christianam Religionem. Donatistas, in Africa sese efferentes, repressit. Sacramenti Confirmationis administrationem Presbyteris Sardiniae indulsit. Joannem Jejunatorem, Episcopum CPolitanum, quod Oecumenici, sive Universalis Episcopi, vocabulum sibi usurparet acriter reprehendit, ejusque audaciam et temeritatem non solum scripto, sed etiam exemplo frangere conatus est. Namque primus omnium in principio Epistolarum suarum *Servum servorum Dei* inscribere se instituit. Cyriacum quoque, qui Jejunatori successerat, ejusque vestigia ingressus *Oecumenici* nomen affectabat, in ordinem redigendum curavit. Anglos per Augustinum, aliosque religiosos viros ad Christianam fidem perduxit. Instituit cantum Ecclesiasticum, quem ab eo dicimus Gregorianum. Quatuor habitis Romae Synodis innumera confecit Ecclesiae negotia. Erga viduas, pupillos, ac pauperes omnes beneficentissima, ac profusissima fuit liberalitate. Gravi, diuturnaque vexatus podagra, immensis pro Deo et Ecclesia perfunctus, confectusque laboribus, libris ad Christianorum institutionem, et aedificationem perpetuam editis, ad vitam migravit immortalem A. 604., cum annos XIII. menses VI. et dies X. Ecclesiam rexisset. Ejus memoria festivis honoribus celebratur die XII. Martii, quo e vita excessit, maximoque apud omnes in pretio est, praeterquam apud Heterodoxos, e quibus praecipue *Casimirus Oudi-*

nus in Commentario suo de antiquis Ecclesiae Scriptoribus impudentissime in Magni Gregorii nomen et famam grassatus est.

Genuina S. Gregorii Magni Opera sunt, I. *Expositio in Job*, sive Moralium Libri XXXV., quos rogante potissimum S. Leandro Hispalensi Episcopo, dum Sedis Apostolicae Apocrisiarium CPoli ageret apud Tiberium Imperatorem, conscripsit, ac Romae limatos eidem Leandro nuncupavit. II. *Liber Pastoralis* ad Joannem Ravennatem, a quo reprehensus fuerat, quod Episcopatum declinasset. Quatuor in partes librum hunc S. Doctor distribuit, ostenditque in eo, quantum sit officii Pastoralis pondus, quam aegre suscipiendum, qua exequendum cura. Quanti Ecclesia hunc librum fecerit, patet ex *Turonensi* A. 813. Can. V., *Cabilonensi* II. A. 813. Cap IV., *Aquisgranensi* A. 836. Can. IV., atque ex *Hincmaro Rhemensi*, qui in praefatione Opusculi LV. testatur, sua aetate in more positum fuisse, ut Pastoralis liber S. Gregorii M. una cum libro sacrorum Canonum in manus Episcopi, qui ordinabatur, traderetur in ipsa Ordinatione a Metropolitano, obtestante illum, ut ita servaret in vivendo, docendo, et judicando, sicut ibi erat scriptum: quod et Episcopus consecrandus spondebat. III. Libri II. Homiliarum, sive *Homiliae* XXII. *in Ezechielem Prophetam*, Mariano Ravennae Episcopo inscriptae. IV. *Homiliae* XL. *in Evangelia* ad Secundinum Tauromenitanum Episcopum. V. *Libri IV. Dialogorum* de Vita, et miraculis Patrum Italicorum, et de aeternitate animarum, quos sesquisaeculo post mortem S. Gregorii S. Zacharias Papa Graece vertit. In his miri eventus quam plurimi narrantur, qui incredibiles quidem videri possunt, si ad

rationis humanae trutinam expendantur; non vero si spectetur Dei potentia, et fidei virtus, quae quantae sint, eo melius quisque intelligit, quo sanctior est. In his narrandis qui fallere Gregorium suspicantur, sanctitati; qui falli, prudentiae tanti viri luculentam faciunt injuriam; incaute cauti censores, et exiguo judicio critici, qui non cogitant, quali et viro, et Antistiti, et Scriptori diffidant. VI. *Epistolarum Libri XII.* quas S. Doctor ad varios scripsit. Epistolam LIV. Libri VII. *ad Secundinum Inclusum*, item X. Libri XI. *ad Senatorem Presbyterum*, et XXXII. Libri XII. *ad Felicem Messanensem* communius Gregorio adjudicant quidem Eruditi; fatentur tamen variis assumentis fuisse postea interpolatas. *Privilegium S. Medardi Suessionensis*, quod in aliquibus Gregoriani Regesti editionibus ad calcem rejectum est, in aliis vero Epistolae LXXVII. Libri II. subnexum est, ut spurium communius rejicitur. VII. *Undecim Responsiones ad totidem interrogationes Augustini* Cantuariensis Anglorum Episcopi, quas *Ven. Beda* inseruit Libro I. Hist. Eccles. Gentis Anglorum, leguntarque in Codice antiquissimo Bibliothecae majoris Ecclesiae Lucensis saeculo VIII. exarato. VIII. *Antiphonarium*, et *Sacramentarium*, quod ex Codice Gelasii Papae S. Gregorius collegit, adiectis novis Orationibus et Praefactionibus. Illud autem facile damus, successione temporis Gregorianum Sacramentarium novis accessionibus locupletatum crevisse. *Commentarii in Cantica Canticorum*, *in septem Psalmos Poenitentiales*, atque *in Librum I. Regum* S. Gregorio M. communius nunc ab Eruditis abjudicantur. Sacramentarium Gregorianum correctius et locupletius edidit ex Missali MS. S. Eligii Bibliothecae Corbejensis, notisque et observa-

tionibus illustravit Parisiis A. 1642. *Hugo Menardus* O. S. B. Opera omnia S. Gregorii Magni edita sunt Romae A. 1588. jussu Sixti V. a *Petro De Tussignano*, Episcopo Venusino. Parisiis a *Petro de Gussanvilla* Carnotensi Presbytero A. 1675., atque iterum Parisiis A. 1705. ad MSS. Codices Vaticanos, Gallicanos, Anglicanos emendata, aucta, illustrata, ac in Tomos IV. in folio distributa, studio et opera *Dionysii Sammarthani* O. S. B. e Congregatione S. Mauri.

CIV. *S. Gregorius* A. 544. nobili genere in Arvernia ortus, patre Florentio, S. Galli Episcopi Claromontani fratre, matre Armentaria, S. Gregorii Lingonensis Episcopi nepte, a patruo suo S. Gallo bonis litteris institutus, Clericali militiae adscriptus est, ut votum exsolveret, quo se aliquando aegrotus ad tumulum S. Alirii obstrinxerat. Demortuo S. Euphronio Turonensi Episcopo successor datus, ab Aegydio Rhemensi A. 573. consecratus est, Sigeberto Rege, et Brunechilde Regina postulantibus, summa dein gratulatione a Turonensibus exceptus. Anno 577. interfuit Concilio Parisiensi, ubi Praetextatum Rothomagensem, a Chilperico Rege accusatum, acriter defendit, ipsumque Chilpericum, ad Sabellianismum vergentem, in Synodo Brenniacensi ad sanam mentem reduxit. Adversus Arianos Catholicam fidem invicte propugnavit, publica disputatione habita cum Agilanae Leovigildi Gothorum in Hispania Regis Legato, atque iterum cum Opila ejusdem Regis Legato, Turones transeunte. Anno 594. ad invisenda Apostolorum limina Romam profectus, magnis a S. Gregorio Magno honoribus exceptus est. In patriam redux, paulo post, nempe A. 595. die XVII. Novembris, quo ejus memoria ab Ecclesia celebratur,

ad Superos abiit anno aetatis LII. Episcopatus sui XXII., ante et post obitum prodigiis clarus. Scripsit *Historiam Francorum* libris X., quam ad sua usque tempora, nempe ad annum usque 591. perduxit, Historiae Francicae parens et pater pro merito suo appellatus. Librum unum *de Vitis Patrum* in XX. capita, sive libellos distinctum. Tum septem libros *de Miraculis*, nimirum *duos de Gloria Martyrum*, *unum de Gloria Confessorum*, et *quatuor de S. Martino. Liber in Tractatum Psalterii*, et *Liber de cursibus Ecclesiasticis* interierunt. Qui circumfertur in quibusdam editionibus Operum S. Gregorii Turonensis *Liber de septem Dormientibus*, in majori Monasterio prope Turones quiescentibus, non est genuinus ipsius foetus, cum illius non meminerit in Epilogo Historiae suae, ubi omnes lucubrationes suas recenset. Opera omnia S. Gregorii Turonensis prodierunt Parisiis A. 1561. apud Morellium, insertaque sunt Tomo XI. Bibliothecae Maximae Patrum Lugdunensis; eaque ab innumeris mendis expurgata, notisque illustrata edidit iterum Parisiis A. 1699. in folio *Theodoricus Ruinart O. S. B.* e Congregatione S. Mauri. Historia ejusdem Francica extat etiam in Collectione Historicorum Franciae *Marquardi Freheri* Hanoviae impressa A. 1613., et Tomo I. Veterum Franciae Historicorum *Andreae Duchesnii* Parisiis A. 1636.

CV. *Guarricus*, ex Tornacensi Canonico, et Scholae Magistro, Monachus Cisterciensis, S. Bernardi discipulus, et Abbas Igniacensis Coenobii in dioecesi Rhemensi, vir pietate, et eruditione clarissimus, *Sermones* scripsit pios adeo, et elegantes, ut saepe lector ambigere merito queat, Guarricumne, an Bernardum legat. Obiisse dicitur A. 1157. die XIX. Augusti, exi-

miae sanctitatis fama post se relicta. Sermenes Guarrici edidit Parisiis A. 1539. *Joannes Gagnaeus* Theologus Parisiensis, ac Francisci I. Galliarum Regis Eleemosynarius, *Joannes Costerius* Ord. S. Augustini Canonicus Lovanii A. 1555., atque iterum Antuerpiae 1577. *Merlo Horstius* Tomo VI. Operum S. Bernardi Coloniae A. 1672., extantque Tomo XXIII. Bibliothecae Maximae Lugdunensis.

CVI. *Guilielmus*, ex Toparchis de Seliniaeo in territorio Antissiodorensi, patre Burchardo, matre Anorda, ex stirpe S. Bernardi Abbatis Claravallensis, procreatus, Senonensi, et Nivernensi Episcopatu singulari modestia recusatis, Antissiodorensi Ecclesia, cujus Decanus erat, vacante, communi omnium suffragio A. 1207. Episcopus electus, immunitatem ab onere Regaliae a Philippo Augusto Rege Christianissimo Ecclesiae suae impetravit. Mortuo apud Damiatam Aegypti Parisiensi Episcopo, ortaque inter Canonicos majoris Ecclesiae dissensione, Guilielmus ab Honorio II. Romano Pontifice ad Parisiensem Episcopatum translatus fuit, eique Ecclesiae singulari laude praefuit tres annos cum dimidio. Obiit die XXIII. Novembris A. 1223. Corpus ejus Pontiniacum delatum, ibique in Sacello S. Thomae Martyris conditum est. Scripsit *Summam Theologicam*, A. 1500. Parisiis in folio impressam, atque eadem in urbe iterum recusam apud Franciscum Reginaldum anno non adscripto. Item *Opusculum de Officiis Ecclesiasticis*, quod extat MS. in Bibliothecis S. Germani Parisiensis, et S. Victoris. Opinantur quidam Summam Theologicam non hujus, sed alterius cujusdam Guilielmi Antissiodorensis foetum esse, quem post traditam Parisiis Theologiam, Bellovacensem fuis-

se Archidiaconum, Romaeque demortuum esse A. 1230. contendunt, quam in Urbem cum Milone Castilionaeo, Bellovacensium Episcopo, se contulerat.

CVII. *Guilielmus Malmesburiensis*, Monachus O. S. B. Abbatiae Malmesburii praecentor, et Bibliothecarius, natione Anglus patria Somersetanus, scripsit *Libros V. de rebus gestis Regum Anglorum*, a primo Saxonum adventu ad XXVIII. Henrici I. Regis annum, videlicet ab anno 449. ad annum 1127. ad Robertum Glocestriae Comitem, Henrici I. filium nothum. Cui Operi addidit postea *Historiae Novellae Libros duos*, ab anno 1127. ad annum 1142. eidem Roberto dicatos. Denique *Libros IV. de rebus gestis Pontificum Anglorum*, a primo S. Augustini, Cantuariensis Episcopi, adventu ad sua usque tempora. Quas omnes Historias ex MSS. Anglicanis collectas imprimi curavit *Henricus Savillius* Londini A. 1596. in folio, Francofurti Rhein A. 1601. recusas. Scripsit etiam *Librum de Antiquitatibus Glasconiae*, *Libros III. de Vita S. Wolstani* Episcopi Wigorniensis, et *Librum V. de rebus gestis Pontificum Anglorum*, in quo agit tantum de Vita et miraculis S. Aldelmi primi Schireburgensis Episcopi, et de statu Malmesburiensis Coenobii. Extant haec in Collectaneo Scriptorum Historiae Anglicanae, quod duobus tomis in folio *Thomas Galeus* edidit A. 1684., et 1687. Oxonii e Sheldoniano theatro. Item *Vitam S. Dunstani libris duobus*, *et SS. Patricii*, *Benigni*, *atque Indracti*, *Librum de miraculis*, *et virtutibus S. Andreae Apostoli*, *Explanationem Lamentationum Jeremiae Prophetae*, *Abbreviationem ex gestis Haymonis de Imperatoribus*, *Abbreviationem librorum Amalarii de divinis Officiis.*

Horum aliqua extant in Anglia Sacra, quam *Henricus Wharton* duobus voluminibus in folio Londini edidit A. 1691. Obiit Guilielmus Malmesburiensis saeculo XII. circa annum 1143.

CVIII. *Guilielmus*, Aureliaci in Avernia natus, Theologus aetate sua celeberrimus, A. 1228. Parisiensem Episcopatum adeptus est. Anno 1240. articulos quosdam Theologorum, Catholicae fidei minus conformes damnavit. Obiit Parisiis A. 1249. in Abbatia S. Victoris tumulo illatus. Scripsit Librum *Cur Deus homo*, *de Universo*, *de Fide*, *de Legibus*, *de Virtutibus*, *de Moribus*, *de Vitiis et peccatis*, *de Tentationibus*, *et resistentiis*, *de Meritis*, *de Retributionibus Sanctorum*, *de Immortalitate animae*, *de Rhetorica divina*, *de Sacramentis in genere et specie*, *de collatione*, *et pluralitate Beneficiorum Ecclesiasticorum*. Dialogi septem de Sacramentis, Sermones per annum, aliaque quaedam Opuscula Guilielmi nomen falso praeferre videntur. Guilielmi Parisiensis Episcopi Opera omnia duobus Voluminibus in folio edidit Venetiis A. 1591. *Joan. Dominicus Trajanus* Neapolitanus, S. Theologiae Professor, et *Blasius Ferronius* Aureliae Anno 1674.

CIX. *Guilielmus Tyrius*, natione Syrus, juxta alios Gallus, vel Germanus, forte ex Gallis parentibus in Oriente natus, a Friderico Tyri Archiepiscopo, Rege Jerosolymitano Amalrico, pluribusque aliis viris spectatissimis rogantibus, A. 1167. Archidiaconus creatus est. Legationem ad Imperatorem CPolitanum obiit in negotio suscipiendae in Aegyptum expeditionis; qua feliciter functus, elapsis inde duobus annis Romam profectus est, tum ut privatas necessi-

tudines curaret, tum ut etiam Archiepiscopi sui iram effugeret, quam insons patiebatur. Roma reducem Amalricus Rex filii sui Balduini, adhuc novennis, moribus praeficit; tumque suadentibus Optimatibus Aulae suae Cancellarium constituit. Anno 1174. Cleri populique concordibus suffragiis Tyri Archiepiscopus electus, die VIII. Junii in Ecclesia S. Sepulcri ab Amalrico, Patriarcha Jerosolymitano, consecratus est. Interfuit Concilio Lateranensi III. Oecumenico sub Alexandro III. A. 1179., ejusdemque Concilii Acta scripsit rogatu Patrum. Anno 1188. ex Oriente in Gallias se contulit, ut Regem ad pium bellum, Saracenis inferendum, hortaretur, collapsasque Palaestinae res restitueret. Neque ex eo tempore ullum Guilielmi Tyrii vestigium extat in Historiis, qui quo anno obierit, incertum est. Scripsit Libros XXIII. *de Bello Sacro*, quibus sacrarum Expeditionum historiam a Concilii Claromontani sub Urbano II. tempore, id est, ab anno 1095. usque ad annum 1180. complectitur, editos Basileae A. 1549., ac postea Collectioni Expeditionum Orientalium, quibus titulus praefigitur, *Gesta Dei per Francos*, a *Jacobo Bongarsio* insertos Hanoviae A. 1611. Accurati et elegantis Historici laudem promeritus est Tyrius; iniquiorem tamen se exhibuit Equitibus Jerosolymitanis, et Hadriano IV. Pontifici. Qua de re *Pagium* consule in Critica Baroniana, Tomo IV. ad A. C. 1155. Num. IX.

CX. *Guitmundus*, juxta Antonium *Possevinum* in Apparatu Sacro, natione Italus, Monachus, et Eremita Coenobii S. Andreae, quod Sanctae Crucis titulum gerit, de Avellana, Congregationis Columbae; *Trithemio* autem aliisque passim, in Neustria sive Norman-

nia natus, O. S. B. Monachus in Caenobio S. Leufredi dioecesis Ebroicensis, ob singularem eruditionem et doctrinam Aversanus in Regno Neapolitano Episcopus a S. Gregorio VII. renunciatus est. Obiit A. 1105. Scripsit *Libros III. de Corpore et Sanguine Domini* ad Rogerium Monachum adversus errores Berengarii Turonensis, et *Confessionem de Sancta Trinitate, Humanitate Christi, Corporisque et Sanguinis Dominici veritate*, Tomo XVIII. Bibliothecae Maximae Lugdunensis insertos.

H

CXI.

H*aymo*, ex Anglo-Saxonum genere, vel juxta alios, natione Germanus, Fuldensis Monachus O. S. B. Alcuini discipulus, et condiscipulus Rabani Mauri, Hersfeldensis postea Abbas, tandem A. 840. tertius Halberstadiensis in Saxonia Episcopus creatus est, et Concilio Moguntino A. 847. interfuit. Obiit doctrina et morum integritate conspicuus A. 853. die XXVII. Martii, sepultus in Ecclesia Halberstadiensi S. Stephani. Multa scripsit, in libros praecipue utriusque Testamenti, quae nondum in unum corpus collecta, sed hactenus dispersa prodierunt; nempe *Commentarios in Libros Moysis, Josue, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Tobiae, Esdrae, Nehemiae, Judith, Esther, Job, in Psalmos*, Parisiis A. 1533. excusos. *Libros VII. in Apocalypsin* Parisiis A. 1540. *Commentarios in Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, Da-*

nielem, *ac XII. Prophetas minores*, Coloniae A. 1535. *Tomus II. Homiliarum in Evangelia* Coloniae impressos 1540., et Antuerpiae 1559., quas ex veteribus Ecclesiae Patribus conflavit, ut non modo eorum sensa, sed etiam verba lectori adnumeret, solum fere nexum de suo addens. Item *Librum unum in Actus Apostolorum*, *Libros VII. in Epistolas Canonicas*, *Libros III. de varietate librorum*, *Librum unum de Sancta Trinitate*, *et Librum de voluptate mundi*, quem Honorius Augustodunensis eidem Haymoni tribuit, Romae et Coloniae impressos A. 1573. Scripsit etiam *Libros X. de Christianarum rerum memoria*, sive Epitomen Historiae sacrae, quae cum Severi Sulpitii Historia Romae A. 1564. prodiit apud Paulum Manutium cum notis *Petri Galesinii* in folio. *Commentarii in Epistolas S. Pauli*, qui Parisiis prodierunt A. 1556., quamvis jam Fulberti Carnotensis, et Sigeberti aevo Haymoni tributi fuerint, rectius tamen Remigio Antissiodorensi adscribuntur.

CXII. *S. Hegesippus*, qui Saeculo II. sub summis Pontificibus, Aniceto, Sotere, et Eleuthero floruit, *quinque libros Ecclesiasticae Historiae*, seu Actuum Ecclesiasticorum, a Passione Domini ad sua usque tempora scripsit sermone simplici, ut Apostolorum, quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem. Perierunt hi libri magno Reipublicae Christianae detrimento, praeter aliqua fragmenta, quae collegit *Petrus Alloix* S. J. Tomo II. de Vitis Scriptorum Ecclesiasticorum Orientalium. Circumferuntur praefixo Hegesippi nomine *Libri V. de Bello Judaico, et excidio Urbis Jerosolymitanae* sub Tito Vespasiani Imperatoris filio, editi Coloniae Anno

1575., et inserti Historiae Christianae Veterum Patrum *Renati Laurentii de la Barre* Parisiis A. 1583., qui potius versio quaedam paulo liberior dicendi sunt Josephi Flavii, cum paucissima contineant, quae in Josephi libris partim Antiquitatum Judaicarum, partim de Bello Judaico non habeantur. Verum libros istos perperam S. Hegesippo adscribi, eruditis omnibus exploratum est; authorem enim illorum post tempora Constantini M. Imp., atque ad finem saltem Saeculi IV. vixisse manifeste evincitur ex eo capite, quod cum Antiochiam, Syriae metropolim, describit, Lib. III. Cap. V. haec addat: *Urbs Antiochia tertio loco ante ex omnibus, quae in Orbe Romano sunt, Civitatibus aestimata, nunc quarto, postquam Constantinopolis excrevit Civitas Byzantinorum.* Praerogativa enim illa CPoli delata fuit in Concilio CPolitano I. A. 381., ad quod tempus particula *nunc* alludit. *Joannes Fridericus Gronovius* in Observationibus ad Scriptores Ecclesiasticos Daventriae A. 1651. editis, S. Ambrosium Mediolanensem Episcopum authorem illorum librorum censet, tum ob styli et phrasium similitudinem, tum ob Codicum non nullorum fidem, illius praecipue eximiae vetustatis, quem etiam *Joannes Mabillonius* Itinerarii Italici pag. 14. vidisse se memorat in Bibliotheca Ambrosiana. Gronovii sententiam non improbabilem arbitratur *Philippus Labbeus* S. J. Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis in Hegesippo. *Gerardus Joan. Vossius* Lib. II. de Historicis Graecis, Cap. XIV. putat Scriptorem quinque librorum de Bello Judaico Nicephori Phocae temporibus floruisse circa annum 968. *Casimirus Oudinus* in Comment. de Scriptoribus Ecclesiasticis Tomo II. columna 1027. contendit, Pseu-

do-Hegessippum non esse Anno 1120. vel 1130. antiquiorem.

CXIII. *Hermannus*, Wolferadi Veringensis in Suevia Comitis filius, ex Hiltrude conjuge progenitus, ab infantia omnibus membris contractus, litteris virtutibusque supra aetatis modum adeo mirifice excultus fuit, ut miraculum sui saeculi appellaretur. Monasticam vitam in Coenobio Augiae Majoris, seu Divitis, O. S. B. prope Constantiam ad lacum Acronium professus, artibus, et disciplinis eam operam dedit, ut damna corporis animi virtutibus longissime superaret, Graecae, Latinae, et Arabicae linguae, Sacrae Scripturae, et litterarum saecularium peritissimus, Philosophus, Astronomus, Musicus, Rhetor, et Poeta. Obiit A. 1054. Aleshusii suo in praedio, eximiae probitatis non minus, ac litterarum fama celeberrimus. *Chronicon*, apud Scriptores aestimatissimum, multo labore, collegit, ab ortu Mundi usque ad annum 1053., continuatum dein a Bertoldo Constantiensi. Geminum Cronici illius exemplar edidit *Christianus Urstisius*, Mathematum apud Basileenses Professor, in Collectione sua Germaniae Historicorum Francuforti A. 1585., quorum unum ex Codice Sangallensi transcripsit, alterum vero, multo amplius et emendatius, ex Codice Bibliothecae S. Georgii in sylva Hercinia. Tertium exemplar, priori illo longe prolixius, simulque in Chronotaxi non raro mutatum, ex Codice Monasterii Augustani SS. Udalrici et Afrae edidit *Henricus Canisius* Noviomagus, JCtus Ingolstadiensis, Tomo I. Lectionum Antiquarum Ingolstadii A. 1601., Tomo vero III. earumdem Lectionum, Amstelodami a Basnagio recusarum A. 1725. Caeterum an ab Hermanno

ipso opus suum paulatim perpoliente et augente; an ab aliis, ut Veteribus in more erat, frequentius interpolatum fuerit, incertum est. Scripsisse Hermannum complura alia *de anni computo*, *de motu Lunae*, *de Astrolabio*, *de Musica*, *de Quadratura circuli*, *de Monochordo etc.* ex Alberico, et Chronico Mellicensi constat, quae vel jam interierunt, vel in MSS. Codicibus latent. Hermanno Contracto Hymnum Ecclesiae, *Veni S. Spiritus*, et Antiphonam *Salve Regina*, multi tribuunt; certius tamen est, aliam, per Adventus Dominici ferias decantari solitam, *Alma Redemptoris*, eidem esse adscribendam.

CXIV. *S. Hermas*, quem Apostolus Cap. XVI. Epistolae ad Romanos salutat, discipulus fuit B. Pauli, ejusque memoriam Ecclesia celebrat in Martyrologio Romano die IX. Maii. Librum scripsit qui *Pastoris* vocatur, in tres partes seu libros divisum. Primus inscribitur, *visiones*; secundus, *mandata*; tertius *similitudines*. Graeca lingua hoc Opus conscriptum fuisse vel ex eo evincitur, quia a Graecis Patribus multo saepius quam a Latinis laudatum est, quibus teste S. Hieronymo pene ignotus fuit Latinam tamen illius versionem secundo jam saeculo extitisse, quae sola aetatem tulit graeco textu intereunte, patet ex *Tertulliano*, qui Lib. de Pudicitia, Cap. X. in Montanismum jam lapsus, librum Pastoris sugillat. *Pseudo-Damasus*, auctor Libri Pontificalis, et *Isidorus Mercator* in commentitia Decretali Epistola S. Pii. I. ad omnes fideles, librum hunc tribuunt Hermeti fratri S. Pii I. Romani Pontificis; at vero Origenes, Eusebius Caesariensis, S. Hieronymus, aliique, rectius illum S. Hermae, B. Pauli discipulo, adscribunt.

Porro maximam fuisse hujus libri apud veteres Ecclesiae Patres, in Oriente praecipue, authoritatem, aperte indicant *S. Irenaeus* Lib. IV. adv. Haer. Cap. XXXVII. *Eusebius* Lib. III. Hist. Eccles. Cap. III., et Lib. V. Cap. VIII. *Clemens Alexandrinus* Lib. I. Stromatum, *Origenes* Comment. in Cap. XVI. Epist. ad Rom. *S. Atanasius* Lib. de Decretis Synodi Nicaenae, *S. Hieronymus* in Catal. Script. Eccles. *Rufinus* in Exposit. Symboli. Neque a *S. Gelasio I.* in Synodo Romana inter apocrypha scripta rejectus fuit, quod falsi esset nominis, aut noxiae doctrinae; sed quod extra Canonem divinarum Scripturarum esset collocandus, cui illum quidam in Oriente inserere videbantur, ut antiqui quidam Bibliorum Codices, manu exarati, ostendunt, qui Pastorem quoque complectuntur. Heterodoxi Critici Librum hunc exagitant ut apocryphum, omniumque superstitionum gurgitem, quod in eo complura Catholica dogmata, ab ipsis negata, legantur. At ex eo discere illos oporteret, ab ea se fide descivisse, quam primis Ecclesiae saeculis fideles profitebantur. Vide plura apud *Nicolaum le Noury* O. S. B. in Apparatu ad Bibliothecam Maximam Veterum Patrum Parisiis editam A. 1694. Tomo I. Dissertatione IV. Extat Hermae liber in omnibus SS. PP. Bibliothecis; seorsim autem excusus est Parisiis A. 1513. apud Henricum Stephanum, Cygneae A. 1655. curis *Gasparis Barthii.* Ipsum etiam edidit inter Opera Patrum, qui temporibus Apostolicis floruerunt, et notis doctissimis illustravit *Joannes Baptista Cotelerius* Tomo I. Amstelodami A. 1724., et Parisiis 1675.

CXV. *Hesychius*, Presbyter Jerosolymitanus, saeculo V. floruit, obiitque circa annum 440. Scripsit

teste *Photio* in Bibliotheca, Codice CCLXXIX. et CCLXXV., *Encomia in S. Andream Apostolum, S. Jacobum fratrem Domini, et Davidem Psalmographum.* Idem Hesychius *Historiam Ecclesiasticam* edidit cujus fragmentum de Theodoro Mopsuesteno legitur Collatione V. Concilii Oecumenici *CPolitani II. Sermonem compendiosum*, animae perutilem, ad Theodulum *de Temperantia et Virtute*, Latine et Graece Parisiis impressum 1563. *Capita in XII. Prophetas minores atque Isaiam*, quae ex membranis Bibliothecae Augustanae Graece dumtaxat edidit *David Heschelius* Augustae Vindelicorum A. 1602. *Orationem de Resurrectione Christi*, editam Auctarii Combefisiani Tomo I. *Epitomen Evangelicae consonantiae*, quam *Joannes Baptista Cotelerius* Tomo III. Monumentorum Ecclesiae Graecae inseruit. Eidem verisimilius adscribuntur *Libri VII. Explanationis in Leviticum* Graece scripti, Basileae A. 1527. opera *Joannis Sichardi* editi, et Tomo XII. Bibliothecae Maximae Lugdunensis inserti. Jerosolymis certe libros illos scriptos fuisse ab Hesychio quodam Presbytero, ipsa praefatio ad Eutychianum Diaconum ostendit. Quare minus probabilis videtur eorum opinio, qui Opus illud Hesychio, Salonitano Episcopo, sive seniori, ad quem S. Augustinus scripsit, sive juniori, ad quem S. Gregorius M. sive demum alteri Hesychio, Patriarchae Jerosolymitano, tribuunt, qui saeculo VI. ad finem vergente floruit. Neque assertioni nostrae obest, quod Hesychius Presbyter saeculi V. Scriptor in eo Opere Scripturam sacram citet secundum versionem S. Hieronymi, illamque vocet translationem nostram, editionem nostram. Id enim forte non Hesychius in Graeco textu, qui

nunc injuria temporum interiit, sed de suo addidit Hesichii interpres, qui libros illos ante saeculum IX., utpote ab Amalario, Rabano, Walafrido etc. laudatos, latinitate donavit, eo nimirum tempore, quo versio Hieronymiana in Occidente jam diu obtinuerat.

CXVI. *S. Hieroynmus*, Stridone in Dalmatiae Pannoniaeque confinio, Patre Eusebio natus est circa annum 331. Romam cum Bonoso veniens a Donato Grammatico litteras Graecas didicit simul et Latinas, ibique adulta jam aetate Baptismum suscepit. In Gallias deinde profectus, multisque peragratis, Graeciae, Asiaeque provinciis, eremum Chalcidis incoluit A. 374. circa Maroniam vicum haud procul Antiochia, ubi linguam Hebraicam didicit, primumque ingenii sui foetum edidit Commentarium in Abdiam Prophetam, qui nunc excidit. Antiochiae A. 378. a Paulino ordinatus Presbyter nulli Ecclesiae alligari se passus est. Anno 879. CPolim profectus est ea maxime de causa, ut S. Gregorium Nazianzenum audiret, qui eo missus fuerat ad fidem Catholicam, in ea Ecclesia per Arianos et Macedonianos infecta, restituendam; ibique biennio, aut fere triennio mansit, atque Eusebii Caesariensis Chronicon vertit, et usque ad annum 378. continuavit. Romam inde venit anno 382. ad finem vergente, et a secretis fuit S. Damaso Papae quo volente textum latinum Evangeliorum ex Graeco correxit, totumque Novum Testamentum, et ex Veteri Psalterium. Marcellae, Paulae, Eustochio, Blaesillae, Marcellinae, Asellae, Felicitati, aliisque Romanis Matronis, ac Virginibus sacras Litteras exposuit partim verbo, partim scripto. Verum demortuo jam Damaso atris calumniis appetitus, non a Romanis Clericis, quae plurimorum antea cum Baronio fuit opinio; sed a nobilibus ac patriciis, potentibus praecipuae

Paulae consanguineis, qui nobilissimae illius Matronae profectionem in Palaestinam, et sanctius vitae institutum aegerrime ferebant, relicta Roma A. 385. in Cyprum navigat ad S. Epiphanium, indeque Antiochiam, ac Jerosolymas delatus, ut Scripturas sacras melius intelligeret, sacra Palaestinae loca lustravit. In Aegyptum dein profectus, Alexandriae Didymum consulit de dubiis sacrae Scripturae, visisque Nitriae Monasteriis, Bethlehemum cum B. Paula reversus est; ubi angustum initio hospitium incoluit, deinde in Monasterio a B. Paula erecto, cui semper praefuit, vitam duxit solitariam, vili victu et vestitu contentus. Inter primas Hieronymi occupationes in Monasterio suo Bethlehemitico fuit studium linguae Hebraicae, quam discere coeperat in eremo Chalcidis, ut perfectiorem illius linguae, ad interpretandas Scripturas divinas adeo necessariae, notitiam acquireret; eumque in finem magistrum Judaeum, Baraninam nomine, conduxit, quamvis ipse alias a Judaeis abhorreret ob eorum perfidiam. His praesidiis instructus novam Veteris Testamenti Latinam versionem ex textu Τῶν LXX., qui erat in Hexaplis Origenis, adornavit; additisque obelis, et asteriscis indicavit, quid omissum, aut additum fuisset textui Hebraico a LXX. Interpretibus. Tum vero hoc labore defunctus opus maxime arduum aggressus est, nimirum translationem Veteris Testamenti in Latinam linguam ex ipso textu Hebraico, dissuadente primum Augustino, postea vero labores illos Hieronymianos plurimum commendante. Haereticos sui temporis, Jovinianum, Vigilantium, Helvidium, Origenianos, quos inter praecipue Ruffinum Aquilejensem Presbyterum, Pelagianos, aliasque Ecclesiae pestes, eloquentia sua, atque eruditione fulminis instar perculit,

atque disjecit. Obiit Sanctissimus senex in Monasterio suo Bethlehemitico anno aetatis LXXXIX., Christi vero 419., die XXX. Septembris. Doctor Ecclesiae fuit sane Maximus, ad interpretandas divinas Scripturas, remque Catholicam fulciendam singulari munere a Deo concessus, trium linguarum, Latinae, Graecae, et Hebraicae peritissimus, eloquentia, ac sacra profanaque eruditione Latinorum ac Graecorum nulli secundus, haereticorum malleus, impiorum terror, Polemicorum facile Princeps; ut adeo recte de illo cecinerit *S. Prosper* Aquitanicus Carmine de Ingratis:

Hebraeo simul et Graio Latioque venustus
Eloquio, morum exemplum, mundique magister.

Quemadmodum autem vivens adhuc Hieronymus haereticos, impiosque homines habuit adversarios, et obtrectatores; ita posterioribus etiam temporibus Lutherus, Calvinus, Oudinus, Caveus, Moshemius, Tillemontius Portus Regii Scriptor, Joannes Clericus, pluresque alii heterodoxi in Hieronymi famam impie, atque inverecunde grassati sunt. Malunt nimirum Jovinianum, Vigilantium, aliosque haereticos duces habere, quam Sanctos Ecclesiae Patres: neque aequo animo ferre possunt magnifica illa elogia, quibus fidem Romanam, Apostolico ore laudatam, S. Hieronymus frequenter celebrat, quibus Cathedram S. Petri effert, quibus a Sede Romana omnem in fidei negotio errorem amovet, quibus omni salutis spe illos excludit, qui a communione Romani Pontificis se subtrahunt. Eruditam S. Hieronymi Apologiam adversus Joannem Clericum edidit *Josephus Zwinger* S. J. Friburgi Brisgojorum A. 1752.

Genuina S. Hieronymi Opera sunt, *Latina divinarum Scripturarum versio* ex Graeco, et Hebraico textu, et *Praefationes* in plerosque divinarum Scripturarum libros: *Epistolae* quam plurimae, laudatoriae, polemicae, exegeticae: *Vitae SS. Pauli Eremitae, Hilarionis, ac Malchi*: *Liber adversus Helvidium de perpetua Virginitate B. Mariae*: *Libri II. adversus Jovinianum*: *Liber adversus Vigilantium*: *Quaestiones, seu Traditiones Hebraicae in Genesim*: *Dialogus adversus Luciferianos*: *Apologiae adversus Rufinum Libri II. Dialogorum adversus Pelagianos Libri III. Commentarii in Ecclesiasten, in XII. minores Prophetas, et in IV. Majores, in Matthaeum, in Epistolam B. Pauli ad Galatas, ad Ephesios, ad Titum, et Philemonem*: *Catalogus Virorum illustrium*, sive *Liber de Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum usque 392., ad Dextrum Praefectum Praetorio, filium S. Paciani Barcinonensis Episcopi, scriptus: *Opusculum de X. visionibus Isaiae. Annotationes in XII. Prophetas, et IV. Libros Regum* exciderunt.

Idem S. Doctor ex Graeco sermone in Latinum vertit *Epistolam S. Epiphanii adversus errores Joannis Jerosolymitani*: *Librum de locis Hebraicis*, et *Chronicon* ex Eusebio Caesariensi: *Interpretationes nominum Hebraicorum* ex Philonis lucubrationibus: *Librum* Didymi Alexandrini *de Spiritu Sancto*. Origenis Adamantii *Homilias XIV. in Jeremiam, XIV. in Ezechielem, II. in Cantica Canticorum, XXXIX. in Lucam. Epistolas aliquot* S. Epiphanii Constantiae, seu Salaminae in Cypro Episcopi, et Theophili Alexandrini, ejusdemque *Orationes III. Paschales*.

Supposititia Criticorum ferme omnium judicio censentur, *Quaestiones, seu Traditiones Hebraicae in Libros Regum, et Paralipomenon*: *Annotationes in Acta Apostolorum*: *Commentarii in Lamentationes Jeremiae Prophetae*, *in omnes S. Pauli Epistolas*, *in Psalterium*: *Libri VII. in Epistolas Canonicas*: *Expositio Marci, et IV. Evangeliorum*: *Commentarii in Job ad Vecterium*, *et in Proverbia Salomonis*: *Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogus* ad Desiderium: *Indiculus de Haeresibus*: *Epistolae II.* Martyrologio praefixae, ac longe probabilius ipsum, etiam *Martyrologium*, quamvis negari nequeat illud esse antiquissimum: *Liber de Vitis SS. Patrum*: *Liber Comitis*, sive *Lectionarius*: *Regulae Monialium ad Eustochium*: *Liber de Fide Nicaeni Concilii*: *De Anna et Joachim*: *De Obedientia et juramento*: *De Vita Episcopi*: *Epistolae* complures in Appendicem rejectae, nempe I. Ad Demetriadem Virginem, probabilius a Pelagio haeresiarcha scripta. III. Ad Geruntii filias de contemnenda haereditate. IV. Ad Marcellam, ut adversa toleret. V. Consolatio ad Virginem, in exilium missam. VI. Ad amicum aegrotum. VII. De viro perfecto. VIII. Institutio amici in scientia divinae legis. IX. De tribus virtutibus. X. Ad Paulam, et Eustochium de Assumptione B. M. V. XI. De eadem Assumptione. XII. De honorandis parentibus. XIII. Ad Rusticum Narbonensem de septem gradibus Ecclesiae. XIV. ad Mauricii filiam de laudibus Virginitatis. XV. De his, quae Deo in Scripturis sanctis attribuuntur. XVI. Damasi Symbolum. XVII. Explanatio Symboli ad Damasum. Est libellus fidei Pelagii haeresiarchae, Romam ab eo missus ad S. Innocentium I. XVIII. Explanatio fidei ad Cyrillum. XX. Ad Praesidium Diaco-

num de Cereo Paschali. XXI. Ad Therasiam de vera circumcisione. XXII. De celebratione Paschae, XXIII. In Susannam lapsam objurgatio. XXIV. In Evagrium objurgatio, quod Levitam lapsum consolatus non sit. XXV. Adhortatio ad militem saeculi, ut Christo militet. XXVI. De decem tentationibus populi Israelitici. XXVII. Explanatio in Psalm. 41. XXVIII. Explanatio in Psalm. 117. XXIX. Ad Dardanum de diversis generibus Musicorum. XXX. De Resurrectione Domini. XXXI. De Nativitate Domini. XXXII. De Epiphania Domini. XXXIII. De Quadragesima. XXXIV. In Vigilia Paschae de esu Agni. XXXV. De Resurrectione Christi. XXXVI. Ad Eustochium de vinculis S. Petri. XXXVII. De observatione vigiliarum. XXXVIII. Ad Pammachium, et Oceanum exhortatoria. XXXIX. Ad quemdam, qui in saeculo poenitebat. XL. De diversis generibus leprarum. XLI. De duobus filiis, frugi et luxurioso. XLVIII. Consolatoria ad Tyrasium super morte filiae suae. XLIX. Ad Oceanum, hortatoria de ferendis opprobriis. L. Ad Oceanum de Vita Clericorum. LI. Epistola Damasi ad Hieronymum, eique subserviens responsio Hieronymi ad Damasum. LIII. Ad Paulam, et Eustochium de virtute Psalmorum. LIV. Ad Damasum de Oblationibus altaris. LVI. Ad Chromatium et Heliodorum Episcopos LVII. De Nativitate S. Mariae.

Opera omnia S. Hieronymi, ad manuscriptos Codices collata, saepius edita fuerunt, Basileae A. 1516. Tomis IX. in folio industria *Desiderii Erasmi Roterodami*, ibidemque recusa A. 1526. 1546. 1565., atque aliis in locis, nempe Lugduni apud Gryphium 1530., et Parisiis 1533. *Marianus Victorius* Episcopus Reatinus aliam editionem aggressus est Tomis IX. in

folio Romae A. 1566., Parisiis dein A. 1579. 1602. 1623. 1643., Antuerpiae 1578, et Coloniae 1616. recusam. Aliam Bibliopolae Lipsienses exhibuerunt Tomis XII. in foliis Lipsiae A. 1684. Benedictini e Congregatione S. Mauri, *Joannes Martianay*, et *Antonius Pouget* Parisiis A 1693. Tomis V. in folio aliam editionem adornarunt. Maximo denique plausu ab Eruditis excepta fuit recentissima S. Hieronymi editio, quam Veronae A. 1735. Tomis XI. in folio molitus est *Dominicus Vallarsius*, Veronensis Presbyter, opem ferente *Scipione Maffejo*. Vitam S. Hieronymi conscripsit saeculo XIV. *Joannes Andreas*, celeberrimus JCtus Bononiensis, sed multis fabulis inquinatam, Basileae A. 1514. impressam. Eruditum de S. Hieronymi Vita Commentarium ex ipsis S. Hieronymi libris exaravit, Venetis A. 1750. impressum, *Sebastianus Dolci* Ragusinus, ex Ordine Minorum S. Francisci, cum hac epigraphe: *Maximus Hieronymos Vitae suae Scriptor, sive de moribus, doctrina, et rebus gestis D. Hieronymi Commentarius.* Absolutissimum denique ac spissum Opus, doctissimis pro more suo observationibus illustratum, de Vita S. Hieronymi edidit Antuerpiae A. 1762. *Joannes Stiltingus* S. J. Bollandi continuator, in Actis Sanctorum Tomo VIII. Septembris ad diem ejusdem mensis trigesimum.

CXVII. *S. Hilarius*, Gallus origine, splendore natalium conspicuus, Lerinensis Coenobii sub S. Honorato Abbate Monachus, tum eidem demortuo in Arelatensi Cathedra A. 429. successor datus est, omnium virtutum in sacro ministerio factus exemplar. In praedicatione verbi divini indefessus, erga pauperes, et captivos beneficentissimus, ornamenta etiam Ecclesiarum, patenas, et calices, in eorum redemptionem et solatium

impendebat. Eodem cum Clericis suis contubernio utebatur, religiosae paupertatis eximius cultor, ac saepe labori manuum vacans. Rejensi Concilio A. 439. praesedit in causa Armentarii Ebrodunensis Episcopi, quem ob varias causas Episcopatu dejecit, et Arausicano I. A. 441., ad quod XV. Episcopi ex Gallia Narbonensi, et Lugdunensi confluxere. In Concilio quodam incerti loci A. 444., ut Honoratus Massiliensis memorat, aut quicunque alius est Vitae ejusdem S. Hilarii author, Chelidonium Ecclesiae Gallicanae Episcopum, Vesontionensem, ut quidam contendunt, gravium criminum accusatum, Episcopatu spoliavit: quae res cum S. Leone Romano Pontifice eum commisit. Chelidonius enim Romam ad S. Leonem confugit; cumque se ab iis immunem probasset criminibus, ob quae fuerat exauctoratus, praesente etiam S. Hilario, qui Romam pariter se contulerat, reque adhuc pendente, ac judicio nondum absoluto, clam recesserat Arelatem rediturus, a Synodo Romana dignitati suae restitutus est. Cumque Hilarius humani aliquid hic passus, etiam post latam a Synodo Romana sententiam, Chelidonium Episcopum agnoscere, atque cum eo communicare nollet, S. Leo data ad Viennensis provinciae Episcopos epistola in Hilarium vehementer invectus, sua cum communione privavit, suisque Ecclesiam Arelatensem exuit privilegiis, juraque Metropolis in Viennensem transtulit. Utque Ecclesiasticae Leges gladio Principum armarentur, Flavius Valentinianus Aug. Rescripto ad Aëtium Patricium, ac militiae in Gallia Magistrum dato, Leonis sententiam executioni jussit mandari. Hilarius pro sua erga Apostolicam Sedem reverentia nihil non egit ut priorem illam maculam elueret, ac Leonem Pontificem sibi deme-

reretur, atque ab omni deinceps contentione quievit, Auxiliaris potissimum Galliarum Praefecti consilio, missis etiam Romam ad S. Leonem Ravennio Presbytero, suo postea in Episcopatu successore, Nectario, ac Constantio Episcopis, qui culpam deprecarentur. Tandem fracta per jejunia et labores continuos valetudine, annos natus XLVIII. die V. Maii A. 449. ad Superos abiit Arelate, ob egregias virtutes, et spectatissimam morum sanctitatem ab aevi illius Scriptoribus maximopere commendatus, atque ab ipso etiam S. Leone M. pro Viro Sancto habitus, ut constat ex illius Epistola CVI. post S. Hilarii obitum scripta ad Episcopos per Arelatensem provinciam constitutos.

S. Hilarium Arelatensem Semipelagianorum erroribus adhaesisse, non modo Jansenii pedissequi, aliique heterodoxi, sed quidam etiam Catholici Scriptores asserunt; idque ex Epistola inter Augustinianas CCXXV. S. Prosperi Aquitanici ad S. Augustinum evincere conantur, in qua dicitur: *Credimus, et speramus, non solum tenuitatem nostram disputationum tuarum praesidio roborandam, sed etiam ipsos, quos meritis et honoribus claros caligo istius opinionis obscurat, defaecatissimum lumen gratiae recepturos. Nam unum eorum, praecipuae auctoritatis, et spiritualium studiorum virum, Sanctum Hilarium Arelatensem Episcopum sciat beatitudo tua admiratorem, sectatoremque in aliis omnibus tuae esse doctrinae: et de hoc, quod in querelam trahit, jam pridem apud sanctitatem tuam sensum suum per litteras velle conferre. Sed utrum hoc facturus, aut quo fine sit facturus, incertum est.* Verum illud quod in querelam trahebat Hilarius, de quo Augustinum consulere decreverat, et suam cum Augustino conferre sen-

tentiam, non pertinebat ad necessitatem praevenientis gratiae interioris tum ad primam fidem, tum ad ultimam perseverantiam: nec ad ea, quae necessitatem hanc consequuntur, in quibus omnis Semipelagianus versabatur error; sed ad nonnullas quaestiones, gratuitam praedestinationem spectantes. Hujusmodi sunt v. g. utrum praedestinatio ad gloriam sit ante vel post praevisa superna merita. Utrum ipsamet mere gratuita praedestinatio ad gratiam praecedat, an comitetur, an vero subsequatur praescientiam Dei, de quibus ipsemet Prosper, haud sane Semipelagianus, S. Augustinum ad calcem Epistolae consuluit. Vide dicta Tomo V. Theol. Dogmatico-Polemicae, Num. DXX. et DXXI. Quod autem S. Hilarius Arelatensis a Semipelagiana sententia prorsus abhorruerit, preclarissimum testimonium habemus apud Honoratum Massiliensem Episcopum, Arelatensis Hilarii aequalem, qui ejus Vitam litteris commendavit. Honoratus igitur referens extrema verba jam morientis Hilarii, eum, quod Semipelagianum errorem evertit, dixisse testatur: *Proprium munus esse coelestis gratiae praecedere industriam hominis; et proprium esse munus industriae hominis subsequi coelestem gratiam.*

Scripta S. Hilarius *Vitam* decessoris sui, *S. Honorati Arelatensis Episcopi*, quam exhibent *Vincentius Barralis* Monachus Lerinensis in Chronologia Abbatum Lerinensium Lugduni edita A. 1613., et *Paschasius Quesnellus* Tomo I. Operum S. Leonis M. Parisiis A. 1675. Item teste Honorato Massiliensi in ejus Vita, Cap. XI. *Homilias* pro totius anni festivitatibus, *Expositionem Symboli*, ac magno numero *Epistolas*, quae tamen omnia injuria temporum exciderunt. *Poëma de septem fratribus Machabaeis*, ab Antiocho Epiphane

interfectis, atque alterum *de Providentia Dei*: item *Carmen in Genesin*, haud inverisimiliter S. Hilario Arelatensi adscribuntur. At vero geminae Epistolae ad S. Augustinum, nempe CLVI. inter Augustinianas, et CCXXVI. non Arelatensem, sed alium Hilarium authorem habent; prior quidem Hilarium Syracusanum Monachum, posterior vero Hilarium natione Gallum, ordine laicum, S. Augustini discipulum.

CXVIII. *Hilarius*, Romanae Ecclesiae Diaconus, Sardiniam Insulam patriam habuit. Mediolanum A. 355. a Liberio Romano Pontifice cum Lucifero Calaritano Episcopo, ac Pancratio Presbytero missus cum litteris ad Constantium Augustum, qui Ursacii et Valentis Episcoporum malis artibus circumventus, totius orbis judicio S. Athanasium Alexandrinum damnari cupiebat; quod Caesari iniqua postulanti invicte restitisset, flagris conscissus, atque in Thebaide exulare fuit jussus. At confessionis gloriam nefario schismate, et errore paulo post corrupit. Luciferianis enim schismaticis adhaesit; quin et haereticorum, Arianorum praecipue, Baptismum nullum prorsus esse contendit, *Deucalion orbis* idcirco a S. Hieronymo in Dialogo adversus Luciferianos appellatus. At cum Eucharistiam conficere non posset, Episcopos, et Presbyteros non habens, neque Baptismum sine Eucharistia tradere, uti nunc mos erat, cum eo pariter periit et secta, quia post se nullum Clericum Diaconus potuit ordinare. Immo ante mortem eum resipuisse, atque ad Ecclesiae unitatem rediisse verisimillimum est. Auctor fuit *Commentariorum in Epistolas S. Pauli*, jam olim S. Ambrosio Mediolanensi, atque ab aliquibus Remigio Lugdunensi perperam adscriptorum, quia ad calcem Operum S. Ambrosii excusi sunt:

et *Quaestionum Veteris et Novi Testamenti*, quas Maurina S. Augustini Editio exhibet in Appendice Tomi. III. Etenim S. Augustinus Lib. IV. contra duas Epistolas Pelagianorum, Cap. IV. scribit: *Sic Sanctus Hilarius intellexit, quod scriptum est, In quo omnes peccaverunt. Ait enim: In quo, id est, in Adam omnes peccaverunt etc.* Quae totidem verbis leguntur in Commentariis Cap. V. Epistolae ad Romanos. Atqui Commentariorum illorum author non est S. Hilarius Pictaviensis, ut styli, versionis Scripturarum, ac doctrinae diversitas demonstrant: neque S. Hilarius Arelatensis, aut alter Hilarius Augustini discipulus, aut Monachus ille Syracusanus, qui multis annis floruere post mortem S. Damasi, quo adhuc vivente hi Commentarii conscripti sunt, ut Author ipse disertis verbis testatur in Cap. III. Epistolae I. ad Timotheum: *Cum totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus ejus dicitur, cujus hodie Rector est Damasus.* Ex eo autem, quod honorifice de Damaso loquatur Hilarius Diaconus, quodque contra Rebaptizantes Schismaticos luculentam dicat sententiam in Cap. I. Epistolae II. ad Corinthios, merito infertur, resipuisse illum a Rebaptizantium haeresi, et Luciferiano schismate. Unde illum S. Augustinus, loco superius citato, *Sanctum* appellavit. *Cornelius Jansenius* Iprensis Lib. VII. de Pelagiana haeresi, Cap. IV. Authorem illorum Commentariorum Pelagianis erroribus refertum esse asserit. Verum licet aliqua in eis sint durius dicta, eadem tamen a Patribus Graecis, ac praesertim a S. Joanne Chrysostomo iisdem pene verbis ad eosdem locos Apostoli fuerunt prolata, quia Pelagianis nondum litigantibus securius illi loquebantur. Quare tam in Hilario, quam in aliorum Antiquorum Commentariis benigna interpretatione loca illa molliri debent.

CXIX. *S. Hilarius*, quem B. Hieronymus virum appellavit disertissimum, Latini sermonis tubam, et Latinae eloquentiae Rhodanum, Pictavis in Aquitania ex nobilibus quidem, sed ethnicis parentibus progenitus, ac profanis litteris eruditus, eloquentiam praecipue excoluit. Discussis variis Philosophorum de Deo, ac beatitudine sententiis, que ipsi minime probabantur, in codicem incidit divinarum Scripturarum, quarum lectione meliora sapere edoctus, ejurata inanium Deorum superstitione Christo nomen dedit, uxore, et filia in id consilium facile pertractis. Ex eo tempore variis pietatis operibus se exercuit, in matrimonio quasi Monachi vitam agens, Deumque, quo plenus erat, in alios etiam effundens, laicus adhuc privatis sermonibus plebem ad pia religionis, ac virtutis studia excitabat. Quo factum est, ut a Pictaviensibus unanimi consensu in Episcopum postulatus, S. Maxentio, fratri S. Maximini Trevirensis, successerit, conjuge adhuc superstite, quae et ipsa continentiam professa est. Hilarii electio non Pictaviensibus modo, sed universis etiam Galliis saluti fuit, quae tanti viri eloquentia, pietate, ac fortitudine ab Arianismo liberatae sunt. Cum enim Ariani in Concilio Mediolanensi A. 355. exiliis, et proscriptionibus in Episcopos, Nicaenae fidei propugnatores, grassarentur, multique ex Orthodoxis Episcopis metu fracti, aut fraudibus decepti, Arianis communicarent, metuendum erat ne Orbis Christianus in ultimam perniciem rueret. Hilarius itaque, inito cum Galliarum Episcopis consilio, auctores totius mali Saturninum Arelatensem, Valentem Mursae, et Ursacium Singiduni Episcopos a fidelium communione separandos decrevit, indulta resipiscendi facultate caeteris eorum consortibus.

Id cum iniquo animo ferrent Episcopi Ariani, ipseque in primis Saturninus, a Constantio Imperatore obtinuerunt, ut A. 356. Byterris Concilium cogeretur, in quo libellus Hilarii, qui Arianorum latebras, ac dolos pandebat, legi prohibitus est, Edictumque a Constantio impetratum, quo Hilarius in Phrygiam relegatus est. Quadriennium ferme suo in exilio transegit Sanctissimus Christi Confessor, interfuitque A. 359. Seleuciensi in Isauria Concilio, in quo nihil ex ordine et legitime fuit actum ob continuas Episcoporum Acacianorum et Semiarianorum altercationes. Inde CPolim ad Constantium profectus, ubi extremum fidei animadvertit periculum, ut de fide coram adversariis sibi licere disceptâre, ab Imperatore petiit. Verum Ursacii et Valentis consilio, qui cum illo in arenam descendere verebantur, a Constantio A. 360. in Gallias remissus, ingenti Galliarum, totiusque Occidentis gratulatione exceptus est. Cum vero Auxentius, Mediolanensis Episcopus Arianus, S. Dionysio in exilium acto subrogatus, sub ovina pelle lupum tegeret, assumptaque Catholici nominis larva multos in errorem pertraheret, ipsique Valentiniano Imperatori fucum faceret; Mediolanum Hilarius contendit, omnemque impendit operam, ut patefactis insidiis lupum ea ex urbe abigeret. Verum quia Valentinianus, Catholicus caeteroqui ac religiosus Princeps, sed veteratoriis Auxentii artibus, et dolosa fidei ejus professione deceptus, Hilarium, velut rixarum cupidum, ac res novas molientem, Mediolano excedere jusserat, paruit Vir sanctissimus; eumque aliam omnem veritatis defendendae viam sibi occlusam esse animadverteret, Scriptum ad omnes Episcopos directum edidit, quo Auxentii fraudes omnium

oculis exposuit. Tandem Pictavos se recepit, qua in urbe post plurimos pro Catholica fide exantlatos labores, die XIII. Januarii A. C. 367. ad Superos migravit ante et post obitum prodigiis illustris.

Genuina atque indubitata S. Hilarii Pictaviensis Opera sunt, *Commentarii in Psalmos*: *Commentarii in Matthaeum*: *Libri XII. de Trinitate*: *Liber de Synodis, seu de fide Orientalium*: *Epistola ad Abram filiam cum Hymno matutino ad eamdem*: *Libri II. ad Constantium Imperatorem*: *Liber contra Constantium Augustum*: *Liber contra Arianos, vel Auxentium Mediolanensem*. Prodierunt Opera omnia S. Hilarii quam emendatissima, doctisque adnotationibus illustrata, Parisiis 1693. studio *Petri Coustant O. S. B.* e Congregatione S. Mauri, et Veronae 1730. curis Viri, apud eruditos celeberrimi nominis, *Scipionis Maffeii*. Libri alii ab eodem S. Hilario conscripti, quorum catalogum exhibet S. Hieronymus Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, injuria temporum interciderunt; nempe *Liber ad Sallustium*, *Liber Hymnorum*, *Liber Mysteriorum*, *Tractatus in Job*, *Epistolae ad diversos*, *Liber in Cantica Canticorum*, *Liber adversus Valentem et Ursacium*, *historiam Ariminensis et Seleuciensi Synodi continens*. Caeterum *fragmenta*, quae S. Hilarii nomine *Nicolaus Faber* omnium primus Parisiis edidit A. 1598. ex Bibliotheca Petri Pithaei, non esse partem libri illius adversus Valentem, et Ursacium; neque ab Hilario umquam fuisse exarata, eoquod multa contineant vitiosa, falsa, inepta, ad propositum non conducentia, indignaque prorsus sanctitate, prudentia, eruditione, modestiaque, et justitia S. Hilarii, invictis argumentis ostendit *Joannes Stiltingus*, Bollandi conti-

nuator, in Actis Sanctorum, Tomo VI. Septembris ad diem XXIII. in Commentario Chritico-Historico de S. Liberio, Cap. II.

CXX. *Hincmarus*, ex nobili ortus Francorum familia, Monachum primo professus est in Monasterio S. Dionysii prope Parisios O. S. B. sub Hilduino Abbate, quem semel atque iterum ab Imperatore Ludovico Pio deficientem, ipse in gratiam Principis restituit. In Aulam vocatus Regio jussu Abbatiam S. Germani regendam suscepit, ac decennio post Ebbonis depositionem a Clero et plebe Metropolis Rhemensis in Concilio Bellovaoensi A. 845. Archiepiscopus electus est, annitente Carolo Calvo Rege, die XVII. Maii solitis Ecclesiae caeremoniis consecratus. Interfuit quam plurimis per ea tempore celebratis Conciliis, Meldensi A. 845. Parisiensi 846. Carisiaco I. 849. Carisiaco II., in quo celeberrima quatuor Capitula adversus Gothescalci errores condita sunt A. 853. Turonensi IV. 849. Svessionensi II. 853. Vermeriensi II. 853. Tullensi apud Saponarias, et Metensi 859. Tussiacensi 860. Pistensi 862. Tricassino I. 867. Duziacensi A. 871. Pontigonensi 876. Tricassino II. 878. Ob fidem contra Gothescalcum vindicatam, egregiam laudem promeritus est Hincmarus; at vero propter gesta in Rothadum, Suessionensem Episcopum, in Wulfadum, et socios, in Hincmarum nepotem, Laudunensem Episcopum, magnam apud plerosque invidiam subiit, et Summorum Pontificum S. Nicolai I. et Hadriani II. offensionem. Obiit Sparnaci ad Matronam fluvium, quem in locum cum thesauro Ecclesiae Rhemensis, et corpore S. Rhemigii se receperat metu Normannorum, rapinis et incendiis cuncta vastantium, anno Christi 882. mense Decembri,

eum sedisset in Rhemensi Cathedra annis XXXVII. Vir fuit inter saeculi sui eruditissimos merito numerandus, disciplinae Ecclesiasticae, et Sacrorum Canonum vindex acerrimus, praecipue cum ipsi in propria causa suffragari viderentur. Caeterum imperiosum fuisse Praesulem erga Coëpiscopos suos, ac sententiae suae plus justo tenacem, multaque impetu magis quam solerti consilio egisse, negari vix potest. Scripsit *de Praedestinatione Dei et Libero Arbitrio* contra reprehensores suos, maximeque contra Gothescalcum, et Ratramnum *Libros tres* ad Carolum Calvum Regem, cujus Operis sola hodiedum restat Praefationis Epistola: *Posteriorem dissertationem de Praedestinatione et Libero Arbitrio adversus Gothescalcum*: *De non trina Deitate adversas Gothescalcum*: *De divortio Lotharii Regis, et Reginae Theutbergae*: *Capitula, Parochiae Rhemensis Presbyteris et Archidiaconibus data*: *De coronatione Caroli Calvi, Ludovici Balbi, Judith, Hermintrudis*: *Expositionem in Ferculum Salomonis*: *Vitam S. Remigii, Rhemorum Archiepiscopi*: *De Regis persona, et regio ministerio ad Carolum Calvum Regem*: *De cavendis vitiis, et virtutibus exercendis*: *De diversa et multiplici animae ratione*: *Novi Regis institutionem ad rectam regni administrationem ad Ludovicum Balbum Regem*, *Opusculum LV. Capitulorum ad Hincmarum Laudunensem*: *Item complures Epistolas* ad Reges, Episcopos et Concilia exaratas. Opera omnia Hincmari duobus Tomis in folio edidit *Jacobus Sirmondus* S. J. Parisiis A. 1645.

CXXI. *S. Hippolytus* gente Arabs, Clementis Alexandrini discipulus, et Origenis coaevus, sub Alexandro Severo Imperatore floruit. Episcopum fuisse cer-

to constat; sed an Episcopus fuerit Portus Romani in Italia ad Ostia Tiberina, vel Portus Romani in Arabia, sive Adanensis, aut cui demum praefuerit Ecclesiae, incertum est: Eusebius enim, et S. Hieronymus, diu in Oriente, atque etiam Romae versatus, ambo ab Hippolyti aetate non adeo remoti, cujus Ecclesiae Episcopus fuerit, scire se non potuisse testantur. Circa medium saeculi III. forte sub Decio Imperatore, Martyr pro Christo occubuit, cujus memoriam Latina Ecclesia peragit die XXII. Augusti. Multa scripsit antiquissimus hic Martyr Opuscula, quae *Eusebius* Lib. VI. Hist. Eccles. Cap. XVI., et *S. Hieronymus* in Catalogo Virorum illustrium, Cap. LXI. recensent; nempe *Canonem* sive *Cyclum Paschalem* XVI. annorum, ab anno I. Alexandri Severi incipientium: *Commentarios in Scripturam de Opere sex dierum, in Genesin, Exodum, Canticum Canticorum, Psalmos, Isaiam, Zachariam, Danielem, in Proverbia, Ecclesiastem, in capita quaedam Ezechielis, in Apocalypsin: De Saul et Pythonissa: De Antichristo: De Resurrectione: Contra Marcionem: Adversus omnes haereses: Homiliam de laude Domini Salvatoris.* Verum omnia haec, praeter fragmenta quaedam, et Canonem, sive Cyclum Paschalem, in agro Verano A. 1551. inventum, et Lugduni Batavorum editum A. 1595. a *Josepho Scaligero*, atque Latine redditum, notisque eruditissimis illustratum in Commentario de Doctrina temporum ad Victorii Aquitani Canonem Paschalem ab *Aegidio Bucherio* S. J. A. 1634. Antuerpiae, injuria temporum perierunt. *Oratio de consummatione mundi, et Antichristo ac secundo adventu Domini nostri Jesu Christi*, cujus meminit *Photius* in Bibliotheca, Codice

CXXI., et CCII. item *Homilia de Deo trino, et uno, et de mysterio Incarnationis contra haeresin Noeti*, ac *Demonstratio adversus Judaeos*, inter dubia S. Hippolyti Opuscula numeranda sunt. Eidem S. Martyri abjudicandus videtur *indiculus de duodecim Apostolis*, ubinam quisque eorum praedicaverit, et ubi consummatus sit: item *Liber de Theologia, et Incarnatione* contra Beronem, et Helicen haereticos; praeterquam enim quod Beronis et Helices nulla sit in tota retro antiquitate memoria, librum illum nullus Veterum laudavit: nec solum post haereses Apollinaris, et Eutychetis jam ortas, verum etiam post Monothelitarum haeresin effusam, quae ex instituto ibi refellitur, adeoque non ante septimum saeculum elucubratus videtur. S. Hippolyti Episcopi et Martyris Opera omnia duobus Tomis in folio edidit *Joannes Albertus Fabricius* Hamburgi A. 1716.

CXXII. *Honorus*, Augustodunensis Presbyter, et Scholasticus, saeculo XII. floruit temporibus Henrici V. Imperatoris. Scripsit *Libros III. de Mundi imagine*: *Libros IV. de Mundi philosophia*: *Elucidarium*, S. Anselmo Cantuariensi olim suppositum: *Seriem Romanorum Pontificum* a S. Petro ad Innocentium II. *Librum de Luminaribus Ecclesiae*, sive de Scriptoribus Ecclesiasticis ad sua usque tempora: *Catalogum Haereseon* ab ortu Ecclesiae: *Gemmam animae, sive de Divinis Officiis, et antiquo ritu Missarum Libros IV. Quaestiones, et Responsiones in duos Salomonis libros, Proverbia*, et *Ecclesiasten*: *Commentaria sive Expositionem in Cantica Canticorum Salomonis*: *Sigillum B. Mariae*, ubi eadem Cantica Canticorum exponantur: *Inevitabile*, sive *Dialogum de Praedestina-*

tione, *et Libero Arbitrio*. Extant recensita, et aucta cura et studio *Andreae Schotti* S. J. Tomo XII. Bibliothecae Coloniensis Veterum Patrum, et Tomo XX. Bibliothecae Maximae Lugdunensis.

CXXIII. *Hugo* de *Sancto Caro*, quem aliqui perperam Barcinone in Hispaniis natum fuisse asserunt, ex Barcinoneta, Delphinatus oppido, in valle, quae ad Ebrodunum vergit, oriundus, ex Doctore Theologo Parisiensi, et Provinciali Franciae, primus Ordinis Fratrum Praedicatorum Cardinalis Tit. S. Sabinae ab Innocentio IV. Papa A. 1245. creatus, et Legationibus Apostolicis in Germania et Gallia praeclare functus est. Obiit XIX. Martii A. 1264. Urbe veteri, ubi primum corpus ejus sepultum fuit, Lugdunum deinde translatum, atque in Templo Fratrum Praedicatorum tumulo illatum. *Bibliorum Concordantias* primus excogitavit, et quingentorum monachorum sui Ordinis ope adiutus perfecit. Has porro Bibliorum Concordantias sic ipse instituit, ut Nomina tantum, et Verba repraesentarentur, exclusis particulis, quae mutatione carent. Illas quoque adjunxit *Conradus Halberstadius*, ac dimidio circiter saeculo post Hugonis inventionem ad summam commoditatem hoc verbi divini promptuarium adduxit. Scripsit etiam *Commentarium*, seu *breves Glossas in Vetus*, *ac Novum Testamentum* juxta quadruplicem sensum, ac specialem *Commentarium in Psalterium*, quae omnia Basileae A. 1504., Parisiis 1548. Venetiis 1600., Lugduni 1669., ac nuper iterum Venetiis 1737. edita sunt Tomis VIII. in folio. Composuit etiam *Sermones de Tempore*, *et de Sanctis*, Parisiis, et *Speculum Sacerdotum et Ecclesiae* Lugduni impressum A. 1554.

CXXIV. *Hugo Etherianus*, Pisis in Hetruria natus, vir Graece Latineque doctus, cum apud Manuelem Imperatorem, apud quem magnae authoritatis erat, Constantinopoli ageret, scripsit A. 1177. *Libros III. de Haeresibus*, quas Graeci in Latinos devolvunt, sive de Processione Spiritus Sancti, quos Alexandro III. Romano Pontifici nuncupavit. Scripsit etiam librum *de Regressu Animarum ab inferis* ad Clerum Pisanum, contra errorem quorumdam Pisanorum dicentium, preces et sacrificia mortuis nihil prodesse, quin etiam de veritate Resurrectionis dubitantium. Prior Liber Basileae impressus fuit A. 1543. Posterior Coloniae 1540. Uterque extat Tomo XXII. Bibliothecae Maximae Lugdunensis.

CXXV. *Hugo Victorinus*, sive de S. Victore, Ipris in Flandria natus, aliis natione Saxo, Ordinis S. Augustini Canonicus in Coenobio S. Victoris ad muros Parisienses, S. Bernardo Clarevallensi amicissimus, scientiae Theologicae laude aevo suo unus omnium maxime floruit, dictus a quibusdam *S. Augustini lingua*, quod in Augustini scriptis versatissimus esset. Obiit Parisiis A. 1142. die XI. Februarii, insignis probitatis, et scientiae fama post se relicta, aetatis annos non plures quam XLIV. natus. Multos reliquit posteris libros, in quibus praecipue Sacra Scriptura partim in sensu morali, partim in allegorico explicatur. Scripsit quoque *Institutionem in Degalogum*, *De arrha animae*, *De laude charitatis*, *De modo orandi*, *De sapientia animae Christi*, *De Verbi Dei efficacia*, *De Verbo Dei incarnato disputationes tres*, *De perpetua Virginitate B. Mariae*, *De Sacramentis Christianae fidei libros duos*, *Epistolam ad Joannem Archiepiscopum Hispa-*

lensem a fide apostatam, quam *Card. Baronius* exhibet Tomo XII. Annalium Ecclesiasticorum ad annum 1135. *Summam Sententiarum* septem tractatibus comprehensam, in quibus *de Fide*, *Spe*, *et Charitate*, *de Trinitate*, *et Incarnatione*, *de creatione et statu Angelicae naturae*, *de creatione*, *et statu humanae naturae*, *de praeceptis divinis*, *ac denique de Sacramentis in genere et specie* agitur. Opera omnia Hugonis Victorini III. Tomis in folio prodierunt Parisiis A. 1526., Venetiis. 1588. studio *Thomae Garzonii* Canonici Regularis Lateranensis, Coloniae 1609., ac demum Rothomagi 1648. Plurima tamen Opuscula in has editiones Hugonis Victorini irrepserunt, eidem abjudicanda, et legitimis parentibus restituenda. Sic *Liber de institutione Novitiorum* spectat ad Guilielmum Peraldum O. P. *Liber de operibus trium dierum* ad alium Scriptorem ignotum. *Libri IV. de Claustro animae*, *Liber de medicina animae*, *Libri II. priores de avibus et feris* ad Raynerum conversum, *Libri II. de Nuptiis carnalibus*, *et spiritualibus*, *Libelli IV. de Vanitate mundi*, *et Libri V. de Arca mysticae*, *et moraliter*, ex fide Manuscriptorum Codicum spectant ad Hugonem de Folieto Monachum Benedictinum Corbejensem. Alii *duo Libelli posteriores de proprietatibus animalium et aliarum rerum*, pertinent ad Guilielmum Peraldum O. P., vel ad Joannem Cornubiensem Anglum, cui adscribendum est *Opusculum de Canone mystici Libaminis*. *Libri III. de caeremoniis, et Officiis Ecclesiasticis* authorem habent Robertum Paululum Presbyterum, Episcopi Ambianensis domesticum. *Opusculum de Spiritu, et anima* ab Isaaco Stellae Abbate Ord. Cisterciensis exaratum fuit. *Libri XXIV. Excerptionum*, sive An-

notationum, qui dispersi, atque a se invicem divulsi in III. Tomis Hugonis Victorini continentur, opus sunt vel Richardi Victorini, vel potius Richardi Cluniacensis Monachi O. S. B. qui circa annum 1180. vel 1190. multa scripsit. *Miscellaneorum Libri VI.* ab alio quodam, forte Richardo Cluniacensi, collecti fuerunt ex Operibus ipsius Hugonis Victorini, S. Bernardi, et Gaufridi Abbatis Claravellensis. *Libri IV. de Anima, et ejus ad sui, et ad Dei cognitionem, ac veram pietatem institutione*, quorum primus, et tertius per errorem in S. Bernardi Opera immigrarunt sub titulo Meditationum de Cognitione humanae conditionis, et de Interiore domo, secundus vero in Opera S. Augustini; parentes habent primus, et tertius Guilielmum, S. Theodorici prope Rhemos Abbatem, secundus Isaacum Stellae Abbatem, quartus Monachum incerti nominis. *Chronicon* ad annum usque 1128. ab Hugone, non Victorino, sed Floriacensi Monacho conscriptum fuit. Denique *Quaestio*, sive libellus *de voluntate, et potestate Dei*, *Apologia de Verbo Incarnato, et Speculum Ecclesiae*, Scholastici cujusdam uno saltem saeculo Hugone Victorino posterioris sunt opus.

CXXVI. *Humbertus*, Abbas Monasterii Mediani in Dioecesi Tullensi, propter singularem eruditionem A. 1049. a S. Leone IX. ex Lotharingia Romam ductus, Siculis datus est Archiepiscopus, ac postea S. R. E. Cardinalis, et Episcopus Sylvae candidae renuntiatus, ab eodem S. Leone IX. CPolim Legatus Apostolicus missus fuit ad Constantinum Monomachum, Orientis Imperatorem, cum Petro Amalphitano Archiepiscopo, et Friderico, Godefridi Lotharingiae et Hetruriae Ducis fratre, S. R. E. tunc Cancellario, qui postea sub Ste-

phani IX. nomine ad Summum Pontificatum evectus est. Humbertus Legationis Princeps cum sociis ab Imperatore maximis onoribus exceptus, gemino edito libello, in plures articulos diviso, quo tria potissimum complectebatur capita, *de azymo*, *de jejunio Sabbathi*, *et conjugio Sacerdotum*, Latinae Ecclesiae causam strenue propugnavit adversus Michaëlem Cerularium, Patriarcham CPolitanum, Leonem Acridanum, apud Bulgaros Archiepiscopum, et Nicetam Pectoratum, Monachum Studitam. Extat utrumque Scriptum apud *Baronium* in Appendice Tomi XI. Annalium Ecclesiasticorum, apud *Henricum Canisium* Tomo VI. Lectionis Antiquae, et in Bibliotheca Maxima Lugdunensi Tomo XVIII. Nicetas Pectoratus coram Legatis, atque ipso praesente Imperatore, libellum a se vulgatum contra Sedem Apostolicam totamque Latinam Ecclesiam damnavit, iisque omnibus, qui Ecclesiam Romanam Ecclesiarum omnium primam esse negarent, aut ejus Fidem numquam non Orthodoxam reprehenderent, anathema dixit. Atque ita in communionem Legatorum receptus, firmo exinde amicitiae foedere ipsis junctus est. At majori impendio sua stetit Cerulario pertinacia. Cum enim is Legatis colloqui, eorumque conspectum subire praefracte recusaret, Legati S. Sophiae Templum ingressi, Clericis ad Missam celebrandam jam paratis, ac de Patriarchae pertinacia multa conquesti, Altari principi Decretum excommunicationis praesente populo imposuerunt, ac paulo post A. 1054. vela in Italiam fecerunt. Obiit Humbertus circa annum 1067., quo Mantuanae Synodo sub Alexandro II. interfuit Mainardus Sylvae candidae Episcopus, Humberti successor.

J

CXXVII.

Jacobus de *Vitriaco*, sic dictus a Vico Dioecesis Parisiensis, ubi natus fertur, Canonicus Regularis in Monasterio Ogniacensi ad Sabim, quod inter Nivigellam et Namurcum in honorem S. Nicolai erectum est, Argentoliensis initio Parochus, dein Acconensis, seu Ptolemaidis in Palaestina Episcopus, demum a Gregorio IX. A. 1230. S. R. E. Cardinalis et Episcopus Tusculanus renunciatus est. Multis pro Sede Apostolica Legationibus perfunctus, obiit Romae A. 1244. Corpus ejus Roma Ogniacum ad B. Mariam, prout ipse vivens praeceperat, insigni pompa delatum, ibidem juxta corpus Dei famulae quiescit. Scripsit *Libros II. de Vita B. Mariae Ogniacensis*, quos *Bollandi* Continuatores exhibent in Actis SS. Tomo IV. Junii ad diem XXIII. ejusdem mensis: *Conciones in Evangelia, et Epistolas totius anni*, cura *Damiani* a *Ligno* O. P. Antuerpiae impressas A. 1575. *Libros III. Historiae Orientalis, et Occidentalis*, quorum primum et Secundum *Andreas Hojus* Brugensis Duaci edidit A. 1597., tertium vero ex Bibliotheca Bavarica *Jacobus Gretserus* S. J. Ingolstadii 1604., a *Jacobo Bongarsio* Hanoviae 1611. insertos Collectioni suae Expeditionum Orientalium, sive Gestorum Dei per Francos, cum Epistola ab eodem Jacobo de Vitriaco in Lotharingiam missa *de expugnatione Damiatae*. Libri III. Historiarum a vulgato diversi editionem exhibent *Martene* et *Durand* O. S. B. Tomo III.

Anecdotorum, qui et *epistolas* ejus quatuor ad Honorium III. Papam vulgarunt. Extat etiam ejus epistola ad Honorium *de calamitatibus Terrae sanctae* in Spicilegio *Lucae Dacherii* Tomo III.

CXXVIII. *S. Ignatius*, natione Syrus, successor Evodii, et Antiochenae Ecclesiae post Apostolum Petrum secundus Episcopus, ob insignem vitae sanctimoniam *Theophorus* appellatus, jussu Trajani Imperatoris, qui devictis Dacis in Orientem moverat Parthis bellum illaturus, Antiochia Romam ductus est, ibique in Amphitheatro a feris discerptus, ad Superos migravit A. C. 107. Coss. Licinio Sura, et C. Sosio Senecione, ut testantur antichissima, et genuina S. Martyris Acta, quae *Ruinartus* edidit. Ossa grandiora, quae sola de corpore ejus a feris absumpto superfuerunt, linteo involuta, ut pretiosissimus thesaurus Antiochiam translata sunt, magno omnium fidelium, quocunque sacrae Reliquiae perveniebant, solatio. Tandem capsae inclusa in Coemeterio ad Portam Daphnes sepulta sunt. Scripsit S. Martyr in itinere, cum ad bestias damnatus Romam a decem militibus duceretur, *Epistolas VII.*, *ad Ephesios ad Trallianos*, *ad Romanos*, *ad Philadelphienses*, *ad Smyrnenses*, *ad Magnesianos*, *atque ad S. Polycarpum* Smyrnae Episcopum, quas germanas esse, et genuinum S. Ignatii foetum, non modo Catholici tantum non omnes, sed complures etiam ex doctioribus Heterodoxis cum Usserio, Vossio, Hammondo, Caveo, Pearsonio etc. adversus Blondellum, Salmasium, Cocum, Dallaeum, et Oudinum tuentur, cum earum mentio fiat apud *S. Irenaeum* Lib. III. adv. Haereses, Cap XXXVI. *Origenem* Hom. VI. in Lucam, *Eusebium Caesariensem* Lib. III. Hist. Eccles. Cap. XXX. *S. Athanasium* in Epist. de Sy-

nodis Arimini et Seleuciae, *S. Hieronymum* in Catal. Virorum illustrium, Cap. XXVI. *Theodoretum* in Dialogo *Immutabilis*, ac posteriorum temporum Scriptores. Illud negari nequit, has septem Ignatii Epistolas saeculo VI. interpolatas fuisse, multaque in eas intrusa ab Ignatii aetate, et institutis aliena; eas tamen ex optime notae MSS. cum Latinis tum Graecis integritati suae restituerunt Usserius, et Vossius. Aliae, quae sub Ignatii nomine circumferuntur Epistolae, nempe *una ad Mariam Deiparam*, et *duae ad Joannem Evangelistam* quae Latinae tantummodo extant, omnium Eruditorum judicio supposititiae sunt, Graecis omnibus incognitae, atque a nemine antiquorum, praeterquam a S. Bernardo Sermone VII. in Psalmum XC. laudatae. Quinque alias pariter, nempe *ad Mariam Cassabolitem*, *ad Tarsenses*, *ad Antiochenos*, *ad Heronem*, et *ad Philippenses*, perperam S. Ignatio adscribi Eruditi plerique nostro aevo consentiunt, quod nec ab Eusebio, et Hieronymo, qui septem aliarum meminerunt, sint recensitae, nec ab antiquis Patribus laudatae fuerint, nec Ignatii stylum, et ingenium referant, nec Ecclesiae nascentis moribus, et institutis conveniant. Epistolas S. Ignatii Martyris ex duobus Latinis Codicibus Anglicanis edidit, et ex veteris versionis fide Graecas recognovit, interpolationibus minio signatis, *Jacobus Usserius* Pseudo-Episcopus Armechanus Oxonii A. 1642. 1644., et Londini 1647. *Isaacus Vossius* aliquanto post Usserius edidit Graece et Latine has easdem septem S. Ignatii Epistolas Amstelodami 1646., et 1648. ex fide manuscripti Codicis optimae notae, quem in Bibliotheca Medicaea Florentiae reperit, recusas postea Londini 1680. *Joannes Baptista Cotelerius* inter Opera SS. PP., qui temporibus Aposto-

licis floruerunt, Tomo II. Parisiis 1672. easdem recudendas curavit, quibus in Editione Cotelerii Amstelodamensi A. 1698., et 1724. accesserunt Dissertationes *Jacobi Usserii* de Epistolis SS. Ignatii et Polycarpi et Vindiciae Epistolarum S. Ignatii, scriptae a *Joanne Pearsonio* Pseudo-Episcopo Cestriensi. Denique Oxonii e Theatro Sheldoniano A. 1709. iterum prodierunt, annotationibus *Joannis Pearsonii* et *Tomae Smithi* illustratae. Quibus accesserunt acta Martyrii S. Ignatii, Epistola S. Polycarpi ad Philippenses, et Epistola Smyrnensis Ecclesiae de S. Polycarpi Martyrio, cum veteribus versionibus et annotationibus *Thomae Smithi*.

CXXIX. *S. Ildephonsus*, Toleti in Hispaniis nobili genere natus, in S. Isidori Hispalensi Collegio liberalibus disciplinis et pietatis praeceptis institutus fuit. In praedio Debiensi Collegium Virginum suis impensis fundavit, atque constituit; ipse vero in Coenobio Agaliensi Monasticam vitam professus, tantam ob pietatem et eximiam doctrinam sibi existimationem comparavit, ut Abbate Adeodato defuncto, ad Monasterii clavum assumptus fuerit. Inde post Eugenii junioris, Toletani Archiepiscopi, mortem sub Recesvinto Rege A. 658. eidem legitime suffectus, Ecclesiae illi praefuit annis IX. mensibus II. Adversus Pelagium quemdam, et Helladium, qui Helvidii impietatem in Hispaniis renovabant, hortante Quiricio, Barcinonensi Episcopo, edito libro illibatae Virginitatis B. Mariae patrocinium suscepit, in navatae operae praemium, vestem sacram, qua in facienda Re divina uteretur, ab eadem Deipara consecutus, ut Julianus, et Zixilanes Episcopi in ejus Vita testantur, quam *Joannes Mabillionus* saeculo II. Benedictino edidit. Obiit Vir sanctissimus A. 667. die XXIII.

Januarii, qua Ecclesia ejus memoriam celebrat. Ejus corpus in Ecclesia S. Leocadiae tumulatum ad S. Eugenii Decessoris sui pedes, Mauris universam Hispaniam miscentibus, Senticam sive Zamoram translatum est, ubi in S. Petri Apostoli templo magna religione colitur. Vestis de coelo allata Oveti servatur. Scripsit *Librum de illibata Virginitate Sanctae ac gloriosae Genitricis Dei Mariae* contra Infideles, cura *Francisci Fevardentii* O. Min. Parisiis A. 1576. impressum, et *Libellum de XIV. Scriptoribus Ecclesiasticis*, sive Appendicem ad librum S. Isidori de Viris illustribus, quem edidit *Aubertus Miraeus* in Bibliotheca Ecclesiastica Antuerpiae 1639. Tomo I. Spicilegii *Dacheriani* aliquot ejus *Epistolae* leguntur ad Quiricium Barcinonensem Episcopum. Tomo VI. Miscellaneorum *Stephani Baluzii* Tutelensis Parisiis 1713. extant Opuscula duo S. Ildephonsi, quae Eruditi deperdita esse arbitrabantur, nempe *Liber adnotationum de congnitione Baptismi*, atque alter *De itinere deserti*, *quo pergitur post Baptismum* quorum mentio diserta fit in Vita S. Ildephonsi, quam Julianus, ejus in Toletana Sede dein successor conscripsit. *Liber contra eos, qui disputant de perpetua Virginitate S. Mariae, et de ejus parturitione*, a plerisque Eruditis Paschasio Ratberto, Abbati Corbejensi O. S. B., tribuitur. *Sermones* item XII. in praecipuis B. Mariae feriis, qui extant Tomo XII. Bibliothecae Maximae Lugdunensis, authorem habent Ildephonso longe posteriorem, nec ante saeculum XII. conscripti videntur.

CXXX. *Innocentius III.* antea Lotharius, natus Anagniae in Hernicis, ex illustrissima Signiae Comitum familia, patre Trasimundo, matre Clarina, liberalibus sacrisque studiis Romae, Parisiis, ac Bononiae

insigniter excultus, a Clemente III. in numerum Cardinalium Titulo SS. Sergii et Bacchi adlectus est, annos nondum triginta natus. Defuncto Coelestino III. summa omnium Ordinum laetitia, flens ipse ac renitens, successor datus est A. 1198. VIII. Januarii, dein XXII. Februarii in Festo Cathedrae S. Petri Antiochenae consecratus, annum agens aetatis XXXVII. Claruit magnitudine, ac varietate rerum gestarum, summaque constantia adversus Imperatores, Reges, et Principes quoscunque, Ecclesiae adversantes. Praefecto Urbis, et Senatoribus jurejurando adactis, populum Romanum tenuit in potestate, et ademptas Romanae Ecclesiae urbes sub jus redegit. Constantiae Augustae, olim conjugi Henrici VI. Imperatoris, ejusque filio Friderico fiduciarium concessit Regnum Siciliae, Ducatum Apuliae, et Principatum Capuae, abrogatis juribus, quae Guilielmus II. ab Hadriano IV. extorserat. Disceptantibus de Imperio Philippo Suevo, atque Ottone Saxoniae Duce, ipse causam adjudicavit Ottoni, eidemque Imperii coronam imposuit. Sed datum jusjurandum insigni perfidia violantem, castraque plurima Ecclesiasticae ditionis, urbesque Apuliae invadentem, et communione Christianorum, et Imperio submovit, assensusque est Germaniae Principibus, Fridericum II. Siciliae Regem in locum ejus subrogantibus. Bulgaros ad Romanae Ecclesiae obedientiam revocavit, missa ad Joannitium, seu Calo-Joannem Bulgarorum Regem Legatione: Inquisitores Catholicae fidei adversus Albigenses primus constituit: Ordinem Praedicatorum, Minorum, ac Sanctissimae Trinitatis de Redemptione Captivorum confirmavit: Xenodochium S. Spiritus in Saxia instituit: Balduino Flandriae Comiti

CPolitanum Imperium gratulatus est, et Thomam Maurocenum Venetum Patricium, a Latinis CPolitanum Patriarcham electum, Romae consecravit, pallioque ac magnis privilegiis ornavit. Romae in Lateranensi Basilica A. 1215. a Festo S. Martini ad Festum usque S. Andreae Apostoli Concilium Oecumenicum XII. *Lateranense IV.* celebravit, cui Patriarchae II. CPolitanus, et Jerosolymitanus interfuerunt, Primates et Metropolitani LXXVII., Episcopi CDXII., Abbates et Priores ultra DCCC., praeter Caesarum Orientis et Occidentis, Regum, ac Principum Legatos, atque innumeros absentium Praelatorum, et Capitulorum Procuratores. In hoc Concilio Almarici, et Albigensium haeresis proscripta est, Joachimi Abbatis Florensis error confixus, Expeditio in Terram Sanctam decreta, Ditio Comitis Tolosani Simoni Comiti Montfortio adjudicata, Disciplina Ecclesiastica LXX. Canonibus sancita. Marcus Ant. de Dominis, Ludovicus Servinus, et Barclajus Canones, Lateranensis IV. Concilii nomine inscriptos, unius Innocentii III. opus esse, atque ab eo dimisso jam ac soluto Concilio procusos fuisse arbitrati sunt. Verum absona prorsus, et improbabilis est ea opinio. Omnes enim Canonum Interpretes, et Ecclesiasticae Historiae Scriptores, qui Decretorum illorum meminerunt, ea Concilio Oecumenico Lateranensi IV. tribuunt, et velut totius orbis consensu condita laudant. Neque obest quod in his ipsis Decretis mentio fiat Lateranensis Concilii, ut v. g. Can. XI. *In Lateranensi Concilio pia fuit institutione provisum.* Et Can. XV. *In Lateranensi Concilio noscitur fuisse prohibitum etc.* Quae enim in his Canonibus laudantur, velut in Concilio Lateranensi constituta, referen-

da sunt ad Concilium *Lateranense III.* sub Alexandro III. A. 1179. celebratum, cujus plurimas sanctiones Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. in Christianae rei commodum innovandas duxit, et confirmandas. Bello sacro in Orientem promovendo intentus Papa Innocentius III. Roma Perusium abiit, Genuensium, et Pisanorum concordiam, Expeditioni Sacrae obstantium, conciliaturus; sed ibidem correptum morbo, magno Christianae Reipublicae detrimento vita defecit A. 1216. die XVI. Julii, postquam Ecclesiae Romanae praefuit annos XVIII. menses VI.

Scripsit *Commentarium in septem Psalmos Poenitentiales. De contemptu mundi, seu miseria hominis Libros III. De Officio Missae, seu de sacri Altaris mysteriis Libros VI. De Consecratione Pontificis Homilias IV. De Sanctorum Veneratione Libros III. Sermones de Tempore, et de Sanctis: De Sacramento Baptismi librum unum: De Eruditione Principum Librum unum*, qui manuscriptus servatur Patavii in Bibliotheca Monasterii S. Justinae O. S. B. *Libellum de Eleemosyna: Epistolas Decretales* quam plurimas. Opera Innocentii III. excusa fuerunt Coloniae 1575., ac Venetiis 1578. Libros IV. Epistolarum, quas Innocentius anno XIII. XIV. XV. et XVI. sui Pontificatus exaravit, ex MS. Codice Bibliothecae Collegii Fuxensis notis illustratos edidit *Franciscus Bosquetus*, postea Monspeliensis Episcopus, Tolosae A. 1635. Epistolarum Innocentii III. Libros XI. Voluminibus II. in folio edidit *Stephanus Baluzius* Parisiis A. 1682.

CXXXI *Innocentius IV.* antea Sinibaldus Fliscus, Genuensis, ex nobili Fliscorum Lavaniae Comitum genere, Cardinalis Presbyter tituli S. Lauren-

tii in Lucina, post interregnum XX. ferme mensium ab excessu Coelestini IV. Summus Pontifex renunciatus est Anagniae A. 1243. die XXV. Junii. Novam summamque dignitatem gratulatus est illi Fridericus II. Imperator, missisque Oratoribus suum erga Romanam Ecclesiam studium professus est, seque judicio Pontificis staturum promisit circa singula capita, propter quae fuerat a Gregorio IX. anathemate percussus. Innocentius, qui concordiam Sacerdotii et Imperii mirifice in votis habebat, suos et ipse ad eum Legatos misit acturos de pace. Quin haud multo post ad Civitatem Castellanam accessit, ut propius cum Imperatore, qui se Interamnam contulerat, rationem reconciliationis iniret. At cognito parari sibi ab illo insidias, marittimo itinere Genuam primo, indeque in Gallias se recepit. Fidei apud barbaras gentes propagandae studuit, missis in Prussiam, Norvegiam, Graeciam, Bulgariam, Aethiopiam, ad Jacobitas, Nestorianos, Tartaros, Saracenos, ex Ordine Praedicatorum, ac Minorum Viris Religiosis, qui fidei Catholicae veritatem ipsis exponerent. Jacobitarum et Nestorianorum Primates Romanam Ecclesiam et Summum Pontificem reveriti fidei suae Confessiones ad ipsum miserunt, quas *Odoricus Rainaldus* Baronii Continuator exhibet in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 1247. Libros Thalmudis, eorumque Glossas, similesque libros erroribus scatentes et blasphemiis, in toto Franciae Regno ut igne damnaret, S. Ludovicum Galliarum Regem Pontifex rogavit, prohibuitque ne Christianas filiis suis nutrices conducere Judaei sinerentur. Lugduni A. 1245. Synodum Oecumenicam XIII. seu *Lugdunensem I.* celebravit, cui praeter ipsum In-

nocentium IV. interfuere CPolitanus et Antiochenus Patriarchae, Episcopi circiter CXL., Balduinus II. CPolitanus Imperator, Regum Franciae, Angliae, et aliorum Principum Oratores. Absolutum est tribus Actionibus. In prima Innocentius multa dixit de constituendis moribus Praesulum, ac tyrannide Friderici II. coercenda. In altera Episcopus Calamensis gravissima crimina ejusdem Imperatoris enarravit, propter quae in tertia Actione confixus est anathemate, Regnoque Siciliae, ac Imperio depulsus. Conditi fuere in eo Concilio Canones XVII., ex quibus XII. judicia regunt Ecclesiastica, ideoque a Bonifacio VIII. relati in Librum VI. Decretalium. Lugduni substitit Innocentius IV. annos fere VII. apud Canonicos S. Justi, indeque mortuo Friderico Imp. in Italiam reversus A. 1251. Sabaudiae Comitem, multosque Italiae populos, qui Friderici partibus adhaeserant, ad officium revocavit. Conradum IV. post mortem Friderici patris Imperium affectantem ejecit communione Christianorum: quem anathemate innodatum Manfredus frater ejus nothus in castris prope Lavellum veneno necavit. Quod ubi Innocentius rescivit, continuo animum convertit ad Neapolim, Capuam, aliasque illius Regni urbes in potestatem redigendas. Verum cum praemisso valido exercitu Neapolim ingressus fuisset, in morbum incidit, quo ingenti bonorum omnium luctu sublatus fuit A. 1254. VII. die Decembris, anno Pontificatus sui XI. mense V., relicta apud omnes non modo excellentis scientiae, et exquisitae virtutis fama, sed etiam admirandae prudentiae, integerrimaeque vitae laude. Praeter plurimas *Epistolas*, quarum complures exhibet Collectio Conciliorum Harduini,

Cossartii et Labbei, scripsit in Pontificatu suo *Commentarium*, sive Apparatum, Libris V. distinctum, in totidem *Libros Decretalium*, saepius recusum, Lugduni A. 1535., Francofurti 1570., Venetiis 1570. Adversus Petrum de Vineis Friderici II. Imperatoris Cancellarium librum exaravit *de Romani Pontificis authoritate*, *et Imperatoris juribus*, qui in Bibliotheca Vaticana inter MSS. Codices asservatur.

CXXXII. *Joannes Biclariensis*, Scalabitanus ex Lusitaniae provincia, Gothis natus parentibus, Constantinopoli Graecis et Latinis litteris imbutus, in Hispanias reversus est. At paulo post a Leovigildo Gothorum Rege Ariano, quod Arianam impietatem respueret, Barcinonem exul amandatus, decennio integro multas ab Arianis infectationes perpessus est. Ad radices Pyrenaeorum montium condidit Monasterium, cui *Biclaro* nomen, ubi congregata Monachorum societate scripsit Regulam ipsi Monasterio profuturam. Inde Gerundensis Episcopus factus, initio Saeculi VII. in pace quievit. Chronico Victoris, Tunnonensis in Africa Episcopi, addidit Appendicem, sive *Chronicon* ab anno secundo Justini II. Imperatoris, Christi 566. ad annum octavum Mauritii Augusti, Christi 590., quod cum Victoris Tunnonensis Chronico *Henricus Canisius* Noviomagus edidit Ingolstadii A. 1600., et *Josephus Scaliger* cum Eusebio, et aliis pluribus Chronographis in Thesauro Temporum emendatius postea recudit Lugduni Batavorum 1606.

CXXXIII. *S. Joannes Climacus*, sic vulgo nuncupatus ob librum, cui Graece titulus est *Climax*, seu Scala, in XXX. capita divisum, quibus tamquam gradibus, seu scalis ad perfectionis religiosae culmen

ascenditur, floruit saeculo VI. circa annum 560. Monasticam vitam coluit, et inter primos aevi sui Ascetas spiritualium rerum intelligentia, divinae contemplationis charismatibus, pietateque singulari excelluit. Idem quoque *Joannes Sinaita* cognominatus est, vel a monte Sinai, quem incoluit; vel quod factus Abbas Monachorum Sancti Montis Sina, coenobium illud insigni prudentia atque approbatione omnium gubernarit. Si Menaeis Graecorum fides adhibenda est, pene centenarius obiit die XXX. Martii, ut habet etiam Martyrologium Romanum; annus vero mortis ejus incertus est. Scripsit *Scalam Paradisi* ad Joannem Abbatem Raithunensem, de qua superius diximus, et *Librum ad Pastorem religiosum*, quos Latinitate donatos cum scholiis Graeci cujusdam Anonymi, ex Elia Cretensi Metropolita potissimum, aliisque Patribus et Scriptoribus, decerptis, edidit Parisiis A. 1633. in folio *Matthaeus Raderus* S. J. Utrumque Opus in Graecobarbaram, seu vulgarem linguam versum a *Maximo Margunio* Citherorum Episcopo, Venetiis 1590. prodiit.

CXXXIV. *S. Joannes Damascenus*, nobilissimis Damasci in Syria et Christianis parentibus natus, ob singularem eloquii puritatem et facundiam *Chrysorrhoas*, quasi auro fluens, nuncupatus, Damasceni Caliphae Saracenorum primus fuit Consiliarius, et Minister. Cum in ea tempora incidisset, quibus Leo Isauricus Orientis Imperator bellum Sacris Imaginibus indixerat, earum defensionem adversus Iconomachos suscepit. *Joannes* Jerosolymitanus Patriarcha in Vita S. Joannis Damamasceni, quam saeculo X. circa annum 969. conscripsit, memoriae proditum reliquit, per calumniam Leonis Isaurici amputatam fuisse S. Joanni dextram, at-

que ope Deiparae Virginis divinitus restitutam. Deserta Aula, relictisque Christi amore paternis opibus, Monasticam vitam in Laura S. Sabae prope Jerosolymas cum Cosma, postea Episcopo Majumensi, professus est, ac Sacerdotio initiatus reliquum vitae inter pietatis opera, librosque adversus sui temporis haereticos conscribendo transegit. Unde ab haereticis Imperatoribus Iconoclastis saepius exulare jussus, atque in vincula conjectus, ad Superos tandem aetate ac meritis gravis migravit. Annus ejus emortualis omnino incompertus est: eum tamen A. 754. jam obiisse dignoscitur, quod CPolitana Pseudo-Synodus eodem anno a Constantino Copronymo Imperatorem contra Sanctas Imagines convocata, de S. Germano CPolitano Patriarcha, et S. Joanne Damasceno, tamquam de jam mortuis, loquatur, eosque ob Catholicae fidei professionem anathemate perculerit, aut potius eorum memoriam execrata sit. Sanctissimi hujus ac praestantissimi Doctoris nomen Martyrologio Romano adscriptum est ad diem VI. Maii.

Genuina S. Joannis Damasceni Opera sunt, *Orationes III. pro Sacris Imaginibus adversus Iconomachos. De Fide Orthodoxa Libri IV.*, quibus Theologiam universam recto ordine omnium primus comprehendit, et viam complanavit ad sacram doctrinam praeclara methodo tractandam et explanandam. *Liber de Dialectica. Institutiones physicae. Liber seu Catalogus Haeresum*, in quo totidem articulis centum et tres haereses complectitur. *Libellus de recta sententia, seu Orthodoxae fidei professio. Libellus contra Jacobitas. Dialogus contra Manichaeos. Disceptatio Christiani, et Saraceni. Opusculum de Sancta Trinitate. Epistola ad Jordanem Archimandritam de hymno Trisagio. Epi-*

stola de sanctis jejuniis. Tractatus de octo spiritibus nequitiae. Tractatus de Virtutibus et vitiis. Institutio elementaris ad dogmata. Dissertatio contra Acephalos de natura composita. De duabus in Christo voluntatibus, et operationibus, deque reliquis proprietatibus adversus Monothelitas. Dissertatio adversus haeresin Nestorianam. Oratio, quomodo ad imaginem Dei creatus sit homo. Oratio de gloriosa D. N. J. C. Transfiguratione. Oratio de Sabbatho Sancto. Jambi pentastici, Cantica, Carmina, Octoechi. Libri III. Parallelorum moralium ex selectis Scripturae Sacrae locis, et veterum Patrum elegantissimis Sententiis contexti. *Sacrarum Eclogarum, seu Excerptorum ex SS. Patribus Libri II. Excerpta compendiaria ex universa interpretatione S. Chrysostomi.*

Dubia sunt: *Orationes III. de Nativitate, et ortu B. V. Mariae. Orationes II. de Assumptione SS. Dei Genitricis,* quae forte a *Joanne*, Antiocheno Patriarcha, conscriptae fuerunt, qui etiam Joannes Damascenus ratione natalium, ac junior dictus fuit, vixitque saeculo XII. Supposititia sunt: *Oratio de iis qui in fide dormierunt. Vita S. Stephani junioris Martyris*, a Simeone Metaphraste conscripta. *Sermo de die Judicii* a S. Caesario Arelatensi habitus. *Historia SS. Barlaam et Josaphat*, quam Eruditi authorem habuisse censent Joannem Abbatem Montis Sinai, diversum a S. Joanne Climaco. *Encomium S. Barbarae*, Opus Georgii Nicomediensis. *Oratio Synodica de cultu SS. Imaginum ad Theophilum Imperatorem*, qui centum annis Damasceno fuit posterior. *Encomium S. Joannis Chrysostomi. Oratio demonstrativa de Sacris venerandis Imaginibus ad Christianos omnes adversus Con-*

stantinum Caballinum Imperatorem. Epistola ad Zachariam Episcopum Doarorum de immaculato corpore et sanguine D. N. J. C. Epistola ad quemdam de Confessione. Opusculum de Azymis. Opera omnia S. Joannis Damasceni collegit *Jacobus Billius*, vir in Graecis eruditissimus, S. Michaëlis in Eremo Abbas Commendatarius, ediditque Parisiis A. 1577., et 1615. Praeclaram amplioremque eorumdem Operum editionem Graece ac Latinae adornavit, doctissimisque dissertationibus illustravit *Michael Lequien O. P.* duobus in folio Voluminibus, Parisiis A. 1712., quae Venetiis dein fuit recusa A. 1748.

CXXXV. *Joannes Maxentius*, natione Scytha, eruditus, sed procax Monachus, et Presbyter Ecclesiae Antiochenae, ingentes turbas cum sociis, Scythiae Monachis, CPoli sub Justino Imperatore saeculi VI. initio excitavit, ad seditionem usque contendens, propositionem hanc, *Unus de Trinitate crucifixus est in carne*, ab omnibus recipiendam, et credendam esse. Scripsit *Epistolam ad Legatos Sedis Apostolicae. Catholicam de Christo professionem. Capitula contra Nestorianos. Aliam fidei professionem breviorem. Libellum contra Acephalos. Libros duos Dialogorum ad Theophilum contra Nestorianos. Responsionem ad Hormisdae Romani Pontificis Epistolam*, in qua, quae Pontifex ad Possessorem Episcopum Africanum, CPoli commorantem, contra Scythas Monachos novarum quaestionum cupidos exaraverat, petulanti stylo refutare aggressus est: negans eam esse Romani Pontificis, sed ab haereticis venerando ipsius nomini suppositam fingens, ut liberius in Epistolae authorem inveheretur. Quin ipsum Pontificem, tacito ejus nomine, putida calumnia Pela-

giani erroris insimulare est ausus. *Caesar Card. Baronius* Tomo VII. Annalium Ecclesiast. ad annum Christi 519., et 520. Joanni Maxentio, et Monachis Scythis Eutychianismi notam inurit; ab ea tamen eos absolvunt Henricus Card. Norisius, Antonius Pagius, Natalis Alexander, aliique, quamvis eorum impudentiam, et temeritatem merito arguant. Joannis Maxentii Opuscula omnia inserta fuerunt Tomo IX. Bibliothecae Maxime Lugdunensis.

CXXXVI. *Joannes Moschus*, alias dictus *Eviratus*, initio saeculi VII. floruit. Monasticam vitam primum in Coenobio S. Theodosii in Palaestina professus, atque ab Abbate suo in Aegyptum circa annum 578. negotiorum domesticorum causa missus, usque in Desertum Oasinum penetravit, Monachos visurus. In Palaestinam dein reversus, annis X. in Laura Eliotarum mansit, tum etiam in Eremo ad oram Jordanis, et in nova Laura S. Sabae. At fama advenientium Persarum territus, in Regionem Antiochenam se contulit. Inde Seleuciam, quam Orontes alluit, delatus, Theodoro Abbati illius Civitatis Episcopo collocutus est. Tum in Palaestinam rediens nulla mora interjecta ad Montem Sinai, et inde Reithum perrexit. In Aegyptum deinde redux Alexandriae tempore aliquo permansit, ubi hortante S. Joanne Eleemosynario Alexandrino Patriarcha Severianos, aliosque haereticos oppugnare aggressus est eo successu, ut plurima Oppida et Monasteria, ab haeresi purgata, Catholicae Ecclesiae reconciliarit. Relicta Alexandria in Insulam Cyprum, et inde Samum navigavit, tandemque Romam cum discipulis duodecim, quorum princeps erat S. Sophronius, Jerosolymitanus dein Patriarcha, attigit. Librum ibi composuit, qui *Limonarium*, sive *Virida-*

rium, aut *Pratum Spirituale* dicitur, in quo res gestas Monachorum sub Heraclio Imperatore illustriores recenset, quas partim oculis ipse in suis itineribus spectaverat, partim recenti tunc auditione didicerat. Opus hoc, quod teste *Photio* in Bibliotheca, Codice CXCIX. constabat olim CCCIV. narrationibus, hodie vero in capita CCIX. divisum est, inscripsit Moschus discipulo suo Sophronio; hinc factum est, ut a *S. Joanne Damasceno* Orat. I. de Imaginibus, atque a Concilii *Nicaeni II.* Patribus Actione IV. sub Sophronii nomine laudaretur. Caeterum Joannem Moschum verum esse ejus parentem constat ex Epistola illius ad Sophronium libro praefixa, atque ex Photio loco cit. Obiit Moschus Romae A. 619. Corpus ejus a Sophronio in Palaestinam delatum est, atque in Monasterio S. Theodosii conditum, ubi prima Religiosae vitae fundamenta jecerat. Pratum Spirituale edidit *Heribertus Rosweidus* S. J. Antuerpiae A. 1615. in Vitis Patrum, ab Ambrosio Camaldulensi Latine versum. Graecum textum edidit *Fronto Ducaeus* S. J. in Auctario Bibliotecae SS. PP. Tomo II. Editionis Parisiensis A. 1624. frequentibus tamen lacunis mutilatum, quas ex integriori Codice dein supplevit *Joannes Baptista Cotelerius* Tomo II. Veterum monumentorum Ecclesiae Graecae, Parisiis 1677.

CXXXVII. *Joannes Sarisberiensis*, natione Anglus, patria Wiltunensis, Theobaldi Cantuariensis Archiepiscopi, ejusque successoris S. Thomae Beket Martyris fuit Clericus, in illius peregrinationibus et exiliis comes individuus, tantaque ei familiaritate conjunctus, ut ejus *manus* et *oculus* urbane a Petro Blesensi in Epistolis fuerit nominatus. Ad Carnotensem in Galliis Episcopatum A. 1172. provectus, quoad vixit, semper spiritum il-

lum fortitudinis retinuit, quem a constantissimo veritatis et libertatis sacrae vindice, Thoma suo Cantuariensi velut haereditario jure hauserat. Interfuit Concilio Oecumenico Lateranensi III. sub Alexandro III. A. 1179., ex quo reversus obiit A. 1182., sepultus in Benedictina Abbatia S. Mariae de Josaphat. Scripsit *Vitam atque passionem S. Thomae Cantuariensis Archiepiscopi, et Martyris. Polycraticum*, sive *de nugis Curialium*, *et vestigiis Philosophorum Libros VIII.* ad Theobaldum, Cantuariensem Archiepiscopum, Opus insigne, ac multa eruditione refertum. *Entheticum metricum*, *et de membris conspirantibus*, Parisiis dein impressum A. 1513. *Libros IV. Operis Metalogici*, in quibus de omni re Logica, et Philologica, quin etiam Philosophica erudite et acute disserit, qui prodierunt cum Polycratico Parisiis 1612., et Lugduni Batavorum A. 1639. *Commentationes in Epistolas S. Pauli Apostoli*, impressas Amstelodami A. 1646. *Epistolas ad diversos CCCIII.* Parisiis A. 1611. a Papirio Massono editas, aliasque XCIII., quae leguntur in Collectione *Epistolarum S. Thomae Cantuariensis* Bruxellis impressae A. 1682. opera et studio *Christiani Lupi*, Lovaniensis Theologi, ex Ordine Eremitarum S. Augustini.

CXXXVIII. *Joannes Zonaras*, Graecus Schismaticus, sub Joanne, et Manuele Comnenis, Imperatoribus Orientis, magnus vigiliarum Drungarius, seu Vigilum Praefectus, ac primus a Secretis, abdicatis Palatinis curis, Monachum San-Basilianum induit, relictaque CPoli in remotiorem secessit insulam. Annos aliquot in Asceterio cum exegisset, amicorum hortatu *Compendium Historiarum* confecit, quod alii *Chronicon*, plures alii *Annales* vocant, ab Orbe condito ad annum

usque 1118., seu obitum Alexii Comneni Imperatoris. Annales hos Latinitate donavit, atque ad quinque MSS. Codices collatos edidit Augustae Vindelicorum A. 1556. *Hieronymus Wolfius*. Latinam Wolfii versionem recensuit, Annalesque notis illustravit in duo Volumina distributos *Carolus Ducangius* Galliarum Regis Consiliarius, et apud Ambianos Quaestor, Parisiis A. 1686. Iidem recusi dein fuerunt in Editione Parisiensi, et Veneta cum aliis Scriptoribus *Historiae Byzantinae*. Scripsit praeterea Zonaras *Expositione sacrorum divinorumque Canonum*, tam Apostolicorum, quam Veterum Conciliorum, ac SS. Patrum, qui Oxonii A. 1672. in *Guilielmi Beveregii Pandectis Canonum* prodierunt. Reliqua Zonarae Opuscula, *Expositio Canonum Anastasimorum S. Joannis Damasceni*, *Oratio de Cruce*, *In Domini occursum*, *In S. Sophronium Jerosolymitanum*, *Vita S. Silvestri*, *Paraphrases XXXIII. in totidem S. Gregorii Nazianzeni carmina*, *Epistolae dogmaticae LVI.* continentes obscuriorum locorum Sacrae Scriptuarae explicatione, *Explicatio in Cantica et in Psalmos Graduales*. *Poëmata de processione Spiritus Sancti*, inter manuscripta Bibliothecae Caesareae *Vindobonensis*, aliarumque Bibliothecarum latent, hactenus numquam edita. *Canon* ejusdem *de Sanctissima Virgine*, seu *poëma adversus omnes propemodum haereses*, exhibetur Tomo XXII. Bibliothecae Maximae Lugdunensis.

CXXXIX. *Jonas* Theodulfo in Sede Aurelianensi A. 822. successit, interfuitque A. 824. Conventui Parisiensi de Imaginibus. Inde a Ludovico Pio Imperatore Romam ad Eugenium II. Rom. Pontificem missus fuit cum Jeremia Senonensi Archiepiscopo. Obiit A. 843., successorem nactus in Aurelianensi Ca-

successor datus est. Ecclesiam luculentissimis scriptis munivit adversus haereticos hostes veritatis et unitatis, quae merito quis armamentarium vocaverit, ex quo tela depromuntur ad jugulandos non veteres modo, sed nostrorum etiam temporum sectarios. Post libros haereticorum accuratissime perlectos, et crebras cum iisdem institutas disputationes, *Libros V. adversus Haereses* conscripsit, ut omnes haereticos, ac Valentini sectatores praecipue, ad ejurandos errores suos impelleret. Praeterea Catholicos, praesertimque neophytos, et Christiana fide recenter imbutos contra subdolas eorumdem haereticorum artes praemunire voluit; ne ab iis decepti, in eorum haeresin laberentur. Quam ob rem mortiferum Valentinianorum virus, quod illi summa cura occultare conabantur, omnibus patefecit, eorumdemque dolos retexit, simulationem, et fallacias, quibus sub verae fidei larva et praetextu simpliciores sensim sine sensu a recto Christianae veritatis tramite abductos, ad suae tandem trahebant haereseos professionem. Porro provinciam illam eo lubentius in se suscepit, quod Marcosianorum secta, funestus Valentinianae haereseos surculus, regiones, quas Rhodanus alluit, depopularetur, multasque, ex quibus tamen non nullae ad saniora redierant, Christianas mulieres infecisset. Communis omnium ferme Eruditorum sententia est, quidquid Erasmo Roterodamo olim visum fuerit, hos libros ab Irenaeo Graece fuisse exaratos, quamvis originarius textus interierit praeter XVIII. capita Libri I., quae a S. Epiphanio Panario suo inserta sunt Haeresi XXXI., quae est Valentinianorum, et complura fragmenta apud S. Damascenum in Parallelis, aliosque veteres Scriptores, quae omnia Graece

simul et Latine exhibuit *Petrus Halloix* Leodiensis S. J. Tomo II. in Vitis Illustrium Ecclesiae Orientalis Scriptorum, qui primo et secundo a Christo saeculo vixerunt, Duaci impresso A. 1636. Caeterum Latina versio quam habemus, quamvis coacta, salebrosa, et Graecis vocibus reddendis impedita videatur, antiquissima est, Irenaei aetate non multo inferior, et forte mora non longa interposita, ab Irenaei amico quodam procurata. Neque enim diu ferre potuit ardens Irenaei, aut aliorum Episcoporum pro Gallis suis studium et amor, ut illi hoc saluberrimo contra grassantem et vicinas regiones depopelantem Marci pestem antidoto privarentur. Opinionem hanc mirum in modum fulcit Augustini auctoritas. Duo siquidem ex hac latina versione fragmenta integra, si quosdam in posteriore lapsus librariorum exceperis, totidem verbis descripsit Lib. I. contra Julianum, Cap. III. Insigne hoc S. Irenaei Opus ediderunt *Erasmus Roterodamus* Basileae A. 1526. et 1534. *Nicolaus Gallasius* Calvinianus Genevae 1570. *Franciscus Feuardentius* O. M. Parisiis 1575., atque iterum Commentariis illustratum A. 1576., ex legitimo sinceroque Codice restitutis quinque ultimis capitibus Libri quinti, quae in aliis editionibus non extabant, et in quibus millenarii in terris Christi regni fabula adstruitur. *Joannes Ernestus Grabe* Oxonii e theatro Sheldoniano A. 1702. in folio. Denique *Renatus Massuet* O. S. B. e Congregatione S. Mauri Parisiis A. 1710. adjectis dissertationibus, notis, observationibus, ac Glossariis.

Praeter hos V. adversus Haereses libros, plura alia posteritati reliquerat eximiam ingenii sui monumenta S. Irenaeus, quorum Eusebius et Hieronymus

meminerunt. Scripsit nimirum *Librum adversus Marcionem*, *Librum contra Gentes de Scientia inscriptum*, *et alium de Disciplina*: *Librum ad Marcianum fratrem de Apostolica praedicatione*: *Libellum variarum disputationum*, *seu variorum tractatuum*: *Librum de Ogdoade contra Valentinianos*. *Epistolas*, unam ad Blastum, quam inscripsit *de Schismate*; alteram ad Florinum *de Monarchia*, seu quod Deus non sit conditor malorum. Item Epistolas *de die Paschatis* celebrandi ad S. Victorem Romanum Pontificem, quibus eum dehortatus est ab excommunicatione in Episcopos Asiae minoris ferenda. Sed horum omnium jacturam sane dolendam jam a longo tempore fecimus praeter pauca quaedam fragmenta, quae apud Eusebium Caesariensem extant in Libris Historiae Ecclesiasticae. Initio saeculi III. in persecutione Septimii Severi, cum omni fere civitatis suae populo martyrio coronatus fuit S. Doctor Lugduni die XXVIII. Junii, qua Ecclesia antiquissimi hujus Martyris triumphum celebrat.

CXLI. *S. Isidorus*, junior saepe dictus, ad distinctionem alterius Isidori Hispani Cordubensis Episcopi, qui Honorio et Theodosio II. imperantibus, circa annum 412. Paulo Orosio Commentaria in Libros Regum dicavit, Carthagine, seu Carthagenae in Hispania natus, patrem habuit Severianum, virum nobilissimum ex Gothica stirpe, Carthaginis Praefectum, fratres S. Leandrum Hispalensem in Baetica, et S. Fulgentium Astigitanum, ac postea Carthaginensem in Hispania Episcopos, sororem S. Florentinam Virginem. Sanctimoniae, eloquentiae, ac doctrinae laude clarissimus, post obitum Leandri fratris Hispalensem Ecclesiam, sibi demandatam, per annos circiter XL. san-

ctissime rexit, maximo totius Hispaniae bono. Obiit A. 636. sub Chintilano Rege, die IV. Aprilis, quo Ecclesia quot annis ejus memoriam celebrat. Corpus ejus Hispali sub Ferdinando I. Castellae Rege saeculo XI. Legionem translatum, ibi summa cum veneratione asservatur. Concilium Toletanum VIII. Cap. II. A. 653. hoc S. Isidorum exornavit encomio: *Nostri saeculi Doctor egregius, Ecclesiae Catholicae novissimum decus; praecedentibus aetate postremus: doctrinae comparatione non infimus: atque quod majus est, jam saeculorum finitorum doctissimus, cum reverentia nominandus Isidorus.*

Genuina S. Isidori Hispalensis Opera sunt: *Etymologiarum*, sive *Originum* Codex, quem S. Braulio, Caesaraugustanus Episcopus, perfecit, et in Libros XX. divisit, *Libri III. Sententiarum*, *sive de Summo Bono. Libri II. de Divinis*, *sive Ecclesiasticis Officiis*, ad Fulgentium fratrem suum. *Libri III. Differentiarum seu de proprietate Sermonis. Libri II. Synonimorum*, *sive Soliloquiorum. Exhortatio poenitendi cum consolatione*, *et misericordia Dei ad animam futura judicia formidantem. Lamentum poenitentiae* versu, ac duplici alphabeto editum. *Liber de natura rerum*, *seu de Mundo*, ad Sisebutum Regem. *Chronicon* ab initio Mundi usque ad annum quintum Suinthilani Regis Gothorum, Christi 626. *Historia Gothorum*, *Vandalorum*, *et Suevorum. Liber Proemiorum de Libris veteris*, *et novi Testamenti. Commentaria in Libros Historicos Veteris Testamenti. Allegoriae quaedam Sacrae Scripturae in Libros veteris et novi Testamenti* ad Orosium, non celebrem illum saeculi V. Historicum et Presbyterum, sed Episcopum quem-

dam Hispanum. *Liber de Scriptoribus Ecclesiasticis* post S. Hieronymum, et Gennadium. *Libri II. contra nequitiam Judaeorum*, ad Florentinam sororem. *Epistola ad Ludifredum Cordubensem de Episcopi officio. Epistola ad S. Eugenium Toletanum. Regula Monachorum* in XXIV. capita distincta. Tria S. Isidori Opuscula ex iis quae S. Braulio, ejus olim discipulus, recensuit, periisse videntur: nimirum *Liber de Numeris*, *Liber de Haeresibus*, et *Liber de Vita et morte Sanctorum*, sive de Ortu et obitu Patrum; qui enim de hoc argumento extat hodiedum, ab Eruditis compluribus supposititius censetur, et ob multa falsa quae in eo leguntur, Isidori nomine indignus.

Dubia S. Isidori Opera sunt: *Epistola ad Claudium Ducem. Expositio in Cantica Canticorum Salomonis. Liber de Ordine creaturarum*, quem *Lucas Dacherius* edidit Tomo I. Spicilegii. Supposititia sunt: *Epistola ad Massonem, de lapsu Sacerdotis, et reparatione. Epistola ad Redemptum Archidiaconum. Liber de conflictu vitiorum, et virtutum*, qui Ambrosii Autperti est. *Compilatio, seu collectio Decretalium Epistolarum* Veterum Pontificum, et Canonum Conciliorum, facta ab Isidoro Mercatore, qui longe alius est ab Isidoro nostro. Opera omnia S. Isidori Hispalensis prodierunt studio *Margarini Bignaei*, Ardennae in Normannia Abbatis Commendatarii, Parisiis A. 1580., atque iterum Parisiis A. 1601. curis *Jacobi de Breül* Monachi S. Germani Parisiensis O. S. B., Coloniae recusa A. 1617. Nuper novam pollicitus est editionem IV. Volum. in folio *Franc. Anton. Zacharia* S. J. Sed an Vir eruditissimus promissis suis steterit, ignoro.

CXLII. *Isidori Mercatoris*, seu ut alii legunt, *Peccatoris*, Collectio Decretalium Epistolarum medio fere saeculo IX. lucem aspexit. Nam S. Leo IV. Romanus Pontifex, qui A. 847. obiit, in litteris ad Britanniae Episcopos Decessorum suorum Decretales Epistolas recensens, quibus in dirimendis Ecclesiasticis controversiis tunc utebantur, Decretales illas Epistolas priscorum Pontificum, quae in sola Isidori Collectione exhibentur, tacitus praetermisit, et a S. Siricii Decretalibus Epistolis exorsus est. Equidem earum mentio fit in Capitulis LXXX., quae ab *Hadriano I.* saeculo VIII. ad finem vergente conscripta fuisse, atque Angilramo Metensium Episcopo tradita dicuntur. At communis est Eruditorum sententia, eumdem fuisse Capitulorum, et Epistolarum architectum. Quisquis enim Capitula isthaec cum Isidorianis Epistolis comparaverit, illico animadvertit, quae in plerisque Capitulis continentur, totidem verbis in Epistolis illis extare, eodemque consilio utrumque opus fuisse fabricatum. Etenim pleraque Capitula eo spectant, ut ne Episcopi accusari possint, et si accusati fuerint, ut ne accusationi deferatur: utque ex causis multis repulsis testibus, et Judicibus recusatis, Synodorum retractentur judicia.

Quis Isidorus ille Mercator fuerit certis argumentis nondum compertum est. Existimatum aliquando fuit, S. Isidorum esse Hispalensem Episcopum: cum praesertim Canonum Collectionem quamdam confecisse feratur, quam et Antonius Augustinus, Archiepiscopus Tarraconensis, vidit, et in Bibliotheca Ecclesiae Urgellensis extare narrat *Stephanus Baluzius* in Praefatione ad Reginonem. Verum Isidorus ille Mercator multa profert monumenta aetate S. Isidori Hispalensis, qui A. 636.

obiit, longe posteriora; meminit enim Concilii Toletani XI. A. 675. CPolitani III. Oecumenici A. 680. habiti, Gregorii II. ac III. ac Zachariae Romanorum Pontificum, et S. Bonifacii Moguntini, ut multa alia silentio praeteream. Alii ad Isidorum quemdam, Setubensem Episcopum, confugiunt, suamque opinionem confirmant authoritate Chronici S. Juliani Toletani, ac Luitprandi Ticinensis, in quo dicitur, Isidorum Setubensem ope Monachi cujusdam compilationi Canonum operam dedisse, obiisseque A. 805. Verum utrumque illud Chronicon supposititium est, fidemque omnem apud Eruditos amisit. *Hincmarus Rhemensis* Opusculo LV. Cap. XXIV. scribit, Epistolas Isidori ex Hispania allatas, a Riculfo Moguntino, qui A. 813. obiit, Germanis fuisse communicatas. At multi putant incertis rumoribus deceptum fuisse Hincmarum, easque non ab Hispanis, sed a Franco-Germano quodam forte Moguntiae fuisse procusas. Addunt aliqui, haud inverisimiliter, earum fabricatorem fuisse *Benedictum Levitam*, sive Diaconum Moguntinum. Et sane tres ille Capitularium libros jussu Otgarii, Moguntini Archiepiscopi, circa annum 845. collegit, tribus Ludovici Pii filiis inscriptos, Lothario Imperatori, Ludovico Germaniae, et Carolo Calvo Franciae Regibus. In iis libris passim e Clementis, Anacleti, Pii, Evaristi, Fabiani, et caeterorum Pontificum apocryphis Epistolis, quamvis suppresso illorum nomine, authoritas petitur. Hos Capitularium libros paulo post falsae Romanorum Pontificum Decretales Epistolae forte subsecutae fuerunt, praefixo venerando Isidori nomine, quas ex Hispania acceptas, a Riculfo Archiepiscopo Germaniae illatas fuisse asseruerit Benedictus Levita, atque a se in Archivo Moguntı-

nae Ecclesiae inventas. Ita aliqui haud inverisimiliter conjiciunt.

Verum quiscumque demum fuerit Isidorus ille Mercator, certum est, Veterum Romanorum Pontificum Decretales Epistolas ad Siricum usque, quae Isidoriana Collectione exhibentur, supposititias esse atque adulterinas. Ostenditur, id I. ex alto *Dionysii Exigui* silentio qui cum professus fuerit adhibuisse se (Romae saeculo VI.) omnem curam et diligentiam in conquirendis Romanorum Pontificum Decretalibus Epistolis, illas tamen priscorum Pontificum, ab Isidoro editas, ne memoravit quidem. II. Ex falsa Consulum nota, quae plerisque Epistolis adscripta est. III. Ex Sacrae Scripturae versione Hieronymiana, quae multo recentior est Summis Pontificibus, qui in Epistolis illis ea usi fuisse dicuntur. IV. Ex styli similitudine, quam omnes illae Epistolae habent. Siquis enim illas percurrat, ei statim persuasum erit, ab uno eodemque Scriptore eas omnes prodiisse. Nec quisquam erit qui in animum suum inducat, tot Auctores, tanto a se locorum, ac temporum intervallo dissitos, easdem non sententias modo, sed periodos, easque bene longas, ac bene multas, eadem expr ssas dictione, eademque serie dispositas usurpare potuisse. V. Ex silentio Veterum omnium usque ad Saeculum IX. Cum enim plurimae earum ad omnes Italiae, Galliae, Hispaniae, Africae, Siciliae, Germaniae, ac totius Orientis Episcopos datae dicantur; qui fieri umquam potuit, ut nemo quisquam ante Saeculum IX. inventus sit, qui vel unam ex illis laudaverit? Ut ita ab omnibus aut ignoratae, aut neglectae fuerint, ut neque in Synodis ad dirimendas disciplinae controversias habitis, neque in Historiis, neque in Actis monumen-

tisque publicis ulla umquam earum mentio facta fuerit? Ut ipso ortu statim omnes evanuerint, et demum saeculo IX. ineunte, unius hominis opera, simul omnes revixerint? VI. Ex illarum scopo. Harum Epistolarum argumenta primis Ecclesiae saeculis non conveniunt, quae primorum Ecclesiae saeculorum haereticos non impugnant, immo ne quidem nominant: quae de persecutionibus adversus Ecclesiam excitatis, de Confessorum confortatione ad patientiam, et exhortatione ad Martyrium, de lapsis, eorumque poenis canonicis, et judiciis, ne verbum quidem ullum habent. Certe si conferatur materia istarum Epistolarum Decretalium cum argumentis, de quibus agunt Epistolae Episcoporum, Opera SS. Patrum, Decreta Conciliorum, quae ex quatuor primis Ecclesiae saeculis ad Siricium usque supersunt, nemo, quin parum conveniat Ecclesiae nascentis aetati illarum materia Epistolarum, non intelligit. Adde quod in iis Epistolis mentio fiat Patriarcharum, Primatum, Metropolitanorum, Apocrisiariorum, multaque contineantur a disciplina illorum temporum omnino aliena, v. g. de Conciliis provincialibus bis quotannis celebrandis, de distributione Provinciarum Ecclesiasticarum, de Ordinationibus Episcoporum ab omnibus comprovincialibus Episcopis celebrandis, et quae plura sunt hujusmodi. VII. Ex Operibus et Decretis posteriorum Conciliorum, Pontificum, ac Patrum, quorum plurimi vixerunt saeculo VI. VII. et VIII., ex quibus compilatae, et consarcinatae sunt Epistolae illae Decretales, priscis Pontificibus affictae, ut *Blondellus* demonstravit in Prolegomenis Pseudo-Isidori vapulantis, Cap. XIII., ubi in singulis Epistolis notat sententias, ex scriptis authorum posteriorum delibatas, et ad verbum exscriptas.

Neque dicas, Patres, Pontifices, ac Concilia sequentium temporum, plurima ex praefatarum Epistolarum fontibus hausisse; ideoque mirum non esse, quod eaedem plerumque sententiae in illorum monumentis aeque ac in Decretalibus illis Epistolis legantur. Nam qui fieri potuit, ut tot Pontifices, tot Synodi, tot Sancti Patres, scriptoresque alii, ex iis Epistolis verba, sententias periodos integras totidem verbis sumerent, et nemo unus umquam Pontificem, aut Epistolam, unde hauserat, laudaverit, sicut tamen alios honoris causa nominarunt saepissime, quorum testimonia usurparunt? Quid quod si sententias illas apud Auctores suos legerimus, ita cum iis, quae praecedunt, et quae sequuntur, apte conjuncta reperiemus, ut naturali quodam vinculo copulatae esse videantur. At si v. g. S. Augustini sententiam in aliquam ex Epistolis Isidorianis insertam invenias, statim non Isidorum, sed alium loqui senties, alium orationis sonum, alium stylum deprehendes: ut non S. Augustinum ex illa Epistola, sed Epistolae auctorem ex S. Augustino sententiam illam excerpsisse cognoscas.

Nicolaus Card. Cusanus medio fere Saeculo XV. primus fuit, qui Epistolarum illarum suppositionem praesensit, atque indicavit Lib. III. de Concordia Catholica, Cap. II., ut, qui saeculo sequente scripserunt, Centuriatores Magdeburgenses neutiquam gloriari possint, illarum suppositionem se primos olfecisse. Eodem saeculo XVI. *Antonius Contius* Jurisconsultus, et *Antonius Augustinus* Tarraconensis argumenta multa et firma ad probandam suppositionem attulerunt. Hinc Card. Bellarminus Lib. II. de Rom. Pontifice, Cap. XIV. scripsit: *Indubitatas esse* (Epistolas illas priscorum Pontifi-

eum) *affirmare non ausum. Card. Baronius* vero in Annal. Eccles. ad annum 865. Num. VIII. illarum suppositionem manifeste jam esse deprehensam diu ante Blondellum notavit. Cardinalem Baronium secuti sunt Petrus de Marca, Stephanus Baluzius, Jacobus Sirmondus, Dionysius Petavius, Christianus Lupus, Daniel Papebrochius, Natalis Alexander, Antonius Pagius, Petrus Coustant, ac nostrorum temporum Eruditi tantum non omnes, qui Epistolas illas Romanis Pontificibus, quorum nomina praeferunt, abjudicanda esse censent. Neque propterea Romanae Ecclesiae authoritati ac Privilegiis quidquam decedit, quod Isidoriana Collectio, ut spuria et adulterina, rejiciatur. Ut enim Card. Baronius loco paulo ante citato scribit, *Simul ostensum est, illis non indigere Sanctam Romanam Ecclesiam; ut si falsitatis arguantur, suis ipsa destituatur juribus, et privilegiis: cum, et si illis careat, ex legitimis germanisque aliorum Romanorum Pontificum Epistolis Decretalibus satis superque corroborata consistat.* Et profecto complures emunctae naris Theologi ex indubitatis Romanorum Pontificum Rescriptis, genuinis Conciliorum Decretis, atque Historiae Ecclesiasticae monumentis, quin Isidorianam Collectionem in auxilium vocarent, Primatum Jurisdictionis Romani Pontificis, jus Appellationes admittendi, et de majoribus causis judicandi, Concilia Generalia indicendi, eisque vel per se vel per Legatos praesidendi, demum supremam atque infallibilem ejus authoritatem invictis argumentis ostenderunt. Ex quo apparet, falso jactari a Novatoribus, Ecclesiae Romanae jura Isidorianis Decretalibus omnino niti.

At quamvis Isidoriana Collectio spuria sit et adulterina, suffragari tamen non possumus iis, qui atrocio-

ribus verbis Epistolas illas dilacerant: quas e sententiis et verbis Legum, Canonum antiquorum, et Sanctorum Patrum, qui IV. V. VI. et VII. saeculo floruerunt, si pauca demas, concinnatas esse constat. Adde, quod Ecclesia Dei, quae falsitatem nullam, fidei ac bonis moribus adversantem, admittere potest, Decretalibus illis in judiciis et controversiis Ecclesiasticis per complura saecula constanter sit usa. Ipse Hincmarus Rhemensis, qui saeculo IX. Decretalium illarum auctoritatem petere nitebatur, iisdem tamen ad causae suae defensionem identidem uti non dubitabat: quod *S. Nicolaus* Papa in ea Epistola, quam in causa Rothadi Suessionensis ad universos Galliae Episcopos dedit, Hincmaro, suppresso licet ejus nomine, exprobravit: *Quamquam quidam vestrum scripserint, haud illa Decretalia priscorum Pontificum in toto Codicis Canonum corpore contineri descripta: cum ipsi, ubi suae intentioni haec suffragari conspiciunt, illis indifferenter utantur.* Si quis Hincmari scripta percurrerit, comperiet, illum saepe testimoniis sumptis ex Epistolis priscorum Pontificum Anacleti, Evaristi, Alexandri, Pii, Callisti etc. aperte usum. Alios quoque Germaniae et Galliae Episcopos Saeculo IX. ac X. Epistolarum earumdem authoritatem magni fecisse novimus. Sic in Synodo apud *S. Macram* habita A. 881., in *Coloniensi* A. 887., *Triburiensi* A. 895., *Troslejana* A. 909., *Rhemensi* A. 991. in causa Arnulphi Rhemensis Archiepiscopi testimonia ex illis Epistolis priscorum Pontificum sumpta, in medium allata fuerunt, et expensa, ac si in Canonum Codice continerentur.

Sunt qui putant, Isidorum Mercatorem, aut quisquis sub illo nomine latuerit, studio Apostolicae Sedis

dignitatem authoritatemque defendendi, ad falsa illa monumenta procuranda excitatum fuisse; propterea quod et Sedis hujus amplitudinem, et ejus in Synodos provinciales summam potestatem scriptis illis suis identidem commendare videatur. Si quis tamen rem penitus introspexerit, longe alia causa hominem adductum fuisse comperiet, ut facinus hoc admitteret. In ipsa Operis Praefatione consilium ipsemet prodit. Cum enim sermonem instituat de Scriptis, quibus sua Collectio constat, derepente suae orationis, et suimet oblitus, praeter rem et causam in eos graviter invehitur, qui Episcopos accusare audent, illudque multis urget, non posse cogi Episcopos ad dicendam causam, si accusati fuerint, et rebus suis exspoliati, aut gradu suo dejecti, antequam fuerint restituti. Quibus palam profitetur, Collectionem illam conficere se, ut Episcoporum, qui accusantur, commodis consulere possit. Quod etiam multo clarius perspicitur ex Scriptis, quae Collectione illa continentur; nam eamdem semper Auctor in illis cantilenam ad stomachum usque atque nauseam canit; et cum Apostolicae Sedis authoritatem praedicat, tamen eo semper tendit, ut accusati ac damnati Episcopi in Provincialibus Synodis, ad illam confugiant: ut Synodorum sententias illa retractet, irritasque reddat: ut Episcopis praesidio sit adversus Provincialium Synodorum conatus: omnia denique ad Episcoporum, qui accusantur, exspoliantur, ac damnantur, consolationem, patrocinium, ac defensionem conficta fuisse videntur.

Quamvis autem Decretales Veterum Pontificum Epistolae usque ad Siricium ab Isidoro fuerint confictae, cave tamen existimes, omnia, quae in Isidoriana Collectione leguntur, spuria esse atque adulterina.

Multa enim sincera sunt atque genuina, quales sunt Decretales Epistolae Romanorum Pontificum, Siricii, ejusque successorum, quas ex puris liquidisque fontibus Isidorus hausit, v. g. ex Codice Dionysii Exigui. Alia sunt adulterina, quae ipse confinxit. Alia sunt adulterina quidem, atque ementita, sed quae cum ab aliis ante Isidorum procusa fuerint, ipse tamen corrasit, et in suam retulit Collectionem. Rem Lectori pergratam me facturum existimo, si breviter indicavero I. Quaenam genuinae sint Romanorum Pontificum Epistolae a Clemente usque ad Siricium. II. Quaenam iisdem a variis ac diversis Scriptoribus suppositae fuerint ante Isidori tempora. III. Quaenam ab ipso Isidoro fuerint confictae.

Genuinae Romanorum Pontificum Epistolae a Clemente ad Siricium usque, quamvis multae conscriptae fuerint, paucissimae tamen hodiedum supersunt: videlicet Epistola I. *S. Clementis* ad Corinthios; secunda enim ejus Epistola, cujus fragmentum solummodo superest, certa atque indubitata non est. *S. Cornelii* Epistolae III., quarum duae scriptae sunt ad S. Cyprianum, et inter ejus Epistolas extant: tertia vero ad Fabium Antiochenum scripta refertur ab *Eusebio* Hist. Eccles. Lib. VI. Cap. XXXV. juxta versionem Christophorsoni. *S. Stephani I.* duo Epistolarum fragmenta, quorum alterum refertur a S. Dionysio Alexandrino apud *Eusebium* Lib. VII. Hist. Eccles. Cap. IV., alterum vero extat apud *S. Cyprianum* Epist. LXXIV. *S. Dionysii* fragmentum ex ejus Epistola adversus Sabellianos; quod refertur a *S. Athanasio* in Epistola de Decretis Synodi Nicaenae. *S. Felicis I.* fragmentum ex ejus Epistola ad Maximum Alexandrinum, quod inter

SS. Patrum testimonia laudatur in Actione I. Concilii Ephesini. *S. Julii I.* Epistolae duae, quarum alteram ad Eusebianos dedit; alteram ad Clerum et populum Alexandrinum: illam exhibet *S. Athanasius* in Apologia contra Arianos, hanc vero *Socrates* Hist. Eccles. Lib. II. Cap. XVIII. *S. Liberii* Epistolae IX., nimirum ad Osium Cordubensem Episcopum, ad Constantium Imperatorem, ad Episcopos Italiae, ad Caecilianum Episcopum Spoletinum, quatuor ad Eusebium Episcopum Vercellensem, una ad Orientis Episcopos, quam refert *Socrates* Lib. IV. Hist. Eccles. Cap XI. *S. Damasi* Epistolae VIII., nimirum ad Orientales, ad Paulinum Episcopum Antiochenum, duae ad Acholium Episcopum Thessalonicensem, duae ad S. Hieronymum, una ad Episcopos Illyrici, una contra Apollinarium et Timotheum, quae extant apud *Theodoretum* Lib. II. Hist. Eccles. Cap. XXII., et Lib. V. Cap. X.

Romanis Pontificibus a variis ac diversis Scriptoribus ante Isidori tempora suppositae fuerunt hae Epistolae: nimirum *S. Clementi* Epistola una ad Jacobum fratrem Domini Jerosolymitanum Episcopum, quam Rufinus Aquilejensis Latinam fecit. *S. Pio I.* Epistolae duae ad Justum Episcopum Viennensem. *S. Eleutherio* Epistola ad Lucium Britanniae Regem. *S. Victori* Epistolae duae, una ad Desiderium, altera ad Paracodam Viennenses Episcopos. *S. Cornelio* Epistolae duae, una ad Lupicinum, altera ad S. Cyprianum Carthaginensem Episcopum, quam *Sterhanus Baluzius* in novissima Epistolarum S. Cypriani editione ad calcem illarum Epistolarum posuit. *S. Sylvestro* Epistolae duae; quarum altera, quae ad universos Episcopos Galliarum data fuisse dicitur de formatis ab Episcopo Viennensi ac-

cipiendis, est ipsa S. Zosimi Epistola ad Galliarum Episcopos, sed pessime interpolata: altera vero, qua S. Pontifex Nicaenae Synodi Patribus respondere fingitur. *S. Julio* Epistolae duae, una ad Dionysium Corinthiorum Episcopum, altera ad Prosdocium. *S. Liberio* Epistolae V., videlicet duae ad Orientales Episcopos, una ad S. Athanasium Alexandrinum, una ad Ursacium, et Valentem, una ad Vincentium, Episcopum Capuanum. *S. Innocentio* I. Epistolae II. ad Arcadium Imperatorem. *S. Zosimo* Epistola ad Simplicium, Episcopum Viennensem. *Vigilio* Epistola ad Theodosium, Anthimum, et Severum Episcopos. *Honorio* I. altera ad Sergium Epistola.

Ab Isidoro hae procusae fuerunt Romanorum Pontificum Epistolae: Additamentum ad primam Epistolam, quam *S. Clemens* ad Jacobum fratrem Domini scripsisse dicitur, quodque ipsa Epistola longius est. Secunda itidem ad eumdem Jacobum: tertia ad omnes Episcopos et Presbyteros: quarta ad Julium et Julianum discipulos suos: quinta ad habitantes Jerosolymis. *S. Anacleti* Epistolae III., prima ad omnes Episcopos, secunda ad Episcopos Italiae, tertia ad Episcopos omnes. *S. Evaristi* Epistolae II., prior ad Africanos Episcopos, altera ad Episcopos Aegypti. *S. Alexandri* Epistolae III., prima ad omnes Orthodoxos, secunda, et tertia ad omnes Episcopos. *S. Xysti I.* Epistolae II., prior ad omnes Christianos, altera ad omnes Episcopos. *S. Telesphori* Epistola ad omnes fideles, et Episcopos. *S. Hygini* Epistolae II., prior ad omnes Christianos, altera ad Athenienses. *S. Pii I.* Epistolae II., prior ad omnes Christianos, altera ad Italos. *S. Aniceti* Epistola una ad Galliarum Episco-

pos, *S. Soteris* Epistolae II., prior ad Campaniae Episcopos, altera ad Episcopos Italiae. *S. Eleutherii* Epistola una ad Episcopos Galliarum. *S. Victoris I.* Epistolae II., prior ad Theophilum Alexandrinum, altera ad Afros Episcopos. *S. Zephyrini* Epistolae II., prior ad Siciliae Episcopos, altera ad Episcopos Aegypti. *S. Callisti I.* Epistolae II., prior ad Benedictum Episcopum, altera ad Episcopos Galliarum. *S. Urbani I.* Epistola ad omnes Christianos. *S. Pontiani* Epistolae II., prior ad Felicem Succribonum, altera ad omnes Christianos. *S. Anteri* Epistola una ad Episcopos provinciarum Baeticae, ao Toletanae. *S. Fabiani* Epistolae III., prima ad omnes Episcopos, secunda ad Episcopos Orientales, tertia ad Hilarium Episcopum. *S. Cornelii* Epistolae II., prior ad omnes Episcopos, altera ad Rufum Episcopum. *S. Lucii* Epistola una ad Galliae atque Hispaniae Episcopos. *S. Stephani I.* Epistolae II., prior ad Hilarium Episcopum, altera ad Episcopos omnes. *S. Xysti II.* Epistolae II., prior ad Gratum Episcopum, altera ad Episcopos Hispaniae. *S. Dionysii* Epistolae II., prior ad Urbanum Praefectum, altera ad Severum Episcopum. *S. Felicis I.* Epistolae III., prima ad Paternum Episcopum, secunda ad Episcopos Galliarum, tertia ad Benignum Episcopum, *S. Eutychiani* Epistolae II., prior ad Episcopos Baeticae provinciae, altera ad Siciliae Episcopos. *S. Caji* Epistola una ad Felicem Episcopum. *S. Marcellini* Epistolae II., prior ad Salomonem Episcopum, altera ad Episcopos Orientales. *S. Marcelli* Epistolae II., prior ad Episcopos Antiochenae provinciae, altera ad Maxentium Tyrannum. *S. Eusebii* Epistolae III., prima ad Episcopos Galliae, secunda ad Aegyptios, tertia ad

Episcopos Tusciae, et Campaniae. *S. Melchiadis* Epistolae II., prior ad Hispaniae Episcopos, altera de primitiva Ecclesia, et de Constantini erga eam munificentia. *S. Marci* Epistola una, qua respondet S. Athanasio, aliisque Episcopis Aegyptiis, postulantibus exemplum Canonum Nicaenorum: quorum etiam Episcoporum Epistolam ad S. Marcum Isidorus idem confinxit. *S. Julii I.* Epistolae II. ad Orientales Episcopos: in quorum priore exhibentur Canones XXIV. tamquam a Nicaeno Concilio constituti, praeter illos XX., quos vere Nicaena Synodus sanxit. *S. Liberii* Epistolae II., prior ad omnes Episcopos, altera ad S. Athanasium, et Episcopos Aegyptios. *S. Felicis II.* Epistolae II. prior ad Alexandrinam Synodum, altera ad omnes Episcopos. *S. Damasi* Epistolae V., prima ad Aurelium Carthaginensem, secunda ad S. Hieronymum, cujus initium *Dum multa etc.* tertia ad Stephanum Archiepiscopum Concilii Mauritaniae, quarta ad Episcopos omnes de Chorepiscopis, quinta denique ad Italiae Episcopos de non accipiendis scriptis accusationibus. *S. Anastasii* Epistolae II., prior ad Germaniae, et Burgundiae Episcopos, altera ad Nerianum. *S. Innocentii I.* Epistola una ad Aurelium Carthaginensem Episcopum, cujus initium, *Qua indignitate. S. Xysti III.* Epistola una ad Orientales Episcopos, cujus initium, *Gratias vestrae etc. S. Leonis Magni* Epistola una, quae est ordine LXXXVIII. ad Episcopos Germaniae, et Galliarum de Chorepiscopis. *S. Joannis I.* Epistolae II., prior ad Zachariam Archiepiscopum, altera ad Episcopos Italiae. *S. Felicis IV.* Epistolae II., prior ad omnes Episcopos, altera ad Sabinam. *Bonifacii II.* Epistola una ad Eulalium, Episcopum Alexandrinum. *Joannis*

II. Epistola una ad Valerium Episcopum. *S. Agapeti I.* Epistola una ad Anthimum CPolitanum. *S. Sylverii* Epistolae duae, prior ad Vigilium Pseudopapam, altera ad Amatorem Episcopum. *Vigilii* Epistola ad Aetherium, seu Eutherium, est ipsissima Vigilii Epistola genuina ad Profuturum Bracarensem scripta, cui tamen Isidorus praeter corruptam Epistolae inscriptionem, additamentum de suo assuit, capita scilicet postrema, sextum, et septimum. *Pelagii I.* Epistola una ad Vigilium Episcopum. *Joannis III.* Epistola una ad Episcopos Germaniae, et Galliarum. *Benedicti I.* Epistola una ad David Episcopum. *Pelagii II.* Epistolae tres, prima ad Benignum Archiepiscopum, secunda ad Episcopos Italiae, tertia ad Episcopos Germaniae, et Galliae. Quartam ad Joannem CPolitanum quidam ut legitimam admittunt, alii ut adulterinam repudiant. Epistolam *S. Gregorii M.* ad Felicem Messanensem, quam Isidorus in sua Collectione exhibet, multi omnino rejiciunt, alii vero ab eodem interpolatam fuisse contendunt. Epistolam vero Felicis, ad quam respondet S. Gregorius, tantum non omnes adulterinam esse opinantur. Has omnes Decretales Epistolas ab Isidoro procusas, minutiori charactere exhibent Acta Conciliorum a *Joanne Harduino* S. J. collecta, Tomo I. II. et III. Vide hac de re plura apud *Natalem Alexandrum* Dissertatione XXI. in Hist. Eccles. Sacculi I., et Illustrissimum *Joannem Baptistam Bartholi* Feltriensem Episcopum in Institutionibus Juris Canonici, Cap. XVIII. XIX. XX. L. LI., ex quibus, additis nonnullis, haec deprompta sunt.

CXLIII. *S. Isidorus*, patria Alexandrinus, *Pelusiota* dictus, quod juxta Pelusium Aegypti urbem Mo-

L 3

nasticam vitam coluerit, Presbyter fuit, Archimandrita, et S. Joannis Chrysostomi quondam discipulus, cujus doctrinam saepissime commendavit, et innocentiam strenue defendit, atque ab obtrectatoribus vindicavit. Siquidem ejus monitis et adhortationibus effectum est, ut S. Cyrillus Alexandrinus, Theophili Patriarchae nepos, haereditariam in S. Chrysostomum offensionem deponeret, ejusque nomen sacris tabulis inscriberet. Magnam fuisse S. Isidori apud Imperatorem Theodosium juniorem, Magistratus, et Episcopos authoritatem, testantur Epistolae ad ipsos scriptae. Vitiorum omnium accerrimus fuit insectator, virtutis locuples laudator, et praeco. Unde eam ob rem in multorum offensionem et odium incurrisse, sibique multas structas insidias alicubi testatur. Obiit circa annum 440. die IV. Februarii, qua Graeci, et Latini sacram ejus memoriam recolunt. *Nicephorus Callistus* Hist. Eccles. Lib. XIV. Cap. LIII. narrat, exaratas a S. Isidorio Pelusiota fuisse *Epistolarum* fere decem chiliadas, seu decem millia: solas illas, quibus Sacrarum Scripturarum locos exposuit, ter mille fuisse testatur *Suidas* in Lexico. Ex omnibus supersunt hodiedum bis mille, ac tredecim dumtaxat, perbreves fere omnes, et perpetuo quodam Laconismo contextae; sed doctrina et utilitate copiosae, Scripturarum testimoniis et exemplis ubique adspersae, et conditae. Hae in Libros V. distributae Graece et Latinae ex variorum interpretum versione, nimirum *Jacobi Billii* Prunaei, *Conradi Rittershusii*, et *Andreae Schotti* S. J. Parisiis prodierunt A. 1638., in Tomum VII. Bibliothecae Maximae Lugdunensis postea illatae. *Isidorianas collationes*, quibus S. Isidori Epistolae omnes, hactenus edi-

tae, cum multis antiquis MSS. Codicibus comparantur, supplentur, et emendantur, Romae edidit A. 1670. *Petrus Possinus* S. J. Geminum praeterea librum conscripsit S. Isidorus, unum *adversus Gentiles*, alium *contra Fatum*; qui vel interierunt, vel publicam adhuc lucem expectant.

CXLIV. *Julianus Pomerius*, ex Mauretania Africae provincia oriundus, floruit saeculo V. ad finem vergente. In Gallia primum Rhetor, tum Presbyter ordinatus, Rhetoricam Arelate docuit, et S. Caesarium, Arelatensem dein Episcopum, habuit auditorem. Auctor est librorum trium *de Vita contemplativa*, licet in plerisque editionibus Prospero Aquitano tribuantur, et sub hujus nomine laudati sint a Chrodegango Metensi, a Synodo Aquisgranensi sub Ludovico Pio celebrata, et a Theodulpho Aurelianensi Episcopo in Libro de Spiritu Sancto A. 809. scripto. Pomerio enim Opus illud asserit *S. Isidorus* Hispalensis in Lib. de Script. Eccles. Cap. XII., eidemque etiam in antiqua Collectione Canonum Codicis Andegavensis adscribitur. Praeterquam quod stylus, ac dicendi character Prospero illud abjudicant. Extant Libri III. de Vita contemplativa Tomo VIII. Bibliothecae Maxime Lugdunensis. Scripsit praeterea Julianus Pomerius, teste S. Isidoro, *Libros VIII. de Natura animae* in Dialogi morem, et *Libellum de Virginibus instituendis*, quae tamen omnia injuria temporum exciderunt.

CXLV. *S. Julianus*, genere Judaeus, sed Toleti ex parentibus Christianis natus, Eugenii II. Toletani Archiepiscopi fuit discipulus, cum Gudila Archidiacono ejusdem Ecclesiae arcta conjunctus amicitia. Quirico Toletano Archiepiscopo A. 680. ineunte successor datus,

ac die XXIX. Januarii consecratus, omnes optimi Pastoris partes implevit. *Toletanis* Conciliis quatuor praesedit, nempe XII. A. 681., XIII. A. 683., XIV. A. 684., et XV. A. 688., cui interfuerunt Episcopi LXVI. Miserat Synodus Toletana XIV. Acta sua Romam ad Summum Pontificem cum *Expositione fidei* a S. Juliano conscripta. In hac Benedictus II. Papa, qui S. Leoni II. interea successerat, nonnulla ad tollendam ambiguitatem explanatione indigere censuit, praecipue quod Christus ex tribus substantiis conflatus esse in ea diceretur. Edidit itaque S. Julianus *Expositionem* earum sententiarum, quas Benedictus II. explanari jusserat, eamque a Toletana Synodo XV. laudatam, per Legatos S. Sergio I. Romano Pontifici obtulit, qui illam ratam habuit. Obiit Praesul sanctissimus anno Egicae Regis tertio, Christi 690., die VIII. Martii, quo Ecclesia sacram ejus memoriam colit. Corpus ejus in Ecclesia S. Leocadiae tumulo illatum est.

Genuina S. Juliani Toletani Opera sunt: *Prognosticorum, sive de Origine mortis humanae, de futuro saeculo, et de futura vitae contemplatione Libri III.* ad Idalium Barcinonensem Episcopum, Duaci editi A. 1565. *Vita S. Ildephonsi Toletani*, quae praefigi solet ejusdem libro de illibata Virginitate Deiparae. *Commentarii in Nahum Prophetam*, editi ex MS. Codice Bibliothecae Bavaricae ab *Henrico Canisio*. *Libri III. de Demonstratione sextae aetatis adversus Judaeos*, Ervigio Regi inscripti, quibus Messiam venisse, et frustra jam a Judaeis expectari probat, hunceque esse Jesum Christum. *Libri duo contrariorum in speciem locorum utriusque Testamenti. Historia Gestorum Regis Vambae in Galliis adversus Paulum Ducem rebellem*, quam Tomo I.

Historicorum Franciae edidit *Andreas Duchesnius* Parisiis A. 1636. Extant haec Opuscula Tomo XII. Bibliothecae Maximae Lugdunensis. Caetera ejus Opera a Felice Toletano in Appendice ad S. Ildephonsi catalogum Virorum illustrium laudata, injuria temporum desiderantur; nempe *Liber Responsionum* in defensionem Canonum, et legum, quibus prohibentur Christiana mancipia dominis infidelibus deservire: *Apologeticum fidei*, quod Benedicto Romanae Urbis Papae directum est; *Apologeticum aliud de tribus Capitulis*, de quibus Romanae Urbis Praesul frustra visus est dubitare: *Libellus de remediis blasphemiae cum Epistola ad Adrianum Abbatem*: *Liber Responsionum* contra eos, qui fugientes ad Ecclesiam persequuntur: *Libellus de divinis judiciis* ex sacris voluminibus collectus. Item *Epistolae* plurimae, *hymni*, *epitaphia*, *epigrammata*, *et sermones*, ac *Liber Missarum* in quatuor partes divisus.

CXLVI. *Julius Firmicus Maternus* saeculo IV. sub Constantini M. filiis floruit, quibus nuncupavit conscriptum a se librum *de errore profanarum Religionum*, editum postea ex recensione et cum notis *Joannis Wouvet*, Lugduni Batavorum A. 1652. cum Minucii Felicis Octavio. Idem antequam Christo nomen daret, *Libros VIII. de Astronomia* ad Lollianum scripsit, quos Possevinus, et alii perperam tribuunt alteri Julio Firmico, quem juniorem vocant: cum inter annum Christi 334., quo contigit Solis eclipsis ab ipso memorata, Optato et Paulino Coss., et annum 337., quo Titianus, et Nepotianus Consulatum gesserunt, libros illos compositos fuisse constet. Editi fuerunt primum ab *Aldo Manutio*, Venetiis A. 1501.

CXLVII. *S. Ivo*, qui neutiquam est permiscendus cum alio S. Ivone Presbytero Trecoriensi, Jurisperitorum Patrono, et pauperum Advocato ex illustri prosapia natus est medio fere saeculo undecimo in agro Bellovecensi, patre Hugone de Altoilo, matre Hiltemburga. Adolescens litteris humanioribus imbutus, Theologiae dein in Monasterio Beccensi operam dedit, Lanfranco doctore usus, qui postea fuit Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia. Ordinem Canonicorum Regularium S. Augustini ingressus, Abbas Ecclesiae S. Quintini ad muros Bellovacenses institutus fuit, atque ab Urbano II. Papa labente anno 1092. Carnotensis Episcopus Capuae consecratus, Richerio Senonensi praestare id detrectante. Regiis ministris urgentibus, A. 1093. multas passus est injurias in Concilio Stampensi ob ordinationem a Romano Pontifice in partibus transalpinis susceptam, criminis etiam laesae Majestatis accusatus: sed imminentem capiti suo procellam hanc interpositione appellationis ad Sedem Apostolicam propulsavit. Vir fuit Ecclesiasticae disciplinae acerrimus vindex, Sacrorum Canonum peritissimus, intrepidi animi, et Potestatibus etiam summis blandiri et adulari nequaquam solitus. Philippo I. Galliarum Regi Bertradam Fulconis Comitis Andegavensis uxorem, viro superstite, Berta uxore legitima repudiata, superducenti, multis Episcopis conniventibus, renuit assentiri, et adulteram conjunctionem constanti improbavit animo, Regis offensionem, redituum interceptionem, carcerem ab Hugone Carnotensi Vicecomite propterea passus; ex quo cum cives Carnotenses armis ipsum liberare vellent, ipsos deterruit, solis orationibus et severitate Ecclesiastica libertatem suam procurandam scribens. Conciliis Claromontano, Exoldunensi, Picta-

viensi, et inaugurationi Ludovici VI. consilio suo Aurèliae celebratae interfuit. Plurimis pro Ecclesia toleratis laboribus, ad Superos abiit die XIII. Decembris A. 1115., aut ut Pagius, aliique sentiunt, A. 1117. *S. Pius V.* Pont. Max. Canonicis Regularibus Congregationis Lateranensis diem ejus festum die XX. Maii celebrare permisit, Diplomate dato die XVIII. Decembris A. 1570.

S. Ivonis Carnotensis genuina Opera sunt: *Sermones XXIV. de Ecclesiasticis Sacramentis, ac Officiis, praecipuisque per annum Festis. Breve Chronicon de Regibus Francorum*, cui ab alio quaedam addita fuerunt. *Epistolae* CCLXXXVII., quas Ecclesiasticae disciplinae promptuarium merito appellaveris. Prodierunt Parisiis cum notis *Francisci Jureti* A. 1585., et 1610. *Commentarius in Psalmos*, qui MS. asservatur Parisiis in Bibliotheca Colbertina. *Collectio Decretorum*, seu Decretum Ivonis, in partes XVII. distinctum, ex Burchardi Vormatiensis collectione maxima ex parte depromptum, quod Lovanii edidit A. 1561. *Joannes Molinaeus* Gandensis, Decretorum in Academia Lovaniensi Regius Professor. *Pannomiam*, quae corrupta ab imperitis librariis voce *Panormia* dicta est, in VIII. partes distinctam, complures ex Eruditis cum Baluzio, Natale Alexandro, Oudino etc. Ivoni Carnotensi adscribunt; alii vero cum Pagio, Joanne Bapt. Bartholo Feltriensi Episcopo etc. eamdem Hugoni Catalaunensi adjudicant. *Chronicon* a Nino usque ad Ludovicum Pium Augustum, quod *Marquardus Freherus* in Corpore Historiae Francicae edidit Hanoviae A. 1611. sub nomine Ivonis, authorem habuit Hugonem a Sancta Maria, Monachum Floriacensem. Opera omnia S. Ivonis Carnotensis Episcopi excusa

sunt Parisiis A. 1647. studio *Joannis Baptista Souchcti* Doctoris Theologi, et Canonici Carnotensis Ecclesiae.

CXLVIII. *S. Justinus* Martyr, Prisci filius, Bacchii nepos, Neapoli Samariae urbe, quae etiam Flavia Caesarea deductis illuc a Flavio Domitiano Caesare colonis est appellata, ex Ethnicis clarae stirpis parentibus progenitus est. Post humaniorum litterarum studia animum Philosophiae applicuit, sed ea libertate, ut nulli singulari sectae se manciparet: unde pro conservata sibi libertate a Stoicis ad Peripateticos, ab is ad Pythagoricos, inde etiam ad Platonicos transivit, in quorum schola prima veritatis semina concepit; donec a sene quodam venerando ac vere divino meliora edoctus, ubi praeterea fortem et magnanimum Christianorum animum in persecutionibus inspexisset, ad diviniorem ac nobiliorem Philosophiam, Christianam nempe transiit, seque salutaribus aquis abluendum, et initiandum Ecclesiae obtulit. Ut ad labores Dei causa subeundos, et ad suscipienda cum adversariis certamina magis idoneum se praestaret, longe jam ardentiori, quam ante hac, studio et sacras litteras perscrutari, et earum doctores ac magistros, Apostolorum scilicet discipulos ac successores audire ac consulere coepit: tum vero ad Gentilium conversionem studia et cogitationes suas applicuit, eosque non privatis modo colloquiis, aut publicis disputationibus, sed etiam editis in lucem libris ad suae salutis curam lacessivit; atque ante omnia Sybillarum libros, velut necessarias ad oracula Prophetarum praeexercitationes, commendavit: deinde Prophetas ipsos, et alia deinceps sacra volumina pervolvenda atque meditanda edocuit. Varias orbis partes more Apostolico, et Philosophico retento pallio peragravit: ac Romam quidem An-

tonino Pio imperante profectus, Marcioni haeresiarchae tum adhuc in urbe superstiti, et cuncta lupi instar vastanti fortiter restitit; utqu: grassantem adversus Christianos crudelitatem restingueret, eosque a fictis Gentilium calumniis vindicaret, circa annum Christi 140. Apologiam I. pro Christianis Antonino Pio, ejusque filiis, et Senatui Romano nuncupatam obtulit, qua egregium ab Antonino Pio pro Christianis Rescriptum ad Praefectos ac Praesides provinciarum impetravit. Post haec in Asiam minorem, atque Epehsum delatus, celeberrimum illud cum Tryfone Judaeo colloquium habuit: inde in alias regiones, ac tandem Romam altera et postrema vice velut postliminio reversus, imperantibus M. Aur. Antonino, et Lucio Vero, alteram Apologiam pro Christianis conscripsit. Verum Crescentis Cynici nequissimi hominis artibus, quocum Justinus Christi causa inimicitias susceperat, gladio percussus, illustrem martyrii palmam adeptus est sub Marco Aurelio Antonino circa annum 164. Sanctissimi Martyris memoriam colit Ecclesia die XIII. Aprilis.

Opera genuina S. Justini Martyris sunt: *Apologia pro Christianis prima* ad Antoninum Pium, et Senatum Romanum, atque *altera* ad Marcum Aurelium Antoninum, et Lucium Verum. Utraque haec Apologia adnos integra et incorrupta non pervenit: et quae in editis prior dicitur, et primo loco collocatur, est posterior; et quae posterior ibidem habetur, re vera est prior. *Paraenesis, sive exhortatio ad Graecos*, qua Gentiles ad fidem Christianam amplectendam hortatur. *Elenchus, seu Oratio ad Graecos*, qua modum praecipue describit, quo Graeci ad Christianae fidei cognitionem pervenire possint. *Dialogus*, seu Disputatio Ephe-

si habita *cum Triphone* Judaeorum tunc temporis facile Principe, in qua ex Oraculis Prophetarum Christum esse verum Deum, et verum Messiam disertissime probat. *Liber de Monarchia Dei*; qui tamen an idem sit cum eo qui modo extat, et de Monarchia simpliciter inscribitur, complures ex Eruditis merito dubitant. Scripsisse etiam S. Justinus dicitur plurima alia, quae modo non amplius extant, praeter fragmenta aliqua apud Tatianum S. Justini discipulum in Oratione ad Gentes, Antonium Melissam, et S. Joannem Damascenum in Parallelis; nempe *Commentarium de Anima*, *Librum contra omnes haereses*, *Librum contra Marcionem*, *Expositionem in Apocalypsin*, *Commentarium in Hexaëmeron*, *Librum de Resurrectione carnis*, *Librum* qui *Psaltes* inscribitur, *Dubitationum adversus Religionem summarias solutiones.*

Dubia S. Martyris Opera sunt: *Epistola ad Diognetum*, cujus authorem Justino longe antiquiorem fuisse multi contendunt: *Epistola ad Zenam et Serenum*: *Aristotelicorum quorumdam dogmatum eversio*; quem librum plerique aetatis nostrae Critici Justino abjudicant. Supposititia Opera sunt: *Liber Christianarum ad Graecos Quaestionum*, *Graecarumque Responsionum*, in quibus mentio fit Manetis, seu Manichaei, saeculo integro Justino posterioris. *Quaestiones Graecanicae de Incorporeo*, *et De Deo*, *ac resurrectione mortuorum*. *Responsiones Quaestionum CXLVI. ad Orthodoxos*. *Expositio fidei de Sancta Trinitate*. Opera omnia S. Justini Martyris prodierunt Graece cum observationibus *Joachimi Perionii* O. S. B. cura *Roberti Stephani*, Parisiis A. 1551. Graece et Latine ediderunt *Fridericus Sylburgius* ex interpretatione Joannis Langi Silesii, Hei-

delbergae 1593., ac Parisiis 1615., et *Prudentius Maran* O. S. B. ex Congregatione S. Mauri, Parisiis 1742. Dialogus cum Tryphone Judaeo cum notis, et emendationibus *Styani Thirlbii* prodiit Londini 1722. in folio. Vitam et documenta S. Justini Philosophi et Martyris edidit *Petrus Halloix* S. J. Duaci 1622. Dispunctionem calumniarum, quae S. Justino inuruntur ab Isaaco Casaubono, *Petrus Lanselius* S. J. Parisiis A. 1615. in folio.

CXLIX. *Cajus Aquilinus Vestius Juvencus*, vetusta nobilique prosapia in Hispaniis progenitus, dignitate Presbyter, floruit circa annum Christi 329. *Historiam Evangelicam* maxime secundum S. Matthaei ductum, quatuor libris versu Heroico complexus est, quos Constantino Magno Augusto nuncupavit. Composuit etiam non nulla eodem metro, sed quae jam nusquam sunt, ad Sacramentorum ordinem pertinentia, teste *S. Hieronymo*, Lib. de Script. Ecclesiast. Cap. LXXXIV. Extat Juvenci Historia Evangelica Tomo IV. Bibliothecae Maximae Lugdunensis, et in Collectione Veterum Poëtarum Ecclesiasticorum Basileae A. 1562. Seorsim excusa fuit Lipsiae A. 1710. cura *Erhardi Preuschii*.

L

CL.

Caelius Lactantius Firmianus, Italus natione, forsan Firmio, quod agri Piceni oppidum est ad oram maris Hadriatici, oriundus, Arnobium seniorem, Siccae tunc in Africa docentem, magistrum sortitus est: sub quo adolescentulus adhuc conscripto *Symposio*, elegantissimum praecocis ingenii specimen dedit. Inde Nicomediam, quam Diocletianus Imperator Romanae Urbi coaequare studebat, accitus est, ut juventuti eloquentiae ludum aperiret. Verum ob discipulorum penuriam, in Graeca praesertim civitate, cum paupertate conflictatus est, ut plerumque etiam necessariis indiguerit. Demum Constantino Magno summa rerum potito, in Gallias evocatus est, ut Crispum, nobilissimum Caesarem, Constantini ex Minervina filium, Latinis litteris erudiret. Obiit extrema senectute, sed quo anno non liquet. Vir fuit eruditissimus, atque ob singularem eloquentiam *Cicero Christianus* merito nominatus; felicior tamen in Ethnica superstitione impugnanda, quam in Christiana Religione luculentis argumentis munienda. Hinc ob multos, quos propugnat, errores, *S. Gelasius* Papa in Synodo Romana A. 495. ejus Opera in apocryphorum classem rejecit. Scripsit Nicomediae saeviente Diocletiano *Institutionum Divinarum Libros VII.* adversus Gentiles, Porphyrium praecipue, ac Hieroclem Bithyniae Praesidem. *Epitomen Institutionum* ad Pentadium fratrem, quam integram ex MS. Taurinensis Bibliothecae

Codice primus edi curavit Parisiis A. 1712. Christophorus Matthaeus Pfaffius. *Librum de Ira Dei*, ac *de Opificio Dei*. *Libellum de Mortibus Persecutorum*, a S. Hieronymo laudatum, quem primus in lucem protraxit *Stephanus Baluzius* Tomo II. Miscellaneorum, Oxonii dein A. 1680., et Ultrajecti A. 1692. cum notis et observationibus *Pauli Bauldrii* recusum. Opera omnia Lactantii quae extant, prodierunt Romae A. 1650., Lugduni Batavorum 1660. cum notis *Servatii Gallaei*, Oxonii 1684, Cantabrigiae 1685., Lipsiae 1715., Parisiis 1748. Plura alia scripsit Lactantius, quae temporum injuria interierunt, nempe *Symposium*, *Gramaticum*, *Carmen Heroicum de itinere suo ab Africa ad Nicomediam*, *Epistolarum ad Probum Lib. IV. Ad Severum Lib. II. Ad Demetrianum Lib. II. ac ad Asclepiadem Lib. II.*, ut S. Hieronymus memoriae prodidit Lib. de Script. Ecclesiast. Cap. XC. *Carmina de Phoenice, de Paschate, de Passione Domini : item argumenta in singulas fabulas Metamorphoseon Ovidii*, et *Annotationes in Statii Thebaidem et Achilleidem*, perperam Lactantio Firmiano tribuuntur.

CLI. *Lambertus Schafnaburgensis*, Hirsfeldensis Monachus O. S. B. redux e peregrinatione Jerosolimitana, accurate et eleganter scripsit *Historiam* ab Orbe condito ad annum usque 1077., qua res gestas ante annum 1050. ordine Chronologico, eoque brevissimo percurrit; deinceps vero res Germanicas ad annum usque 1077. fusissime ac concinne enarrat, veracis Historici laudem consecutus. Lambertum postea ad annum usque 1472. continuavit Anonymus Monachus Erfordiensis, haud pari tamen accuratione et elegantia. Prodiit Lamberti Historia seorsim Tubingae A. 1533. tum vero in-

ter Scriptores Germanicos *Pistorii* Francofurti 1583., et Ratisbonae 1726. in Collectione *Struviana* Historicorum Germaniae.

CLII. *B. Lanfrancus*, Ticini in Italia ex nobili stirpe progenitus, relicta patria in Normanniam adhuc adolescens venit. Vitam dein Monasticam in Coenobio Beccensi O. S. B. sub Herluino Abbate professus, Prior ejusdem Monasterii renunciatus est. Romam profectus, Catholicam fidem contra Berengarium acerrime propugnavit in Concilio Romano sub Nicolao II. A. 1059., ipsumque ita confutavit, ut haeresin ejurare, et Scripta sua in ignem conjicere cogeretur. Roma in Normanniam reversus, Abbas primum S. Stephani Cadomensis, tum vero Guilielmi Angliae Regis suffragatione Cantuariensis Archiepiscopus electus est, Stigando Sedis illius invasore exauthorato. Cumque ille impositum onus declinare niteretur, Hermenfredus Sedunensis Episcopus, et Hubertus S. R. E. Cardinalis, Alexandri II. Romani Pontificis Legati, in Normanniam ea de causa profecti, excusatione incognitae linguae, gentiumque Barbararum insuperhabita, ad suscipiendum Archiepiscopatum Authoritate Apostolica Lanfrancum compulerunt. Igitur maximo Cleri, Procerum, et populi consensu A. 1070. die XXIX. Augusti Archiepiscopus consecratus est: tum vero sequente anno 1071. Romam profectus, Pallium duplex ab Alexandro II. accepit. Non enim illud solum, quod omnibus Archiepiscopis tribui consueverat, ex Altari ipsi exhibuit, sed et illud, quo ipse Romanus Pontifex exornatus Missas celebrabat, ipsi impendit, in singularis amoris significationem. Lanfranci in Romana peregrinatione comes fuit Thomas, Eboracensis Archiepiscopus, qui Pallio etiam a Pontifice donatus est. Ortam inter

utrumque de Primatu controversiam, contendente Thoma, Eboracensem et Cantuariensem Ecclesias dignitate et honore pares esse secundum S. Gregorii Magni decreta, ab utroque appellatus Alexander II. in Anglia finiendam decrevit totius Regni Episcoporum et Abbatum testimonio. Ex mandato itaque Alexandri II. habita est Synodus A. 1072. in Anglia, cui Hubertus Sedis Apostolicae Legatus praefuit. Causa ibi coram Rege, Episcopis, et Abbatibus disceptata est, Ecclesiaeque Cantuariensis Primatum supra caeteras Angliae Ecclesias, ipsamque Eboracensem, ex Historia Ecclesiastica Venerabilis Bedae, ex variis Angliae Conciliis ex Ordinationibus Episcoporum, et Professionibus obedientiae ab iis factis Cantuariensi Archiepiscopo, atque ex Romanorum Pontificum Rescriptis, Lanfrancus vindicavit, et Thomae objectiones facile diluit. Tandem multis pro Deo et Ecclesia perfunctus laboribus, Ecclesiasticae immunitatis acerrimus vindex, pauperum pater munificentissimus, ad Superos migravit A. 1089, die XXVIII. Maii, doctrinae et sanctitatis fama clarissimus, Successorem in Archiepiscopatu Cantuariensi nactus discipulum suum S. Anselmum.

Praeter *Commentarium in Psalmos*, *Historiam Ecclesiasticam*, *et Vitam Guilielmi* Conquestoris, Angliae Regis, et Normanniae Ducis, quae interiisse videntur, scripsit etiam B. Lanfrancus *Epistolas* plurimas, quibus Ecclesiastica disciplina eximie illustratur: *Commentarium in Epistolas S. Pauli*: *Libellum de Corpore, et Sanguine Domini in Eucharistia contra Berengarium*: *Annotatiunculas in non nullas Joannis Cassiani Collationes Patrum*; *Decreta pro Ordine S. Benedicti*, sive Statuta Monachis in Anglia Benedicti-

nis praescripta: *Pericopen Orationis*, a se in Concilio Londinensi dictae: *Libellum de celanda Confessione*. Prodierunt B. Lanfranci Opera omnia quae extant, a *Luca Dacherio O. S. B.* ex Congregatione S. Mauri notis illustrata, Parisiis A. 1648. in fol., Venetiis A. 1745. recusa. *Sermonem* ejusdem antehac ineditum evulgavit idem *Dacherius* Tomo IV. Spicilegii.

CLIII. *S. Leander*, in Carthaginensi Hispaniae provincia natus, Severiani, cujus sororem Sanctiam in uxorem duxit Theodoricus Ostrogothorum Rex, ac Turturae filius, S. Isidori Hispalensis, et S. Florentinae Virginis frater natu major, post diuturnam vitae Monasticae professionem, Hispalensis Ecclesiae Archiepiscopus factus est. Ab Hermenegildo Principe, quem ob fidei Catholicae studium armata manu persecutus est Leovigildus Pater, Gothorum in Hispania Rex, ad Tiberium Constantinum Orientis Imperatorem missus Constantinopolim, ut suppetias obtineret, arctissimam ea in Urbe cum S. Gregorio Magno, Pelagii II. Romani Pontificis tunc Apocrisiario, amicitiam contraxit, illique author fuit, ut Libros Moralium, sive expositionem in Job conscriberet: quos Constantinopoli inchoatos, Romaeque postquam ad Petri Cathedram evectus fuerat, limatos, Leandro suo Gregorius nuncupavit. In Hispaniam A. 584. reversus, a Leovigildo Rege exilio mulctatus est: qui tamen sequente anno jam morti vicinus facti poenitentia ductus est, et Recaredum filium Leandri curae commendavit. Leander tam praeclarum discipulum nactus, illum primo ab Ariana haeresi, deinde illius ope Gothorum magnates, ac tandem totam fere Visigothorum gentem ad Catholicam fidem perduxit, *Gothorum Aposto-*

lus merito nuncupatus. Anno 589. in Synodo Toletana III. Gothos saniora edoctos in Ecclesiae sinum admisit, Orthodoxamque fidem omnium subscriptione confirmari curavit. Obiit circa annum 596. sanctimonia non minus, quam doctrina clarissimus, Successorem in Hispalensi Cathedra nactus fratrem suum S. Isidorum. Hispaniarum Ecclesiae Sancti Viri memoriam colunt die XIII. Martii; in Romano autem Martyrologio nomen ejus inscriptum est ad diem XXVII. Februarii. Scripsit ad Florentinam sororem *Regulam de Institutione Virginum, et contemptu mundi*, quam primus edidit *Lucas Holstenius* in Collectione Regularum Parisiis 1663., illatam dein Tomo XII. Bibliothecae Maximae Lugdunensis. Extat ejusdem *Homilia in laudem Ecclesiae* ob conversionem Gothorum, Toleti post finitam Synodum habita, quam *Bollandi* Continuatores exhibent in Vita S. Leandri, Tomo II. Martii, ad diem XIII. Scripsit praeterea complura alia, a S. Isidoro Hispalensi in Lib. de Script. Ecclesiast. commemorata, sed jam deperdita; nempe *Libros II. adversus Haereticorum dogmata*: *Opusculum adversus instituta Arianorum*: *Epistolas* multas ad S. Gregorium Magnum, ac caeteros Coëpiscopos.

CLIV. *S. Leo*, cognomento Magnus, Quintiani filius, patria Romanus, aliis Thuscus, dum Roma aberat Aëtium Albinumque Romani Exercitus Duces, in Galliis dissidentes, reconciliaturus, post mortem S. Sixti III. renuntiatus est Romanus Pontifex A. 440., ac die XXIX. Septembris consecratus. Manichaeos habito Romae Concilio A. 443. insectatus est, patefactis eorum flagitiis, sacrilegaeque religionis ritibus: tum Pelagianos aggressus, adversus eorum hoc tempore prin-

cipem Julianum Eclanensem decertavit. Priscillianistarum quoque sectam, in Hispaniis grassantem, contrivit, data ad Turribium Asturicensem Epistola. Sed cura illius prima orientis haeresis Eutychianae fuit oppressio. Hanc a Flaviano, Constantinopolis Archiepiscopo, damnatam, deinde vero a Dioscoro Alexandrino, indigno S. Cyrilli successore, in praedatoria Synodo Ephesina restitutam ut penitus labefactaret, Concilium Chalcedonense Oecumenicum IV. per Marcianum Augustum convocavit, cui per Legatos suos praefuit. Ipse biennio ante Eutychianos redarguerat celeberrima Epistola de Incarnatione Verbi ad Flavianum, quam Patres Chalcedonenses approbarunt tamquam Oraculum S. Petri, per Leonem loquentis. Collapsam variis in locis Ecclesiae disciplinam restituit, et Canonem XXVIII. Chalcedonensem improbando, Anatolii CPolitani ambitum repressit, Nicaenorum Canonum se professus executorem, quorum connivere violationi summum arbitratus est nefas. Neque Ecclesiae solum, sed et Reipublicae saluti prospexit. Cum enim Attila post eversam Aquilejam, captumque Ticinum, ac Mediolanum, Romae immineret, Sanctus Pontifex a Valentiniano III. Imperatore rogatus, ad confluentes Mincii et Padi illi occurrens, ferocem animum demulsit, iram fregit eloquentia, utque relicta Italia exercitum trans Danubium duceret, persuasit. Gensericum deinde Vandalorum Regem, qui ab Eudoxia Augusta, Valentiniani III. necem adversus Maximum ultura, ex Africa excitus Romam occupaverat, lenivit, effecitque, ut igne et ferro, quo captam civitatem delere parabat, abstineret, praeda Urbis per dies quatuordecim direptae contentus. Diem clausit extremum

S. Leo die X. Novembris, A. 461., Hilarum Sardum Romanae Ecclesiae Diaconum successorem nactus, vitae sanctimonia, eloquentia, gestisque juxta et scriptis rebus vere Maximus, Orthodoxae fidei columna, et Apostolicorum dogmatum acerrimus defensor, cujus memoriam Latina Ecclesia die XI. Aprilis celebrat, Graeca vero die XVIII. Februarii.

Scripsit *Sermones* varios, Christiana eruditione, pietate, ac facundia admirandos, ex quibus soli XCVI. extant, de Collectis, et Eleemosynis, de Jejunio, de Nativitate, Epiphania, Quadragesima, Passione Domini, de Anniversario assumptionis suae ad Pontificatum etc. Item *Epistolas* complures, quibus Catholicam veritatem asseruit, Ecclesiasticam disciplinam restauravit, ac propugnavit, Canonum transgressores et contemptores coercuit. Multae ex illis perierunt: solae ex eis hodiedum supersunt CXLI. *Sermo II. in Natali Apostolorum Petri et Pauli*, et *Sermo in Natali S. Vincentii Martyris* abjudicandi videntur S. Leoni. Epistolam, quae in veteribus editionibus erat LXXXVIII. *de Privilegio Chorepiscoporum*, ad Germaniae et Galliae Episcopos, et XCVI. ad Episcopos tertiae Lugdunensis Provinciae, S. Leonis non esse; sed priorem ex Concilio II. Hispalensi potissimum consarcinatam esse, posteriorem vero Leoni Bituricensi Episcopo deberi, Sirmondus, aliique dudum monuerunt. Perperam etiam S. Leoni Magno Opuscula quaedam affícta fuerunt, nempe *Tractatus adversus errores Eutychetis, et aliorum*: *Libri II. de Vocatione Gentium*: *Epistola ad Demetriadem de Humilitate Christiana*: *Capitula, sive praeteritorum Sedis Apostolicae Episcoporum Authoritates de Gratia, et libero voluntatis arbitrio*, quae

Coelestini Epistolae ad Gallos subnecti solent, a S. Prospero Aquitanico collecta. Praeter Laurentium Surium, Theophilum Raynaudum, aliosque, Opera omnia S. Leonis Magni edidit Parisiis A. 1675., ac postea Lugduni 1700. *Pascasius Quesnellus* Oratorii Berulliani Presbyter, et Jansenianorum Antesignanus, additis notis, et observationibus eruditis quidem, sed saepe malignis ac virulentis erga Sedem Apostolicam. Aliam Operum S. Leonis editionem adornarunt Venetiis Fratres *Ballerinii* Veronenses Presbyteri, in qua errata omnia Quesnelliana diligenter adnotantur, lateque castigantur: et Romae A. 1753. *Petrus Thomas Cacciari*, Carmelita.

CLV. *Leo VI.* Orientis Imperator, cognomento *Philosophus* et *Sapiens*, Basilii Macedonis CPolitani Imperatoris ex Eudocia filius, a Theodoro Santabareno nequissimo Monacho, et Euchaitarum Episcopo, quem ob pessima facinora odio habuit, in suspicionem insidiarum apud Patrem adductus est, a quo ornamentis Imperialibus exutus, in carcere detentus est, donec Senatoribus ad Regale convivium invitatis, ex Psittaci querula voce, *Heu*, *heu Domine Leo*, inclamantis, data occasio est Imperatori Basilio pro libertate et restitutione filii in pristinam dignitatem supplicandi. Basilio Patri in Imperium successit A. 886. die I. Martii, moxque illatam sibi a Santabareno injuriam ultus est, quem flagris caesum, et oculis orbatum, in exilium relegavit. Photium Patriarcham, nequitiae compendium, et Ecclesiae procellam, Sede CPolitana depulit, in eaque Stephanum fratrem collocavit, revocatis Episcopis, quos Photius rebus suis adversantes in exilium egerat. Qui trigamiam secun-

dum Canones in Ecclesia Orientali receptos lege lata prohibuerat Leo, quartam duxit uxorem. Primam habuit Theophaniam, sive Theophanonem, sanctissimam foeminam, et miraculis etiam illustrem, in cujus memoriam ipse templum erexit. Ex ea porro filiam unicam suscepit: secundam Zoen Stiliani Tzautzae filiam, quae nullos ipsi liberos peperit. Tertiam Eudociam, que in puerperi doloribus una cum infante mortua est: quartam Zoen Carbonopsinam, S. Ephiphanii Magni Agri Abbatis sororem, ex qua filium sustulit Constantinum Porphyrogenitum. Magnas in Ecclesia CPolitana turbas quartum istud Leonis Imperatoris matrimonium excitavit. Ipsum namque cum ab aditu Ecclesiae prohibuisset S. Nicolaus Mysticus CPolitanus Patriarcha, et Presbyterum, qui his nuptiis benedictionem impertiverat, exauthorasset, Imperator illum, e Sede CPolitana deturbatum, in Monasterium relegavit, substituto ejus in locum Euthymio viro religiosissimo. Tum Leoni venit in mentem tertias, et quartas nuptias Lege lata licitas dicere: sed ipsum ab ea ferenda lege novus Patriarcha deterruit. Obiit Leo Philosophus ex ventris profluvio A. 911. die XI. Maii.

Orationes sacras plurimas composuit. Novem edidit *Jacobus Gretserus* S. J. ex Bavarica Bibliotheca Ingolstadii A. 1600., nempe *Orationem in Sepulturam Christi*, *in Resurrectionem ejusdem*, *in Ascensionem*, *in Pentecosten*, *in Festum Palmarum*, *in Assumptionem B. Mariae*, *in Annuntiationem ejusdem*, *in Decollationem S. Joannis Baptistae*, *in omnes Sanctos*. Idem *Gretserus* Tomo II. de Cruce aliam ejusdem Orationem edidit *in Exaltationem S. Crucis*: tres alias *Franciscus Combefisius O. P.* Tomo I. Auctarii

Bibliothecae Patrum Graece et Latine, nimirum in *Nativitatem*, *Praesentationem*, *et Purificationem B. Mariae*. Orationem ejusdem de *S. Nicolao Myrensi Episcopo* Graece et Latine edidit *Petrus Possinus S. J.* Tolosae A. 1644. Orationem Panegyricam in *S. Joannem Chrysostomum* Latine *Laurentius Surius* in Vitis Sanctorum ad diem XXVII. Januarii, Graece *Henricus Savilius* Tomo VIII. Operum S. Joan. Chrysostomi. Extant Praeterea inter MSS. Codices Bibliothecae Vaticanae Orationes aliae ejusdem Imperatoris, hactenus nusquam editae. Scripsit etiam Epistolam Encyclicam sive *Orationem Paraeneticam ad bene vivendum*, quam Latine exhibet *Caesar Card. Baronius* in Annal. Eccles. ad annum Christi 911. Num. V. *Epistolam ad Omarum*, *Saracenorum Regem*, *de fidei Christianae mysteriis*, *et veritate*, *Saracenorum autem impietate*, *et blasphemiis*, quae extat Tomo XVII. Bibliothecae Maximae Patrum Lugdunensis Editionis: *Canticum Compunctionis ex meditatione extremi Judicii*, a *Jacobo Pontano S. J.* Latine editum Ingolstadii A. 1603. *Oracula et Vaticinia XVII. de futuro Constantinopolis statu*, quae habentur ad calcem Antiquitatum *Codini*, Parisiis 1655. *Dispositionem ordinis*, *quem tenere debent Throni Ecclesiarum*, *Patriarchatui CPolitano subjectarum*, Graece et Latine a *Leunclavio* editam Lib. II. Juris Graeco-Romani Francofurti 1593. *Tacticam*, seu *Opus de re militari*, *et aciebus instituendis*, quae notis *Joannis Meursii* illustrata prodiit Lugduni Batavorum A. 1612. *Delectum Legum compendiarium*, titulos LX. complectentem, apud *Leunclavium* Tomo II. Juris Graeco-Romani. *Opus Basilicorum* in LX. libros divisum, continens omnes Graecorum Im-

peratorum Constitutiones, quod ex MSS. Regiae Bibliothecae VII. Volum. in folio Graece et Latine vulgavit *Carolus Annibal Fabrotus* Parisiis A. 1647.

CLVI. *Leontius Byzantinus*, ex Advocato, vel ut alii malunt, ex Ecclesiae CPolitanae Presbytero Monachus in Laura S. Sabbae haud procul Jerosolymis, saeculo VI. floruit, extremis Justini II. junioris, et Tiberii Constantini Imperatorum temporibus, Vir Theologicis disciplinis insigniter imbutus, et cum alio quodam Leontio Byzantino, qui regnante Justiniano acerrimus in Palaestina fuit Origenis propugnator, multarumque turbarum auctor, minime permiscendus. Scripsit *Librum de Sectis*, in X. Actiones distributum, quem Graece Latineque *Leunclavius* edidit Basileae A. 1578. *Libros III. adversus Eutychianos, et Nestorianos*: *Libros II. adversus fraudes Apollinaristarum*: *Solutiones argumentorum Severi*: *Dubitationes hypotheticas, et definitiones contra eos, qui negant in Christo duas naturas.* Haec omnia Latine tantum a *Francisco Turriano* S. J. reddita, habentur Tomo IV. Antiquae Lectionis *Henrici Canisii*, et Tomo IX. Bibliothecae Maximae Lugdunensis. Extare dicitur in Electorali Bibliotheca Bavarica insigne ejusdem Leontii Volumen Graecum *adversus Severianos, et Nestorianos*, in Libros VIII. divisum: in Bibliotheca autem Caesarea Vindobonensi *Liber de duplici Natura in Christo* contra haeresin Monophysitarum, et *Disputatio contra Philosophum Arianum.*

CLVII. *Leontius*, Neapoleos, vulgo Lemisse, sive Nemosiae, in Cypro Episcopus, initio saeculi VII. floruit. Scripsit *Apologiam pro Christianis adversus Judaeos*, cujus prolixa pars habetur Act. IV. Concilii

Nicaeni II. Extant etiam ab eodem scriptae *Homiliae duae*, in Simeonem, quando Dominum ulnis suscepit, et in festum mediae Pentecostes, Graece et Latine Tomo I. Auctarii *Francisci Combefisii* O. P. Item *Vita S. Joannis Eleemosynarii* Patriarchae Alexandrini, et *S. Simeonis Sali*, sed a Metaphraste interpolata, quam *Laurentius Surius* exhibet in Vitis Sanctorum ad diem XXIII. Januarii, et I. Julii. Scripsisse etiam dicitur *Orationes* de Transfiguratione Domini, de S. Petro ab Herode in carcerem detruso, in proditionem Christi, in Passionem Domini, in Festum Palmarum, et duas in Jobum, quae teste *Petro Lambecio* Graece extant inter MSS. Codices Bibliothecae Caesareae Vindobonensis. Item *duo Volumina Locorum communium*, quorum posterius ad manus suas pervenisse asserit *Franciscus Turrianus S. J.* Lib. I. de Hierarchicis Ordinationibus Ministrorum Ecclesiae Catholicae adversus schismaticas vocationes, Cap. XII.

CLVIII. *Liberatus*, Ecclesiae Carthaginensis Archidiaconus, saeculo VI. floruit. Anno 534. a Synodo Carthaginensi CCXVII. Episcoporum ad consulendum de dubiis quibusdam Joannem II. Papam cum Cajo et Petro Presbyteris Romam missus fuit, plurimasque pro causa Trium Capitulorum, quorum defensor fuit acerrimus, peregrinationes suscepit. Post tempora Quintae Synodi sive CPolitanae II., exaravit *Breviarum*, sive *Historiam Controversiarum Nestorianae, et Eutychianae*, in Capita XXIV. divisam, in qua res per quinquaginta fere annos gestas ad hanc controversiam praecipue spectantes, et quae vix aliunde haberi queant, complexus est. Illud certum est,

Liberatum falsis rumoribus deceptum a vero saepius aberrasse; nimioque Trium Capitulorum studio in transversum actum, Vigilio Romano Pontifici, qui Trium Capitulorum damnationem, a Synodo V. Oecumenica CPolitana II. Anno 553. factam, ratam habuit, ejusque Apocrisiario Pelagio, Romanae Ecclesiae Diacono, qui demortuo Vigilio in Pontificatu A. 555. successit, iniquissimum se praebuisse. Liberati Breviarium eruditissimis notis illustratum edidit Parisiis A. 1675. *Joannes Garnierius S. J.*

CLIX. *Lucas*, natione, Hispanus, patria Legionensis, Gregorio IX. Romano Pontifici familiaris, Italia, Graecia, ac Palaestina peragratis, Tudensis in Hispania Episcopus electus, scripsit *Libros III. de altera vita, fideique controversiis adversus Albigensium errores*, quos primus in lucem emisit, ac notis illustravit *Joannes Mariana S. J.* Ingolstadii A. 1612. Jussu Berengariae, Hispaniarum Reginae, justo volumine descripsit *Vitam et miracula S. Isidori* Hispalensis Episcopi, quae extant apud *Mabillonium* Saeculo Benedictino II., et apud *Bollandi* Continuatores ad diem IV. Aprilis. Denique S. Isidori *Chronicon* multis additis locupletavit, et ad suam usque aetatem deduxit, anno Christi 1236. desinens. Habetur id ab *Andrea Schotto S. J.* editum Tomo IV. Hispaniae illustratae, Francofurti A. 1608.

CLX. *Lucifer*, Calaritanus in Sardinia Episcopus, Arianorum, quorum fraudes exploratissimas habebat, hostis infensissimus, et causae Athanasianae propugnator acerrimus, eodem, quo S. Eusebius Vercellensis, claruit tempore, eorumdem laborum, itinerum, atque exiliorum comes fere individuus. Cum eo ad Constan-

tium Augustum in Gallias profectus: cum eo Liberii Pontificis Romani Legatus Mediolanensi Concilio interfuit A. 355., junctisque cum eo studiis Arianos invicte oppugnavit: cum eo in exilium actus, Germaniciam Syriae deportatus est, tum Eleutheropolin Palaestinae, ac denique in superiora Thebaidos. Exinde imperante Juliano, Diacono suo ad Synodum Alexandrinam misso, ipse recta Antiochiam contendit, ubi Catholicos inter se dissentientes deprehenden, Paulinum Antiochiae Episcopum, vivente adhuc Meletio, intempestive atque improvide ordinavit. Factum hoc improbavit S. Eusebius Vercellensis, qui relicta Alexandria Antiochiam venerat: quod ubi rescivit Lucifer, humani aliquid passus, coepit et ipse Decretum Alexandrinae Synodi de Lapsis, in proprio gradu et ordine recipiendis, sugillare, communionem cum illis habere detrectans. In Sardiniam posteaquam se recepit, an animum in sententia hac obfirmaverit, atque in schisma lapsus sit, abrupta cum aliis Episcopis Catholicis communione, qui ab Arianis reversos cum suis gradibus recipiebant, multi ex Eruditis dubitant. Illud tamen probabilius videtur, Luciferum, severioris ingenii virum, opinionem quidem suam de non recipiendis Clericis et Episcopis lapsis defendisse; quin tamen ab eorum communione se separaverit, qui eos in pristinas dignitates suscipiebant: neque Luciferiani schismatis authorem fuisse ipsum Luciferum, sed quosdam ejus discipulos, qui post Magistri mortem non modo Ordinationes ab haereticis factas, sed Baptismum etiam ab illis collatum rejiciebant. Qua de re plura vide apud *Bollandi* Continuatores. Tomo. V. Maji ad diem XX. in Vita S. Luciferi, et Tomo VI. Septembris ad diem

XXIII. in Vita S. Liberii, Paragr. XIII. Obiit Lucifer in Sardinia A. 370. sub Valentiniano I. Imp., Sanctorum honores in Ecclesiis illius Insulae consecutus.

Indubitata Luciferi Calaritani Opera sunt, *Libri II. ad Constantium Imperatorem*, in quibus S. Athanasium Alexandrinum defendit, et libertate maxima in Imperatorem invehitur. *Liber de Regibus Apostatis*, in quo opinionem illam Constantio eximere conatur, quod crederet, nisi fides, quam ipse profitebatur, Catholica foret et Apostolica, et persecutio, qua defensores Nicaenae fidei insectabatur, Deo gratissima, Deum permissurum haud fuisse, ut ipse secunda florentissimi Imperii fortuna uteretur. *Liber de non conveniendo cum Haereticis*, quo adversus Constantium dicentem, Catholicos Episcopos esse Ecclesiasticae pacis, concordiae, et charitatis fraternae inimicos, Scripturarum authoritate evincit, teneri nos malorum societatem fugere. *Liber de non parcendo delinquentibus in Deum*, quo ostendit Principibus etiam Christianis Episcoporum admonitiones reverenter esse audiendas. *Liber de morte pro Filio Dei subeunda*, quo Constantio, ostendit, eum licet exercitibus succinctum, Dominum orbis, et Augusta dignitate praefulgentem, in Catholicos ad Martyrium praeparatos nihil posse. *Epistola brevis* ad Florentium Magistrum Officiorum, qua profitetur authorem se esse librorum, quos ad Constantium Augustum transmiserat, paratumque se pro horum defensione mortem oppetere. Rogatus ab Athanasio lucubrationes suas ad illum, in eremo tunc latitantem, misit, quas Athanasius tanti fecit, ut eas in Graecam linguam transferri curaverit, earumque Authorem Apostolorum et Prophetarum aemulum, sui aevi Eliam, et Spiritus San-

cti Organum appellarit. Omnia haec Luciferi opuscula edidit Parisiis A. 1568. *Joannes Tilius* Meldensis Episcopus, exinde Tomo IV. Bibliothecae Maximae Lugdunensis inserta.

CLXI. *Luitprandus*, natione Italus, aliis Hispanus, Ticinensis Ecclesiae Diaconus, a Berengario II. Italiae Rege A. 946. ad Constantinum Porphyrogenitum, Orientis Imperatorem, missus, rebusque praeclare gestis reversus in Italiam, in praemium navatae operae Cremonensi Episcopatu donatus est. A Berengario dein, incertum qua de causa, exagitatus, sedeque sua Episcopali ejectus, in Germaniam se contulit. Anno 968. ad Ottone I. Imperatore CPolim iterum missus est ad Nicephorum Phocam, Graecorum Imperatorem, ut ejus privignam Theophaniam, Romani junioris defuncti Imperatoris, et Theophanonis filiam, in conjugem Ottonis II. postularet. Verum a Nicephoro ludibrio habitus, ac gravissimis exagitatus injuriis, re insecta rediit. Scripsit *Libros sex Historiae* rerum gestarum ab Europae Imperatoribus et Regibus, exordio sumpto ab Arnulfi Imperatoris temporibus. Sex posteriora tamen Libri VI. capita authorem non habent Luitprandum, sed a recentiore quodam fabulatore Germano adiecta sunt: item *Historiam Legationis suae ad Nicephorum Phocam Imperatorem*, quam ex MS. Codice Trevirensi primus edidit Ingolstadii A. 1600. *Henricus Canisius*, ac postea adiectis non nullis emendationibus cum sex Historiarum libris Tomo II. Scriptorum rerum Italicarum inseruit *Ludovicus Ant. Muratorius* Mediolani A. 1723. *Liber de Pontificum Romanorum gestis* a S. Petro Apostolorum Principe usque ad tempora Formosi Papae, quem Moguntiae edidit A. 1602. cum Anastasii Bibliothecarii

Pontificali *Joannes Busaeus* S. J. Presbyter, non a Luitprando, sed a Germano quodam Monacho Corbejensi ad Visurgim, vel Hirsfeldensi in Sylva Buchonia conscriptus est. *Chronicon* denique et *Adversaria*, a *Hieronymo De la Higuera*, et *Laurentio Ramirez de Prado* Antuerpiae A. 1640. inter alias Luitprandi lucubrationes edita, Luitprando omnino abjudicanda, atque in Utopiam cum nugis Amadisiorum releganda esse Eruditi omnes hodie consentiunt.

CLXII. *Lupus Servatus*, in provincia Lugdunensi quarta claris parentibus progenitus, Monachus Ferrariensis in Senonensi dioecesi O. S. B. ab Aldrico Abbate suo, qui Senonensis postea fuit Archiepiscopus, in Germaniam, cum Diaconus jam esset, studiorum causa missus est ad Rabanum Maurum, Fuldensem tunc Abbatem, celeberrimum per ea tempora Sacrarum Scripturarum interpretem. In Gallias regressus, Praepositus primum Cellae S. Jodoci in Pontivensi Comitatu, tum vero A. 842. Abbas Coenobii Ferrariensis electus fuit, Odone abbate jussu Caroli Calvi Franciae Regis a praefectura amoto ob atrocia illius flagitia. Interfuit Lupus A. 844. Synodo Vernensi II., cujus et Canones condidit, Suessionensi II. A. 853., aliisque Ecclesiasticis, ac politicis Conventibus. Legationem etiam A. 855. jussu Caroli Calvi Regis obiit ad Leonem IV. Romanum Pontificem. Obiit post annum 861. Lupum Presbyterum, cui Rabanus Maurus octo libros in Epistolam ad Romanos nuncupavit, eumdem esse cum Lupo Servato, Ferrariensi Abbate, communior est Eruditorum sententia. Genuina Lupi Servati Opera sunt *Liber de tribus Quaestionibus*, videlicet de Libero Arbitrio, de Praedestinatione bonorum et malorum, et de Sanguinis Christi super-

flua taxatione, seu redemptione usque ad salutem impiorum: item *Collectaneum de iisdem tribus Quaestionibus.* Edidit utrumque Opusculum *Jacobus Sirmondus* S. J. Parisiis A. 1648. *Liber Epistolarum* CXXX. a *Papirio Masono* primum editus Parisiis A. 1588., exinde a *Duchesnio* Tomo II. Historicorum Franciae. *Vita S. Wigberti* Fritizlariensis in Hassia Abbatis, quam cum Hincmari Epistolis Moguntiae edidit A. 1602. *Joannes Busaeus* S. J., et *Homiliae II.* in Solemnitate ejusdem S. Wigberti. *Vita S. Maximini* Episcopi Trevirensis, quae apud *Surium* extat in Vitis Sanctorum ad diem XXIX. Maii. Opera omnia Lupi Servati Ferrariensis Abbatis prodierunt a *Stephano Baluzio* recognita, et notis illustrata, Parisiis A. 1664. in 8.°, Antuerpiae A. 1710, recusa, exinde Tomo XV. Bibliothecae Maximae Lugdunensis inserta.

M

CLXIII.

M*arcellinus*, Comes Illyrici, Justiniani Imperatoris, adhuc Patricii, Cancellarius, floruit A. 534., quo *Chronicon* suum finivit, exorsus illud ab anno 379., quo S. Hieronymus desiit, et ad quartum usque Justiniani Imp. Consulatum deducens. Quae deinceps sequuntur ad finem usque Justiniani, ab alia manu profecta sunt. *Jacobus Sirmondus* S. J. ex vetustissimo Codice Tiliano tum ipsum Chronicon multo emendatius, tum Scriptoris antiqui Appendicem longe auctiorem dedit Parisiis A. 1619. Scripsit praeterea Marcellinus *Libros IV.*

de temporum qualitatibus, et positionibus locorum, ac totidem alios de urbibus Constantinopoli, et Hierosolymis. Utrumque Opus jam diu interiit.

CLXIV. *Marculfus*, Monachus Parisiensis, jam septuagenarius, collegit circa annum 660., et Landerico Parisiensi Episcopo nuncupavit *Libros II. Formularum Ecclesiasticarum*, ad Francicas et Germanicas antiquitates illustrandas sane utilissimos. Hos primus e tenebris eruit, et notis doctissimis illustratos edidit *Hieronymus Bignonius* Parisiis A. 1613. Auctior eorum editio a *Nivardo*, Advocato Andegavensi, adornata iterum prodiit Parisiis A. 1666. Habentur etiam Tomo XII. Bibliothecae Maximae Lugdunensis, et inter Capitularia Regum Francorum Parisiis A. 1677. a *Stephano Baluzio* Tutelensi edita Tomo II.

CLXV. *Marianus Scotus* A. 1028. in Hibernia natus, patrio solo relicto Coloniam venit, ubi in Coenobio S. Martini A. 1056. Monachus O. S. B. factus est. Inde Fuldam translatus, et Sacerdotio Herbipoli initiatus, in Cella Fuldensis Monasterii inclusus, decem annos strictam solitudinem et clausuram servavit. Anno 1069. jussu Sigefridi, Archiepiscopi Moguntini, et Abbatis Fuldensis, Moguntiam venit, ubi secundo inclusus est charae solitudinis et silentii desiderio. Obiit in sacro illo, quo se ipsum incluserat ergastulo, vir religiosissimus A. 1086. aetatis LVIII., et ad S. Martini sepultus est. Scripsit *Chronicon* a Christo nato ad annum usque 1083., editum a *Pistorio* inter Scriptores rerum Germanicarum Tomo I. Hanoviae 1613., et inter Scriptores Germanicos a *Struvio* editos, Ratisbonae 1726. Tomo I. Chronicon istud ab impostore quopiam interpolatum fuisse, patet ex commentitia Joanna Papissa cu-

jus in nullo ex antiquioribus Mariani Chronicis MSS. mentionem fieri, Eruditi omnes consentiunt. Scotum continuavit usque ad annum 1200. *Dodechinus*, sub finem Saeculo XII. Abbas S. Disibodi in Comitatu Spanhemiensi. *Epistolas* omnes S. Pauli, Mariani Scoti manu exaratas A. 1079., et Annotationibus marginalibus, ac interlinearibus ab eodem illustratas, in Bibliotheca Caesarea asservari, monet *Petrus Lambecius* Lib. II. Commentariorum de Biblioth. Caesarea Vindobonensi, Cap. VIII. pag. 749.

CLXVI. *Marius*, Sedis Aventicensis, quae postea Lausannam translata est, apud Helvetios Episcopus, saeculo VI. ad finem vergente floruit, et Concilio Matisconensi II. A. 585. subscripsit. Obiit exactis in Episcopatu annis XX., aetatis suae anno LXIV., sepultus Lausannae in Ecclesia S. Tyrsi, quae exinde ob novi hospitis celebritatem S. Marii nuncupata est. Scripsit *Chronicon a* tempore quo S. Prosper Aquitanus desinit, id est, ab Anno 455., usque ad annum 581. quod *Petrus Franciscus Chifflétius* S. J. primus ex MSS. Codicibus eruit, et *Andreas Duchesnius* inseruit Tomo I. Scriptorum Francicae Historiae Parisiis A. 1636.

CLXVII. *Marius Mercator*, natione Italus, Laicus homo, graece simul ac Latine doctus, S. Augustini, quem Epistola ad ipsum data consuluit, studiosissimus, ac fidei Catholicae adversus Pelagianos, et Nestorianos fortissimus fuit vindex. Anno 429. *Commonitorium* adversus Pelagianos, et Coelestianos Theodosio juniori CPoli obtulit, effecitque, ut Urbe regia cum dedecore pellerentur. Scripsit etiam *Epistolam de discrimine inter haeresin Nestorii, et dogmata Pauli Samosateni, Ebionis, Photini, et Marcelli. Librum Subno-*

tationum adversus Julianum Pelagianum : Contradictiones adversus impios Nestorii anathematismos. Idem denique *Nestorii sermones*, *et Epistolas non nullas*, *Theodori Mopsuesteni Fragmenta*, *Sancti Cyrilli Alexandrini Apologeticas responsiones adversus Orientalium Objectiones*, *et Theodoretum* : nec non varia ejusdem *Theodori Mopsuesteni*, *Theodoreti Cyrensis*, *et Eutherii Tyanensis excerpta* ex Graeco sermone in Latinum transtulit. Opera omnia Marii Mercatoris, eruditissimis Commentariis illustrata, edidit Parisiis 1673. in fol. *Joannes Garnierius* S. J., ac postea *Stephanus Baluzius* Parisiis 1684. in 8.°

CLXVIII. *S. Martinus* gente Pannonius, Graecis litteris valde eruditis, juvenis adhuc ad visitanda loca sancta Jerosolymas petiit, Inde solvens in Gallaeciam, Hispaniae citerioris provinciam, delatus est; ubi plurimis e Suevorum Gente ad Catholicam fidem ab Arianismo conversis, varia condidit Monasteria, atque inter illa etiam Dumiense, cujus praefecturam gessit. Cumque Theodemirus Suevorum in Gallaecia Res in Concilio Augusto-Lucensi A. 562. petiisset a Patribus plures in suo Regno Episcopos institui, habita Regiae petitionis ratione, novae erectae fuerunt Sedes Episcopales, constitutis cnique Dioecesi limitibus. Honor hic Dumiensi etiam Monasterio obtigit, cujus Abbas S. Martinus primus Dumiensis Episcopus inauguratus, Bracarensi I. Concilio A. 563. interfuit, ac demortuo Lucretio, ad Metropolitanam Sedem Bracarensem evectus, Concilio Bracarensi II. praefuit A. 573. Obiit A. 580. die XX. Martii, quo ab Ecclesiis Gallaeciae et Lusitaniae ejus memoria honoratur. *Conciliorum Canones* aliquot tum Graecos tum Latinus collegit, et in Capi-

tula LXXXIV. distribuit: ac Graecis quidem Canonibus suam ipse interpretationem adhibuit, quod prisca interpretatio obscura nimis sibi videretur. Canonibus praeterea Graecis atque Latinis verba non nulla addidit, quaedam detraxit, quo clariorem eorum sententiam redderet, quin immo ex duobus tribusve Canonibus diversorum Conciliorum Capitulum unum confecit: duasque Collectionis suae quasi partes faciens, in altera, *quae ad Episcopos vel universum pertinent Clerum*, in altra vero, *quae ad laicos pertinent* descripsit; *ut de quo Capitulo aliquis scire voluerit, possit celerius invenire*, quemadmodum ipse in sua Praefatione narrat ad Nitigium Metropolitam Lucensem in Gallaecia. Extat Collectio haec Martini Bracarensis Tomo I. Bibliothecae *Justellianae* Juris Canonici Parisiis editae A. 1662., et Tomo III. Conciliorum *Harduini* Parisiis 1714. Antiquiores Canonum Collectores, Rhegino, Burchardus Vormatiensis, Ivo Carnotensis, et Gratianus, existimarunt Martini Bracarensis Capitula a S. Martino I. Romano Pontifice fuisse sancita, ac proinde illa laudarunt, *Ex Decretis S. Martini Papae*, sive *Ex Concilio S. Martini Papae*. Fortasse, ut observat III. *Joan. Baptista Bartholi*, Feltriensis Episcopus, in Institutionibus Juris Canonici, Cap. XLIX. fieri potuit, ut qui primus Collectione ista Martini Bracarensis usus est, Capitula notis istis indicaret: *Ex Con. Martini P.*, quibus significaret, ea Capitula sumpta fuisse *ex Collectione*, sive *ex Conlectione*, ut olim non nulli scribebant, *Martini Pannonii*. Quas notas qui primus transcripsit, cum et Martinum Pannonium fuisse, et ab eo Collectionem factam ingnorarent, ita interpretandas credidit: *Ex Concilio Martini Papae*: cumque alius ex alio describeret,

posteritati error fuit propagatus. Praeter Collectionem Canonum, *Sententias Patrum Aegyptiorum*, a Graeco quodam homine collectas, Latinas fecit S. Martinus Bracarensis, quas exhibet *Heribertus Rosweidus S. J.* in Vitis Patrum Antuerpiae editis A. 1615.: et 1628. Scripsit etiam *Librum de Moribus*, et *Librum de Formula honestae vitae*, sive de quatuor virtutibus cardinalibus ad Mironem Suevorum Regem, qui extant Tomo X. Bibliothecae Maximae Lugdunensis; Praefatio vero ad Mironem edita est a *Dacherio* Tomo X. Spicilegii. *Cardinalis Aguirrius* in Collectione sua Conciliorum Hispaniae promisit editurum se ex MS. Codice Ecclesiae Toletanae alia Martini Opuscula, nempe *Librum de superbia et humilitate*: *Librum de ira ad Wittimirum Episcopum*: *Librum de Paschate*: *Epistolam ad Bonifacium Episcopum de trina mersione*: *Epistolam adversus superstitiones*. Quae tamen an Cardinalis praestiterit, compertum mihi non est.

CLXIX. *Matthaeus Paris*, natione Anglus, A. 1217. in Coenobio S. Albani O. S. B., ad vetus Verulamium sito, Monasticam vestem induit. Obiisse dicitur A. 1259. Scripsit *Vitas duorum Offarum*, Merciae Regum, Coenobii S. Albani Fundatorum: *Vitas XXIII. Abbatum S. Albani*, qui Coenobium illud a prima ejus fundatione ad tempora usque Matthaei Parisii rexerunt: *Historiam Rerum Anglicarum* ab anno Christi 1066. ad annum 1250., aut ut alii perperam videntur contendere, ad annum 1259. Historiae hujus partem priorem ad annum usque 1235. Matthaeus ex *Rogeri de Wendover* Monachi Albanensis A. 1237. defuncti Chronico, paucis excisis, nonnullis additis, verbatim fere descripsit. *Appendix* ab anno 1260. ad 1273. quae ad calcem Histo-

riae reperitur, Auctorem habet Guilielmum Rishangerum, S. Albani itidem Monachum. *Additamenta ad Historiam Majorem*, et *Historia minor* ab anno 1066. ad 1250, in qua breviter et succincte percurruntur, quae in Historia Majore fusius narrantur, quamvis Matthaei nomen praeferant, rectius tamen a Neoterico quodam veteratore profecta esse existimantur. Edita sunt Matthaei Parisii Opera Londini A. 1571. 1640. 1684., Tiguri in Helvetia A. 1589. et 1606., Parisiis 1644. Complures ex Catholicis aeque et Acatholicis merito suspicantur, Matthaei Parisii Historiam ad conflandam Catholicae Ecclesiae invidiam ab heterodoxis Editoribus variis assumentis corruptam fuisse, ac vitiatam. Tot enim illa criminationum contra Sedem Apostolicam, Fratres Praedicatores et Minores, falsitatum, errorum mendaciorum, aculeorum centuriis erinacei instar riget, ut inverisimile sit haec a Catholico, et Religioso calamo profluxisse. *Casimirus Oudinus*, quem nullus de nimia in Romanam Ecclesiam indulgentia suspectum habere potest, Tomo III. de Scriptoribus Ecclesiasticis, hoc de Matthaeo Parisio judicium tulit: *Omnes enim secat, universos pungit, ac si nulli omnino mortalium aut parcere, aut condonare, rigidissime sibi proposuisset: non Episcopis scilicet, non Magnatibus, non Regibus, non Imperatoribus, immo nec ipsi Papae, nec Abbati proprio. Ac tamquam furiosus quispiam in trivio, ex quacunque plaga viator supervenerit, Tros Rutulusve fuat hospes, an hostis: si illi non placuerit, flagris misellum adoritur, lorisque male mulctatum procul arcet, et abigit. - - - - Unum dicam, unde vix a quoquam excusari umquam possit, Matthaeum Parisiensem*

fuisse ingratissimum, ac superbum Monachum. Plura de Matthaeo Parisio vide apud *Henricum Schuüz S. J.* in Commentario Critico Ingolstadii edito A. 1761. a pag. 325.

CLXX. *S. Maximus*, vitae sanctimonia, doctrina, scriptis, exantlatis pro Orthodoxa fide certaminibus, nec non fuso pro ea sanguine longe clarissmus, circa annum 580. CPoli ex nobilissimis parentibus progenitus est. Summum viri ingenium, quod singularis modestia commendabat, liberalibus disciplinis probe excultum, ad maximas dignitates eum evexit: ab Heraclio enim Imperatore in Aulam accitus, regiis Commentariis conscribendis operam dedit. Postea vero ex rerum caducarum contemptu, vitaeque perfectioris desiderio ab Aulae strepitu in Chrysopolitanum Monasterium prope Chalcedonem circa annum 630. se recepit, cujus regimini, posteaquam per annos aliquot sub regulari disciplina sanctae vixisset, invitus licet a Monachis est admotus. Persis Orientem miscentibus, hostium formidine in tutiora se recepit, desertoque patrio solo in Africam vela fecit, ubi Pyrrhus, Patriarcha CPolitanus, ob suspicionem necis Constantino Heraclii filio illatae, ex Regia Urbe profugus Monotheliticam haeresin per fidos sibi homines spargebat. Maximus causam fidei egit; Afrisque Episcopis ad Monotheliticam pestem extinguendam animatis, Julio mense A. 645. celebrem illam cum Pyrrho concertationem habuit, invictisque argumentis ad ejurandam haeresin suam illum adegit. Inde Romam contendens Monothelitas ubique oppugnaturus, S. Martinum I. Romanum Pontificem, apud quem gratia, pro eo ac par erat, plurimum pollebat, ad Concilium Lateranense A. 649. celebrandum impulit, cui et ipse

interfuit. Cum igitur haereticae, qua Constans Imp. atque Heraclii nepos laborabat, labi tam gnaviter resisteret Maximus, anno 655. Roma militari manu CPolim abductus fuit una cum Anastasio Abbate, discipulo suo, atque altero Anastasio Monacho, qui Ecclesiae Romanae Apocrisiarius fuerat, et in carcerem conjectus est. Post dies aliquot in palatium ductus est, ut fictis quibusdam proditionis, et calumniae in Imperatorem, injuriae in Pyrrhum, qui in haeresin relapsus, Paulo Patriarcha demortuo, circa ea tempora Sedem CPolitanam recuperaverat, et Origenismi criminibus reus ageretur: quae cum ille luculentissime diluisset, Edicto Caesareo, de silentio in controversia Monothelitica utrinque servando, sive Typo Constantis subscribere jussus est. Id renuens Bizyam, Traciae oppidulum, relegatur, ubi anno sequente habita est inter illum, et Theodosium, Caesareae Bithyniae Episcopum, disputatio. Verum cum artibus istis nequidquam proficerent Maximi adversarii, missus est Paulus Consul, qui eum ad Monasterium S. Theodori Rhegensis prope CPolim adduceret, ubi de eadem causa iterum disputatum est. Cum autem nullis dolis, nullisque minis flecti posset vir sanctissimus, Imperatoris mandato Perberim statim deportatur, ibi continuis vexationibus affligendus. Inde post tempus aliquod CPolim perductus est cum utroque Anastasio: cumque hi tres in sententia invicti persisterent, jussu Constantis Imperatoris flagris conscissi, lingua radicitus evulsa, dextraque manu abscissa per Regiam urbem ad ingnominiam circumducti, in Lazicorum regionem deportati sunt. Et Maximus quidem in Castrum Schemari in confino Alanorum detrusus, cum obitus sui diem praedixisset, ad Superos migravit anno

Christi 662., aetatis LXXXII., die XIII. Augusti, qua S. Martyris triumphum Ecclesia celebrat.

Genuina S. Maximi Abbatis, et Martyris Opera sunt: *Quaestiones LXV. ad Thalassium Monachum in locos Scripturae difficiles. Interrogationes, et Responsiones diversorum dubiorum LXXIX. Expositio in Psalmum LIX., et Orationem Dominicam. Liber Asceticus per interrogationem, et responsionem de vita pie instituenda*, dialogi forma compositus. *De perfecta charitate, et de aliis virtutibus Christianis ad Elpidium Presbyterum Centuriae IV. De Theologia, deque Filii in carne dispensatione Capita CC. Capita diversa quingenta Theologica et Oeconomica, deque virtute ac vitio. Ad Theopemptum Scholasticum de Judice iniquitatis. Ad Marinum Presbyterum Epistola*, quam cum duodecim aliis S. Maximi Opusculis, a se Latine redditis, edidit Ingolstadii A. 1605. Franciscus Turrianus S.J. *De Operationibus, et voluntatibus Capita L. et LI. De Christi mysterio ad Gregorium Presbyterum. In illud*, Pater si possibile est, transeat a me calix iste. *Tomus dogmaticus ad Marinum Diaconum. De duabus Christi Operationibus ad Nicandrum Episcopum. Epistola ad Praepositos, Monachos, et Catholicos Siciliae contra eos qui unam operationem in Christo ponunt. Contra eos qui dicunt oportere dicere unam Christi operationem secundum exuperantiam, quia dicunt divinam operationem tamquam efficaciorem superare humanam. Gnomae demonstrativae duarum in Christo voluntatum. Distinctio multiplicis unionis. Antitheses Haereticorum, et Ecclesiae Orthodoxae circa nonnulla fidei dogmata. De Incarnatione Verbi Sermo exercitativus. Dialogi*

quinque de Sanctissima Trinitate, qui olim inter Opera S. Athanasii legebantur. *Computus Ecclesiasticus* duobus libris comprehensus, ex interpretatione *Dionysii Petavii S. J.* in Uranologio Parisiis editus A. 1630. *De Processione Spiritus Sancti ad Marinum Presbyterum. Definitiones variae. Tomus dogmaticus adversus Heraclii Ecthesim. Liber de duabus Christi voluntatibus. Distinctionum, quibus res dirimuntur, definitiones. Responsiones ad Theodorum, et Pauli quaestiones ad Marinum Presbyterum. Tomus dogmaticus ad Marinum Presbyterum. De Qualitate, proprio, et differentia ad Theodorum Presbyterum. De substantia, seu essentia et natura, de hypostasi et natura. Non posse dici unam in Christo voluntatem, et de duplici voluntate Christi. Ex Quaestionibus a Theodoro Monacho illi propositis. SS. Patrum de duabus Christi operationibus definitiones. Acta disputationis de duabus Christi voluntatibus cum Pyrrho in Africa habitae*, ex interpretatione Francisci Turriani S. J. *Liber de Anima. Epistolae XLVI. ad diversos. Mystagogia, sive Liturgiae expositio. Commentaria*, seu Scholia *in Opera S. Dionysii Areopagitae. Scholia in S. Gregorii Theologi locos difficiles. Capita Theologica, sive Sermones per excerpta ex diversis tum Christianorum, tum Gentilium, ac profanorum scriptis. Sermo hortatorius ad Georgium Praefectum Africae. De rectis fidei dogmatibus, et adversus Severum liber ad Joannem Cubicularium. Ad Petrum illustrem Oratio brevis*, seu liber adversus dogmata Severi. *Collectanea* de iis, quae spectant ad Historiam Monothelitarum, Martyrium S. Martini Papae, S. Maximi, et aliorum sub Constante Imperatore, variaque ex S. Ma-

ximi Operibus excerpta, Latinitate a se donata, in gratiam Joannis Diaconi saeculo IX. concinnavit *Anastasius Bibliothecarius*, quae *Jacobus Sirmondus S. J.* omnium primus vulgavit Parisiis A. 1620. Opera omnia S. Maximi Abbatis et Martyris maxima diligentia ubique conquisita, ac pereruditis notis, et observationibus illustrata, jussu Cleri Gallicani Graece Latineque Vol. II. in folio Parisiis edidit A. 1675. *Franciscus Combefisius O. P.*

CLXXI. *S. Maximus*, Augustae Taurinorum, in Gallia Subalpina, quam nunc Pedemontium vocant, Episcopus, floruit saeculo V. sub Theodosio Juniore, et Valentiniano III. Interfuit Synodo Arausicanae I. A. 441., tum Mediolanensi A. 452., in qua formam Epistolae S. Leonis ad Flavianum secutus, Eutychianam haeresin cum Coëpiscopis suis damnavit: et Romanae, sub Hilaro Papa celebratae A. 465., cui post Hilarum primo loco subscripsit, tamquam omnium Episcoporum senior. Ecclesia Sancti hujus viri memoriam, qui paulo post Synodum Romanam decessisse creditur, die XXV. Junii celebrat. Scripsit *Homilias* complures, et elegantes, quae antea inter Sermones S. Ambrosii, et S. Augustini, vagabantur, quasque pene omnes recensuit *Gennadius Massiliensis* in Catalogo Illustrium virorum. Atque hoc testimonio os obstruitur Heterodoxis Criticis, qui Maximi Taurinensis Homilias incertae fidei esse effutiunt. Prodierunt Homiliae illae Coloniae 1535., Romae 1564., Parisiis 1614., et Lugduni 1633. in Heptade Patrum a *Theophilo Raynaudo S. J.* editae, ac Tomo VI. Biblioth. Max. Lugdunensis. *Joannes Mabillonius O. S. B.* XII. alias Homilias, antea numquam editas, ex vetustis Codici-

bus eruit, et S. Maximo vindicavit Parte II. Tomi I. Musaei Italici, Parisiis 1686. Nuper Homilias omnes S. Maximi Taurinensis a se illustratas edidit *Ludovicus Ant. Muratorius* Estensis Bibliothecarius, Venetiis A. 1748.

CLXXII. *Melito*, Sardensis in Asia Episcopus, vir pietate non minus quam scientia clarus, atque a Veteribus maximopere dilaudatus, saeculo II. floruit sub Marco Aurelio Antonino, cui circa A. 170. Apologeticum pro Christiana Religione obtulit. Multa alia ipsius Opera recensent *Eusebius Caesariensis* Hist. Eccles. Lib. IV. Cap. XXV., et *S. Hieronymus* Lib. de Script. Ecclesiasticis, nempe *Libros II. de Paschate*, *Librum de recta vivendi ratione*, *et de Prophetis*, *De Ecclesia*, *De die Dominico*, *De Natura hominis*, *De Creatione*, *De Obedientia sensuum fidei praestanda*, *De Anima*, *corpore*, *et mente*, *De Lavacro*, *De Veritate*, *De Generatione Christi*, *De Prophetia*, *De Hospitalitate*, *De Deo incarnato*, *De Diabolo*, *De Revelatione Joannis*, Librum, qui *Clavis* inscribebatur, *Libros VI. Excerptorum ex libris Veteris Testamenti*: ex quibus omnibus nihil hodiedum superest praeter fragmenta, quae maxima diligentia collegit ediditque *Petrus Halloix S. J.* in Vitis et documentis Illustrium Ecclesiae Orientalis Scriptorum, Tomo II. Duaci A. 1636. *Liber de Transitu B. V. Mariae* a Gelasio I. Romano Pontifice inter apocryphos rejectus, et inusto Theologorum stigmate infamis, a Melitonis sanctitate, ac scientia longissime abest.

CLXXIII. *S. Methodius*, Olympi Lyciae, aliis Patarorum, ac dein Tyri in Phoenicia Episcopus, multorum Veterum elogiis celebratus, initio saeculi

IV. in persecutione Diocletiani Martyr pro Christo occubuit Chalcide in Graecia, forte die XVIII. Septembris, quo Ecclesia Sancti Martyris memoriam veneratur. Scripsit *libros adversus Porphyrium*, Christiani nominis hostem acerrimum, *Librum de Resurrectione*, *De Pythonissa*, *De Creatis*, *seu Genitis adversus Origenem*. *Commentarium in Genesim*, *et in Cantica Canticorum*, quae omnia interierunt praeter pauca quaedam fragmenta, quae extant apud Epiphanium, Maximum Martyrem, Joannem Damascenum, et Photium. Duo S. Martyris indubitata Opuscula naufragium evaserunt, scilicet *Liber de Libero Arbitrio*, quem quidam Graecae linguae ignari *Exitum animae* inscripserunt: et *Symposium decem Virginum*, sive *Dialogus de Castitate*. qui Graecae ac Latine primum editus fuit a *Leone Allatio* Romae A. 1656. ac dein ex interpretatione *Petri Possini S. J.* Parisiis A. 1657. *Orationem de Simeone et Anna*, sive in festum occursus, et Purificationis B. Mariae, et *Orationem in Ramos Palmarum Joannes Stiltingus* in Actis SS. Tomo V. Septembris ad diem XVIII. in Vita S. Methodii, eidem abjudicandas esse censet. *Revelationes de rebus, quae ab initio mundi contigerunt, quaeque deinceps contingere debent*, in quibus multa de Turcis, de Antichristo, et extremo Judicio praedicta habentur, S. Methodio inepte ac perperam adscribuntur. S. Methodii Episcopi et Martyris Opera omnia, quae extant, cum fragmentis deperditorum librorum in unum collegit, et cum Amphilochio, et Andrea Cretensi Graece et Latine edidit *Franciscus Combefisius O. P.* Parisiis A. 1644., exhibenturque Tomo III. Bibliothecae Maximae Lugdunensis.

CLXXIV. *Michael Constantinus Psellus*, ex nobilissimis parentibus Constantinopoli circa annum 1020. progenitus, vir fuit in omni litterarum genere versatissimus, quo doctiorem Orientale Imperium aetate illa non habuit, non Theologus tantum, sed etiam Philosophus, Medicus, ac Mathematicus, summisque idcirco in Republica honoribus et officiis functus. Constantinus Ducas, Orientis Imperator, filium suum Michaëlem bonis litteris bonisque moribus imbuendum Psello concredidit, quem ille proinde ad omne disciplinarum genus accurate formavit; immo ope ejus et consilio, abrogato Romano Diogeni imperio, ipse Michaël Ducas anno 1071. Imperator salutatus est. At post sexennium exauctorato Michaële Duca ipse quoque Psellus dignitatibus exutus, abrasa coma Monasticam vestem induit; quo autem anno obierit, incertum est. Praeter Philosophicos, et Medicos libros, qui ad institutum nostrum non pertinent, aliosque adhuc ineditos, qui in MSS. Codicibus Bibliothecarum praecipue Vaticanae et Vindobonensis extant, haec Pselli Opera typis excusa fuerunt: *Carmina*, seu *Paraphrasis metrica in Cantica Canticorum* ad Nicephorum Botoniatem Imperatorem, Latine Antuerpiae A. 1615., Graece cura *Joan. Meursii* Lugduni Batavorum 1617. *Commentarius in Cantica Canticorum* ex Gregorio Nysseno, Nilo, et Maximo Martyre Graece et Latine in Auctario *Frontonis Ducaei S. J.* Tomo II., Latine tantum in Biblioth. Max. Lugdunensi Tomo XVIII. *Capita quaedam de Trinitate et persona Christi* ad Michaëlem Ducam Imp. Graece et Latine cum notis *Woegelini* Augustae Vindelicorum 1608. *Jambi in vitia et virtutes*, et *Anagogae in Tantalum et Cir-*

cen, *et Allegoria de Sphinge*, Graece et Latine Basileae 1544. *De Operatione Daemonum* Dialogus, Graece et Latine Parisiis 1615. *Expositio*, *seu Scholia in Oracula Chaldaica*, *et brevis dogmatum Chaldaicorum declaratio*, Graece et Latine Venetiis 1593. *Liber de facultatibus animae*, Graece et Latine cum Origenis Philocalia Parisiis 1624. *De Omnifaria doctrina Capita et Quaestiones ac Responsiones CXCIII.* ad Michaëlem Ducam Imp. Graece et Latine Hamburgi 1712. Tomo V. Bibliothecae Graecae *Joannis Alberti Fabricii*. *Annotationes in aliquot Gregorii Nazianzeni loca*, Latine a *Jacobo Billio* editae Parisiis 1609. cum Operibus S. Gregorii Nazianzeni. *Oratio Panegyrica in Simeonem Metaphrastem* Latine apud *Laurent. Surium* in Vitis SS. ad diem XXVII. Novembris. *Synopsis Legum versibus Jambicis et politicis*, *Carmina Politica de Dogmate*, *Carmina de Nomocanone*, *Libellus de VII. sacris Synodis Oecumenicis*, Graece et Latine cum notis *Francisci Bosqueti* Parisiis 1632. *Casimirus Oudinus* Tomo II. de Script. Ecclesiast. pag. 680. eidem Psello tribuit *Libros IV. Antiquitatum Constantinopolitanarum*, quos *Anselmus Bandurius O. S. B.* e Congregatione Melitensi Tomo I. Imperii Orientalis edidit Parisiis A. 1711. Plura de Psello vide in Diatriba *Leonis Allatii de Psellis*, *et eorum scriptis*, Romae A. 1634. edita, et a *Joanne Alberto Fabricio* Tomo V. Bibliothecae Graecae Hamburgi 1712. recusa.

CLXXV. *M. Minucius Felix*, disertissimus Orator, et Jurisconsultus Romanus, Tertulliano suppar, et S. Cypriano antiquior, elegantissimam pro Christiana Religione scripsit *Apologiam* sub forma Dialo-

gi, in quo cum Caecilio, Ethnico homine disputat Octavius Christianus, qui totum Gentilium cultum, Deorumque prosapiam, non minus erudite quam venuste et ingeniose convellit, et Christianos, eorumque sacra, ab omnibus Caecilii calumniis atque objectionibus eleganter ac nervose vindicat. Dialogum illum, qui in antiquis editionibus septem libris Arnobii adversus Gentes adjunctus erat tamquam octavus illius Operis liber, primus Minucio asseruit *Franciscus Balduinus* Atrebas, ac legitimo parenti restitutum edidit Heidlbergae A. 1560. prodiit etiam Parisiis A. 1643. studio *Nicolai Rigaltii*, Lugduni Batavorum 1652. cum notis *Joannis Woweri*, Hallae Magdeb. 1699. curis *Cellarii*, extatque Tomo III. Biblioth. Max. Lugdunensis. Extitisse suo aevo sub Minucii nomine *librum de Fato*, prodit *S. Hieronymus* Lib. de Script. Ecclesiast. Cap. LVIII., quem licet diserti hominis opus fuisse agnoscat, a Minucii tamen stylo discrepasse censet.

CLXXVI. *Moneta*, Cremonae in Italia natus, S. Dominico aetate aequalis, anno 1220. hortatu Reginaldi sacrae Praedicatorum familiae nomen dedit, posteaquam aliquo tempore publico conductus stipendio in Academia Bononiensi Philosophiam docuisset. Ordini adscriptus Vicarium S. Dominici per Insubriam egit, tum et Mediolani munus Inquisitoris exercuit. Quo anno vitam absolverit, ignotum est; constat tamen id non ante annum 1240. contigisse. Scripsit egregium Opus, nempe Summam Monetanam, sive *Libros V. adversus Catharos, et Waldenses*, quos ex MSS. Codd. Vaticano, Bononiense, ac Neapolitano primus edidit, ac pereruditis notis illustravit *Thomas Augustinus Ricchinius O. P.* Romae A. 1743.

N

CLXXVII.

S. *Nicephorus*, CPoli circa annum 757. ex clarissimis parentibus progenitus, Eudocia, et Theodoro, Constantini Copronymi Notario, et ob Imaginum cultum bis in exilium pulso, ingenium a natura nactus sublime et magnarum rerum capax, omni id disciplinarum genere diligenter excoluit. Inde ad Palatina munia assumptus. Constantino Augusto, ejusque matri Ireni a secretis fuit. Verum aulicae vitae pertaesus, aedificato suis sumptibus e regione Bosphori Coenobio, Monasticam vitam professus est rerum divinarum meditationi intentus, hominumque consortium devitans; donec Tarasio demortuo in CPolitana Cathedra A. 806. successor est datus unanimi Cleri et Populi, ipsiusque Imperatoris Nicephori Logothetae suffragio. Verum cum anno Episcopatus sui nono Leonis Armeni Imperatoris adversus sacras Imagines Edicto strenue obstitisset, Patriarchali Sede dejectus, atque in exilium actus anno 815., primo ad Monasterium quod ipse condiderat, ac *Bovem* sive *Damalin* vocabant, se contulit; mox in aliud Monasterium, a se itidem in Proconneso Propontidis insula extructum, deportatus est. Obiit egregius Christi Confessor sub Michaële Balbo, qui Leone Armeno interfecto Orientis Imperium occupaverat, anno exilii sui XIV., aetatis LXXI., Christi 828., die II. Junii, qua a Graecis colitur, quamvis Latini die XIII. Martii ejus memoriam celebrare soleant.

Genuina S. Nicephori Patriarchae CPolitani Opera sunt: *Breviarium Historiae*, a caede Mauricii Imp.

usque ad annum 769., Graece ac Latine editum a *Dionisio Petavio S. J.* Parisiis 1616., iterumque ibidem recusum Tomo I. Historiae Byzantinae A. 1648. *Chronologia*, seu *Chronographia tripartita*, sive brevis Catalogus Patriarcharum, Judicum, Regum, Principumque Hebraeorum, Graecorum, Romanorum, ab Adamo usque ad Theophilum, Michaëlis Balbi filium, cui dein alius addidit Patriarchas CPlitanos post Nicephorum usque ad Photium usurpatorem. Primus eam Chronographiam Latine reddidit *Anastasius Bibliothecarius* Saeculo IX. Graece eam excudi curavit *Josephus Scaliger* in Thesauro temporum Lugduni Batavorum A. 1606., Graece et Latine cum Georgii Syncelli Chronico *Jacobus Goarius O. P.* Parisiis A. 1652. *Epistola* prolixa ad Leonem III. Pontificem Romanum, *Confessionem fidei* continens, Graece et Latine ex interpretatione *Theodori Peltani S. J.* a Commellino edita cum Actis Synodi Ephesinae, Heidlbergae 1591., et Tomo IX. Annal. Ecclesiast. a *Card Baronio* inserta. *Opuscula IV. adversus Iconomachos.* Primum continet XII. Capita contra Principes Apostasiae de Incarnatione Christi. Secundum X. syllogisticas demonstrationes de differentiis Imaginis Christi et Crucis. Tertium de Cherubinis a Moyse fabrefactis. Quartum habet quaedam ex libro ejusdem de Imaginibus. Edidit haec ex interpretatione *Francisci Turriani S. J. Henricus Canisius* Tomo IV. Antiquae Lectionis Ingolstadii A. 1603. *Canones breviculi XVII.* extant Graece et Latine in Jure Graeco-Romano *Joannis Leunclavii* Lib. III. Francofurti 1593. *Canones alii XXXVII.* Graece et Latine cum notis *Joan. Bapt. Cotelerii* Tomo III. Monumentorum Ecclesiae Graecae, Parisiis A. 1677. *Epistola ad*

Interrogationes XII. de re Canonica, ac totidem Responsiones continens, Graece et Latine ibidem apud Coteleriuni. *Libri III. Antirrheticorum adversus Iconomachos* praeter pauca quaedam fragmenta nondum editi, quamvis eos in Regia Galliarum Bibliotheca extare asserant Cotelerius, et Combefisius. *Indiculum librorum* Canonicorum, Ecclesiasticorum, et Apocryphorum, qui Chronographiae Nicephorianae ut plurimum adnexus est, quidam S. Nicephoro tribuunt; alii cum Hammondo, Pearsonio, Caveo, eumdem illi abjudicant. Authoris tamen esse Nicephoro coaevi, vel inde patet, quod ab Anastasio Bibliothecario Opusculum illud Latine fuerit redditum.

CLXXVIII. *Nicetas Acominatus*, Choniates a patria dictus, Michaëlis Acominati Atheniensis Metropolitae frater natu minor, novennis adhuc ad Michaëlem fratrem CPolim se contulit, ab eo moribus et doctrina instituendus. Ingenio et scientia cum plurimum polleret, ad maximas in Aula evectus est dignitates, Alexii Comneni primum, et postea Isaaci Angeli Imperatorum Orientis Secretarius, dein Senator CPolitanus, Magnus Logotheta secretorum, Inspector et Judex veli, Sacri Cubiculi Praefectus. CPoli a Francis Venetisque capta A. 1204., ipse cum uxore gravida liberisque in exilium abiit; et Nicaeam in Bithynia profectus, quam in urbem Theodorus Lascaris aliique e Graeca nobilitate praecipui se receperant, ibi lares fixit. Obiit Nicaeae; at quo anno incertum est. Scripsit *Historiam* in XXI. libros distributam, *de rebus gestis Imperatorum sui saeculi CPolitanorum*, ab obitu nimirum Alexii Comneni Imp., sive ab anno 1118., ubi desiit Zonaras, usque ad annum 1206., seu obitum

N 3

Balduini primi in Oriente Imperatoris. Edita fuit haec Historia Graece et Latine cum Zonara, et Nicephoro Gregora, ex interpretatione *Hieronymi Wolfii* Basileae A. 1557., Genevae deinde A. 1593., et Parisiis 1647., cum notis *Caroli Hanibalis Fabroti* ac denique in Parisina collectione Historiae *Byzantinae* Tomo XVII. Scripsit praeterea *Thesaurum Orthodoxae fidei* Libris XXVII. comprehensum, quorum quinque priores vertit, et Latine edidit cum notis doctissimis *Petrus Morellus* Parisiis A. 1580., Genevae 1592., extantque Tomo XXV. Bibliothecae Maximae Lugdunensis. *Caveus* in Hist. Litteraria Scriptor. Eccles. testatur, Libros illos XXVII. Nicetae pulcherrimo charactere Graece descriptos, in Bibliotheca Bodlejana se olim vidisse. Horum aliqui in MSS. Codd. Bibliothecae Bavaricae extant, nempe Liber XVII. Thesauri Orthodoxae fidei de Armenorum haeresi. Liber XVIII. contra Paulicianos XIX. contra Bogomilos. XX. contra Saracenos, cum modo recipiendi illos, qui a Saracenis ad Christiana sacra transeunt.

CLXXIX. *S. Nilus*, clarissimo genere CPoli natus, ac Regiae Urbis praefectus, sub Arcadio et Theodosio Juniore floruit saeculo V. Connubio primum cum uxore paris secum nobilitatis junctus, posteaquam geminam prolem ex ea suscepisset, mundanarum rerum pertaesus aegre uxori persuasit, ut sanctius sibi vitae institutum sectari liceret. Religiosae perfectionis rudimenta a S. Joanne Chrisostomo hausit, cujus patrocinium, saeviente in sanctum virum gravissima procella, dein suscepit, datis ad Arcadium Imperatorem duabus Epistolis. Monasticam postea cum Nitriensibus Monachis in Aegypto vitae rationem amplexus est aliquo tempore, ac dein in Arabiae solitudinem secessit. Ibi cum soli

Deo vacaret, repente irruentes Arabes latrunculi filium ejus Theodulum, quem peregrinationum suarum, ac Monasticae vitae socium sibi adsciverat, cum multis aliis captivum abducunt: quem dum Nilus sollicite perquirit, ipse a Barbaris capitur. Mox tamen ab iisdem liberatus, filium in Elusa reperit apud urbis illius Episcopum, qui sanctum virum omnibus Christianae charitatis officiis prosecutus est, et repugnantem licet Sacerdotio initiavit. Obiit regnante Marciano Imp. jam nonagenarius circa annum 452. die XII. Novembris, quo a Graecis et Latinis ejus memoria celebratur.

S. Nili Abbatis genuina sunt Opera: *Expositio in Cantica Canticorum*, quae S. Gregorii Nysseni, S. Maximi, et Pselli Commentariis in eumdem librum admixta habetur Graece et Latine Tomo II. Auctarii *Frontoni Ducaei S. J.* Parisiis 1624. *Narrationes VII. de caede Monachorum in monte Sina, et captivitate Theoduli filii.* Extant Graece et Latine cum versione et notis *Petri Possini S. J.* Parisiis 1639., una cum ejusdem *Oratione in Albianum Monachum Nitriensem*, qua idem S. Nilus viri sanctissimi, hactenus ignoti, Vitam descripsit, et virtutes mirabiles commendavit. *Capita Paraenetica* CCXXIX. Tomo II. Auctarii *Ducaeani*. *Liber de octo vitiosis cogitationibus*, qui cum Operibus S. Joannis Damasceni Parisiis prodiit A. 1577. ex interpretatione *Jacobi Billii*, et Tomo III. Monumentorum Ecclesiae Graecae cum notis *Joan. Bapt. Cotelerii* *De Oratione Capita CXLVII.*, quibus precandi forma exponitur, Latine tantum edita cum Diadochi, Photices Episcopi, capitibus de perfectione spirituali Florentiae 1573., et Antuerpiae 1575. ex interpretatione *Francisci Turriani* S. J. *Epistolae* CCCLV. Graece et Latine edi-

tae a *Petro Possino S. J.* Parisiis A. 1657., quibus CDLVII. numquam antea editas addidit *Leo Allatius* Romae A. 1668. Alia ejusdem S. Nili Opuscula Graece et Latine edita fuerunt Romae A. 1673. a *Josepho Maria Suaresio* Episcopo Vasionensi, nimirum *Tractatus de Vita Ascetica. Ad Agathium Monachum de virtute colenda et vitio fugiendo. Ad Magnam Ancyrae Diaconissam de voluntaria paupertate. Tractatus Moralium, seu spiritualium Admonitionum. Epicteti Enchiridion* a S. Nilo contractum, et interpolatum. *De Monachorum praestantia in urbibus, aut solitudinibus. Ad Eulogium Monachum Tractatus Asceticus. Ad Eumdem de vitiis, quae virtutibus sunt opposita. Liber de diversis malignis cogitationibus. Capita XXXIII. per gradus disposita. Spirituales sententiae* per alphabetum dispositae, una cum aliis quibusdam. *Institutio Ascetica ad Monachos. Sententia abducentes Monachum a corruptibilibus. Sermo in illud Evangelii*, Qui nunc habet saeculum, tollat etc.

O

CLXXX.

S. *Odilo*, Arvernus patria, ex equestri familia ortus, ex Brivatensi apud S. Julianum Clerico, Monachus O. S. B. in Coenobio Cluniacensi, post mortem S. Majoli ejusdem Monasterii electus est Abbas A. 994. Pietate et charitate erga pauperes insignis, instituit, non, ut perperam *Caveus* scribit, Festum omnium Sanctorum; sed ut prima die post Festum Sanctorum omnium, quod

pluribus jam saeculis ante S. Odilonem in Ecclesia celebre erat, *Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum* in suis Monasteriis fieret, quem ritum postea universalis Ecclesia comprobavit. Anno 1022. ad visenda Apostolorum limina, et Monachos Casinenses in Italiam excurrit. Anno 1034. Archiepiscopus Lugdunensis electus, dignitatem istam repudiavit. Plurima in Gallis Monasteria reformavit; multa fundavit. Illa dum inviseret, A. 1049. apud Silviniacum diem extremum obiit die I. Januarii, aetatis anno LXXXVII. Scripsit *Vitam* decessoris sui, *S. Majoli*, Abbatis Cluniacensis, quam *Bollandi* Continuatores exhibent Tomo II. Maii ad diem XI., et *Hymnos* IV. in eumdem. *Epistolas* aliquas ad Fulbertum, aliosque, quas *Lucas Dacherius* O. S. B. Tomo II. Spicilegii vulgavit Parisiis A. 1655. *Vitam S. Adheleidis* Imperatricis, Othonis I. Imp. uxoris, editam ab *Henrico Canisio* Tomo V. Antiquae Lectionis Ingolstadii A. 1604. *Sermones* XIV. de Festis Domini, B. Virginis, ac Sanctorum, insertos dein Tomo XVII. Biblioth. Max. Lugdunensis. *Statutum de defunctis*. Opera omnia S. Odilonis edita fuerunt Parisiis A. 1614. in Bibliotheca Cluniacensi, studio et cura *Martini Marrier* Monachi S. Martini a Campis, et *Andreae Duchesnii* Turonensis.

CLXXXI. *Odo*, ex Aurelianensis Scholastico Abbas et instaurator Coenobii S. Martini O. S. B. in urbe Tornacensi, demum A. 1105. Episcopus Cameracensis, Sede sua pulsus, quod ab Henrico IV. Imperatore virgam et annulum nollet accipere, in Monasterio Aquicinctino prope Duacum exul obiit A. 1113. Scripsit *Expositionem Canonis Missae*, *Libros III. de Peccato originali*, *Disputationem de Adventu Christi contra Leo-*

nem Judaeum, *Librum de blasphemia in Spiritum Sanctum*, *Homiliam de Villico iniquitatis*, *Librum in Canones Evangeliorum*. Quae omnia *Andreas Schottus* S. J. Tomo XV. Bibliothecae Patrum Coloniensis inseruit, et Tomo XXI. Bibliothecae Max. Lugdunensis recusa fuerunt.

CLXXXII. *S. Odo*, natione Francus, in Aula Guilielmi Aquitaniae Ducis educatus, Musicus, et Archicantor in Ecclesia Turonensi S. Martini, postea Monachus O. S. B., et secundus Abbas Cluniacensis, Bernonis successor, sanctimonia et doctrina clarissimus, ab anno 927. ad 942. Coenobio illi praefuit. Anno 936. Romam a Leone VII. Papa evocatus, pacem inter Albericum, Romanae civitatis Principem, et Hugonem Italiae Regem conciliavit. Biennio post Romam iterum profectus, Hugonem ab obsidione urbis precibus abduxit. A. 942. Romam tertia vice Religionis ergo iter suscepit, ubi cum acuto morbo laborare coepisset, festinato in Gallias reditu, apud Turones obiit die XVIII. Novembris ejusdem anni, in Ecclesia S. Juliani sepultus. Scripsit *Libros IV. de Vita S. Geraldi* Aureliacensis Comitis. *Tractatum de Reversione B. Martini Turonensis a Burgundia*, cui praemittitur *Epistola ad Fulconem* Comitem Andegavensem. *Tractatum, quod B. Martinus par dicitur Apostolis. Sermones IV. Libros III. Collationum, seu Occupationum. Antiphonas XII. de B. Martino Turonensi. Versus* et *Hymnos* aliquot. Quae omnia edidit *Andreas Duchesnius* in Bibliotheca Cluniacensi Parisiis A. 1614. *Libri XXXV. Moralium in Job.*, ex S. Gregorii Magni Moralibus plerumque excerpti, prodierunt cura *Martini Marrier* O. S. B. Parisiis A. 1617. Omnia S. Odonis Clunia-

censis Opera, praeter Vitam S. Geraldi Aureliacensis Comitis, exhibentur Tomo XVII. Biblioth. Max. Lugdunensis. Scripsisse etiam dicitur idem S. Odo *Librum de Translatione S. Benedicti*, *Librum de contemptu mundi*, *Chronicon*, ac *Sermones* et *Hymnos* complures, quae tamen interierunt.

CLXXXIII. *Oecumenius*, incertae aetatis Scriptor Graecus, post tempora Photii et Aretae, ut verisimilius Eruditi conjiciunt, Saeculo X. ex Patribus Graecis, ac praecipue ex S. Joanne Chrysostomo, *Catenam* opportunissimam connexuit, sive *Commentarios*, aut Enarrationes in *Acta Apostolorum*, et *Epistolas* cum *Paulinas*, tum *Canonicas* caeteras. Graece typo prorsus insigni prodierunt Veronae A. 1532., Latine ex interpretatione *Joannis Hentenii*, Mechliniensis Monachi Hieronymiani, Antuerpiae 1545., et Parisiis 1547., Graece et Latine Parisiis 1631. Volum. II. in folio, studio *Friderici Morelli*, qui *Aretae* Caesareae Cappadocum Episcopi *Explanationes in Apocalypsin* adjecit. Aliae Oecumenii Catenae in reliquos Scripturarum divinarum libros veteris novique Instrumenti irreparabili damno interierunt.

CLXXXIV. *S. Optatus*, natione Afer, Milevitanus in Numidia Episcopus, atque acerrimus Donatistarum oppugnator, saeculo IV. floruit sub Valentiniano et Valente Impp. ac Damaso Romano Pontifice, circa annum 370. Scripsit contra Parmenianum, Donatistarum apud Carthaginem Episcopum, *Libros VII. de Schismate Donatistarum*, quibus totius schimatis originem et progressum aperit, Schismaticorum fraudes ac mendacia refellit, doctrinamque Ecclesiae tuetur non modeste minus quam docte et acute. Porro

Liber VII. memorati Operis continet tantum supplementa quaedam ad sex libros praecedentes, quae iterata consideratione nonnullis librorum locis velut imperfectis ipse S. Optatus postea adjecit. Hinc mirum non est, quod S. Hieronymus non nisi sex libros a S. Optato contra Donatistas scriptos memoret; quodque ipse Optatus Lib. I. propositi sui rationem reddens, se rem sex libris absoluturum esse promittat. S. Optatum ediderunt *Franciscus Balduinus* Parisiis A. 1563., et 1569. *Commelinus* Heidlbergae 1599. *Gabriel Albaspineus* Aurelianensis Episcopus Parisiis 1631. *Mericus Casaubonus* Londini 1631. *Philippus Priorius* Parisiis 1679., atque omnium exactissime *Ludovicus Elias Du Pin* Doctor Sorbonicus Parisiis A. 1700., et Antuerpiae, verius Amstelodami 1701., qui addidit praeterea Historiam Donatistarum, Geographiam Episcopalem Africae, Monumenta vetera ad Donatistarum historiam spectantia, ac Balduini et Albaspinaei Praefationes ac notas.

CLXXXV. *Origenes*, dictus a laboris assiduitate *Adamantius*, et *Chalcenterus*, qui adamantis instar frangi non posset, et visceribus aheneis praeditus esse videretur, circa annum 185. Alexandriae natus est. Praeter Clementem Alexandrinum, Leonidem patrem suum non in artibus liberalibus tantum, et amoenioribus musis, verum etiam in Sacris Scripturis magistrum habuit, ex quibus adolescens singulis diebus aliquas sententias memoriae mandare jubebatur, antequam ad studia profana se accingeret. Porro tanto amore in sacras Litteras ferebatur, ut in aperto illarum sensu minime conquiesceret; sed nova saepe, quaequae vel doctissimos fugerant, suo de ingenio adderet: ut

adeo pater filium saepe admoneret, ne altius quam humanae vires ferrent, se attolleret; quamquam idem pater saepe lacrymis perfusus Numini gratias ageret, quod talis tantusque filius sibi obtigisset: atque ad dormientis lectum adrepens, pectus illius tamquam divini Spiritus templum venerabundus oscularetur. A. 202. Leonidem patrem, cui in persecutione Septimii Severi Christi causa caput amputatum fuit, annum agens aetatis XVII. amisit, tantoque aestuavit Martyrii desiderio, ut nisi mater pio dolo subductis clam vestibus prohibuisset, ne domo prodiret, ultro se in cruciatus dedisset. Cum patri comes in supplicio jungi haud posset, hortator ei per litteras fuit, ut cura omni de se, liberisque aliis missa, magno animo Martyrium subiret. Ex eo tempore paternis facultatibus fisco addictis, matrem cum sex parvulis liberis, ex artis Grammaticae professione necessaria vitae subsidia sibi comparans, tempore aliquo sustentavit. Inde anno aetatis XVIII. privatae Catechumenorum institutioni in locum Clementis praeceptoris sui a Demetrio Alexandrino Episcopo praefectus, plurimos eosque magni nominis discipulos habuit, Plutarchum, Heraclam, Serenum, Heraclidem, Heronem, Heraidem, et Potamiaenam; multique ex ea schola Martyres prodierunt, quibus in vincula conjectis omni subsidii genere adfuit, eductos ad supremam pugnam est hortatus, militumque globos perrumpens, sanctis osculis discendentes est prosecutus: eam ob causam non semel in periculum capitis adductus, structas tamen insidias vel mutato opportune domicilio, vel captatis latebris effugit. Zephyrino Pontifice Maximo adhuc superstite Romam profectus est Ecclesiae antiquissimae

visendi studio. Inde reversus Alexandriam, solitum docendi munus hortante Demetrio repetiit. Et cum regendae scholae solus non sufficeret, Heraclam, discipulorum suorum primarium, in partem laboris vocavit, commissa ei Catechumenorum, et recens baptizatorum institutione.

Sacrarum Litterarum incredibili studio impulsus Hebraicam linguam didicit. Cumque invenisset tres antiquissimas Scripturae sacrae interpretationes, unam Nicopoli ad Actium littus, aliam alibi aeque fausto eventu, tertiam in doliis Jerichuntinis; ex his Hexapla adornavit, cum antea Tetrapla conscripsisset. *Tetrapla* vocavit editionem Scripturae sacrae, quatuor columnis per singulas paginas distinctam. Prima exhibet versionem Τῶν LXX., altera translationem Aquilae; tertia Symmachi; quarta Theodotionis. *Hexapla* inscripsit editionem ejusdem Scripturae sex columnis per singulas paginas distinctam, quarum quatuor exhibebant priores quatuor versiones, et aliae duae posteriores quintam et sextam Anonymi interpretis. *Octapla* octo columnas exhibebant, nimirum sex illas versiones, et aliam praeterea in doliis repertam, nec non Textum Hebraicum his omnibus praejacentem. Caracalla Imperatore in Alexandrinos cives saeviente Caesaream Palaestinae fugit, ubi adhuc laicus ab Episcopis regionum vicinarum rogatus, in Ecclesia palam verba de sacris Scripturis fecit, Demetrio Alexandrino improbante, hominem laicum praesentibus Episcopis pro concione dixisse, ideoque cum Episcopis Alexandro Jerosolymitano et Theoctisto Caesariensi hac de re acrius expostulante; qui tamen prolato non uno exemplo, quod factum fuerat, tuebantur. Tandem quia

missis Diaconis Origenis reditum urgere non desistebat Demetrius, Alexandriam ille reversus, vices solitas, a Demetrio iterum sibi demandatas, obiit.

Reportatas ab eo de Haereticis palmas testantur debellati Arabes, Beryllus Bostrorum Episcopus, Ambrosius vir nobilitate et opibus potens, ex Valentinianorum, aut ut alii malunt, ex Marcionitarum secta ad Catholicam fidem adductus, qui in sacris studiis, ac laboribus Origeni Maecenatis beneficentiam exhibuit. Septem enim scribas, qui ei dictanti praesto adessent, nec pauciores librarios, et Virgines, ad concinne scribendum probe exercitatas, ipsi addixit. Negotii cujusdam Ecclesiastici conficiendi gratia in Achajam vocatus, dum per Palaestinam proficiscitur, a Theoctisto Caesariensi, approbante S. Alexandro Jerosolymitano, anno 228., aetatis suae XLIII., Sacerdotio initiatur. Aegerrime id tulit Demetrius Alexandrinus; nam jam tum in legem abierat, ne quis ab alio quam ab Episcopo suo manum sibi imponi pateretur. Quare irritatus Praesul, facinus Origenis sibi jam multo ante cognitum, qui sacrarum Litterarum sensum minus assecutus se exsecuerat, in orbem evulgavit. Post haec rationibus uteunque cum Demetrio compositis Alexandriae se reddidit Origenes: sed dum sacrarum Litterarum explanationem cum librorum scriptione conjungit, et *Periarchon* suum vulgat, nova rursum odia Demetrii provocavit. Scatebat liber hic multis haud dubie erroribus: *Dialogus* etiam, quo de dogmatibus cum Candido Valentiniano haeretico fusius disputabat, blasphemiis confertus erat. Quare Demetrius coacta Synodo, non modo Origenem Alexandria expellendum, sed et Sacerdotio exuendum

esse decretis Synodicis curavit. Huic sententiae Episcopi tantum non omnes, si eos demas, qui in Palaestina, Arabia, Phoenicia, et Achaja sacras dignitates tenebant, atque inter eos etiam S. Pontianus Romanus Pontifex, subscripserunt.

Origenes in defensionem sui Apologiam adornavit, ubi suum Dialogum aliosque libros suos ab haereticis corruptos fuisse conquestus est; relictaque Alexandria Caesaream Palaestinae iterum migravit, ubi maxima sane aestimatione et honore apud omnes floruit: ex ejusque schola viri doctrina ac pietate clarissimi, atque in his S. Gregorius Thaumaturgus, et ipsius frater S. Athenodorus prodierunt. Mammaea, pia ac religiosa foemina, Alexandri Severi Imperatoris mater, ingenti Origenis fama excitata, misso militari satellitio illum Antiochiam accersivit, ab eoque multa pietatis et divinae cognitionis documenta hausit. Mota anno 235. a Maximino Imperatore in Christianos persecutione, Origenes Caesarea Palaestinae cedendum ratus, ad Firmilianum Caesareae Cappadocum Episcopum, summa sibi necessitudine devinctum, fuga se subduxit. Urgente autem adhuc periculo uterque apud Julianam piam ac divitem matronam usque ad Maximini mortem delituerunt. Quo sublato, paceque Ecclesiis reddita, Origenes Cappadociam reliquit, et Nicomediae aliquamdiu moratus, Athenas migravit, ac tandem Caesaream Palaestinae reversus est. In gravissima illa Decii Imperatoris persecutione, Origenes Tyri, ubi per annum fere, Caesarea profectus, moratus fuerat, multos pro Christo cruciatus pertulit. Ipsum confessionis gloriam maculasse thus idolis adolendo, atque ad hoc nefas adactum fuisse metu

stupri ab Aethiope inferendi, quem persecutores ad violationem casti corporis conduxerant, author est *S. Epiphanius* in Panario Haeresi LXIV., quamquam complures ex Eruditis hodiedum non desint, qui facti hujus veritatem aut inficiantur, aut saltem in dubium vocant. Obiit Origenes Tyri in Phoenicia anno Christi 255., aetatis suae LXX.

Magnis in vita et post mortem impugnatoribus, ac defensoribus nobilitatus est. Origenem dilaudarunt S. Alexander Jerosolymitanus, Theoctistus Caesareae in Palaestina, Firmilianus Caesareae Cappadocum Episcopus, S. Gregorius Thaumaturgus, S. Dionysius, et S. Athanasius Alexandrini Praesules, S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, aliique. Contra eumdem impugnarunt, praeter S. Demetrium Alexandrinum, cujus sententiam ratam habuit ejus in Episcopatu Alexandrino successor S. Heraclas, Origenis olim discipulus, S. Pontianus, et S. Anastasius Romani Pontifices, S. Eustathius Antiochenus, S. Methodius Patarensis, S. Epiphanius, S. Hieronymus, Theopilus Alexandrinus, ac denique Synodus V. Oecumenica, seu *CPolitana II.* A. 553. quae Origenis nomen anathemate confixit, ejusque errores, tamquam putidas haereses, proscripsit. Et quamquam non Veteres modo, ut Eusebium, Caesariensis Episcopus, sub ementito Pamphili Martyris nomine, et Rufinus Aquilejensis Presbyter, verum etiam Recentiores quidam, ut Daniel Huetius Abrincensium Episcopus, et Petrus Halloix Leodius, aliique complures, Apologias pro Origene conscripserint; doctrinam tamen Origenis omnis erroris immunem asserere vetant Patrum de ipso, et Ecclesiae judicia; prohibent et ipsius libri, qui gravissimos errores, quorum est insimulatus, re-

praesentant. Errandi causa ei fuit Philosophia, cui plus aequo indulsit. Platonicae enim Philosophiae placitis dum accommodat mysteria Religionis, multa depravavit. Rufinus ipse, ejus maximus laudator, fatetur; inveniri in ejus libris quae veritatis regula non admittit, *quae nos quoque*, inquit, *nec recipimus, nec probamus*. Dixere plures, ejus libros fuisse ab haereticis corruptos; idque magna probabilitate dictum videtur: siquidem in iis contraria, et repugnantia non solum in diversis, sed etiam in iisdem locis leguntur, qualia ab homine non insano, nec penitus emotae mentis, scripta fuisse nullus suspicari possit. Verum errores omnes refundere in eam corruptionem temerarium est; cum ipsemet Origenes se in multis errasse confessus fit ea in Epistola, quam, teste *S. Hieronymo* ad S. Fabianum Papam scripsit: causamque in Ambrosium referat, quod secreto edita in publicum protulerit priusquam emendarentur. An vero sincere errores suos ejuraverit, ac postea iis contraria docuerit: vel si quos retinuerit, id humanitus ei contigerit, ut aliis Patribus, certo non constat. Sed multa ei favent: constans haereses insectandi studium: relatae de Valentinianis, Marcionitis, Basilidianis, Apellitis, Helcesaitis, victoriae: litterae, testes poenitentiae, quas ad Fabianum Papam scripsit: denique quod communione conjunctus cum Episcopis Catholicis obierit, nulla per se instituta secta, quae non nisi eo jam demortuo, ex incauta Operum ejus lectione exorta est.

Antiquiores Patres haec potissimum in Origene redarguunt. I. Quod Filium non esse natum, sed factum, esse Patre minorem et inferiorem: comparatum Patri non esse veritatem: et Spiritum Sanctum esse tertium

dignitate et honore post Patrum et Filium, Filioque inferiorem dixerit. II. Sensit hominum animas ante corpora creatas fuisse, et coelestes fuisse virtutes, quae ob peccata prioris vitae in corpora, velut in carceres quosdam, supplicii causa immissae dein fuerint. III. Sensit animam Christi praeextitisse, Deo Verbo unitam ante Incarnationem, et generationem ex Virgine. IV. Christi passionem daemonibus ipsis profuturam: immo Christum in futuro saeculo pro daemonibus crucifigendum. V. Futuram aliquando diaboli salutem, et daemonum hominumque impiorum suppliciis finem imponendum esse propugnavit. VI. Non poenarum dumtaxat, sed felicitatis etiam tempus certis circumscriptum terminis esse voluit, animasque ad perfectionis culmen evectas, ac peccati corporeaeque molis sordibus expurgatas, rursus a virtute in vitium deflectere posse: quod cum fecerint, in crassioris corporis carcerem detrudendas. VII. De resurrectione mortuorum pessime sensit; carnis enim resurrectionem inficiatus, corporis resurrectionem voce tenus adstruxit, addiditque, illud qualecunque corpus, quod in mundi consummatione recepturae essent animae, orbiculatum fore, figuram omnium perfectissimam, et rerum coelestium propriam novo corpori congruam existimans. VIII. Ignem inferni allegorice dumtaxat intellexit, nihilque aliud esse voluit quam conscientiae peccato sauciatae stimulos. IX. Astra animata esse affirmavit, Deum cognoscere, ac precari: peccare posse, judicatum iri, ac salutem sperare, et posse consequi. X. Circumscriptam esse Dei potentia docuit. XI. Mundum hunc aspectabilem et corporeum ex occasione dumtaxat, et secundaria intentione Dei creatum esse asseruit, ad puniendas, et quibusdam quasi ergastulis concluden-

das naturas rationis compotes, quae ante orbis creationem deliquerant. XII. Mundorum perpetuam propagationem ac successionem admisit. XIII. Totam de Paradisi consitione Mosaicam narrationem ad allegoriam detorsit. Arbitratus enim est Paradisum terrestrem positum in coelo fuisse; arbores Angelicas esse fortitudines, scorteas tunicas, quibus Adamum et Evam Deus induit, esse terrenum corpus et mortale animabus impositum. XIV. De gratiae divinae auxiliis pessime sensit. Existimavit enim animas juxta mensuram meritorum, quae comparaverant, antequam corporibus jungerentur, variis gratiae donis cumulari. Immo et meritis, in hac vita partis, divinae gratiae praesidia largiri Deum contendit, ita ut libero humanae voluntatis arbitrio tribui debeant, per quod homines talibus donis digni effecti sunt. Hinc *S. Hieronymus* in Epistola ad Ctesiphontem, Cap. II. Pelagii doctrinam *Origenis ramusculum* esse non immerito pronuntiavit.

Fertur Origenes, comprehensis singulis homiliis et epistolis, sena librorum millia conscripsisse, quae tamen majori ex parte interierut; et quae naufragium evaserunt, non nisi Latine extant, pauca si demas, quae etiam Graece sunt edita. Genuina Origenis Opera hodiedum haec supersunt: *Homiliae* XVII. in Genesim, XIII. in Exodum, XVI. in Leviticum, falso a quibusdam S. Cyrillo Alexandrino adscriptae, XXVIII. in librum Numerorum, XXVI. in Josue, IX. in librum Judicum, IX. in Psalmos, videlicet *Homiliae* quinque in Psalm. XXXVI., duae in Psalm. XXXVII., duae in Psalm. XXXVIII., *Homiliae* IV. in Cantica Canticorum, *Homilia* una in Cap. I. et II. Libri I. Regum. Atque haec omnia ex interpretatione *Rufini* Aquilejen-

sis Presbyteri habentur. Item ex interpretatione S. Hieronymi *Homiliae* II. in Cantica Canticorum, IX. in Isaiam, XIV. in Jeremiam, XIV. in Ezechielem, XXXIX. in Evangelium S. Lucae, ac Libri X. *Explanationum* in Epistolam S. Pauli ad Romanos. *Homilia* una in Cap. XXVIII. Libri I. Regum, *de Engastrimytho* inscripta quam inter S. Eustathii Antiocheni Collectanea Lugduni A. 1629. edidit Graece et Latine Leo Allatius. In Matthaei Evangelium *Commentarii* seu *Tractatus* XXXV. ex quibus decem primi desiderantur. In Joannis Evangelium *commentarii* seu *Tomi* XXXII., ex quibus *Tomi* IX. hodie supersunt Graece et Latine ab *Huetio* editi, nempe I. II. VI. X. XIII. XIX. XX. XXVIII. XXXII. *Tetrapla, Hexapla, Octapla. Protrepticus ad Martyrium*, Ambrosio et Protocteto nuncupatus, Graece et Latine editus a Wetstenio cum notis Basileae A. 1674. *Epistola ad Julium Africanum de Susannae historia*, quam idem Wetstenius Graece et Latine cum notis edidit. *Periarchon* seu *de Principiis Libri IV.*, qui in Latina Origenis Operum editione extant ex versione *Rufini* pessima fide confecta, multis omissis, multis interpolatis ac in melius mutatis. Haud dissimili arte in caeteris etiam a se versis Origenis libris usus est Rufinus; adeo ut vera Origenis sententia ob infidi interpretis additamenta atque interpolationes et truncationes aegre deprehendi queat. Quapropter *S. Hieronymus* librorum Periarchon versionem adornavit, ut Ecclesiae Latinae Origenis errores, et Rufini fraudes detegeret. Ejus autem versio temporis injuria interiit. *Libri VIII. adversus Celsum Philosophum Epicureum*, qui Christianam Religionem edito libro impugnaverat, ex interpretatione *Sigismundi Gelenii* cum notis *Danielis Haeschelii* Augustae

Vindelicorum A. 1605. Graece et Latine primum vulgati. *Liber de Oratione* hortatu Ambrosii, et Tatianae elucubratus, quem Graece et Latine Oxonii e Theatro Sheldoniano A. 1685. edidit Joannes Fellus, Oxoniensis Pseudoepiscopus. *Philocalia de aliquot praecipuis Theologiae locis, et quaestionibus*, Graece et Latine *Joanne Tarino* Andegavo interprete edita Parisiis 1618., et Cantabrigiae 1658. cum annotationibus *Guilielmi Spenceri.*

Supposititia sunt, et Origeni perperam adscripta, *Scholia in Orationem Dominicam*, et *in Cantica B. Virginis, Zachariae*, et *Simeonis. Libellus de singularitate Clericorum*, qui olim inter S. Cypriani Opera legebatur. *Liber de Philosophorum sectis et dogmatibus. Commentarius in Evangelium Marci*, sub Victoris Antiocheni nomine Latine redditus editusque a Theodoro Peltano S. J. *Lamentum sive Planctus Origenis. Homiliae XII. in diversos novi Testamenti locos. Libri III. Commentariorum in Job. Commentariola* sive *Scholia in Librum Job. Dialogus contra Marcionitas Megethium, Marcum, Droserium, Valentem, et Marinum, de recta in Deum fide. Dialogi III. de recta in Deum fide contra tria Marcionitarum principia, Eutropio Ethnico homine judice.*

Origenis Opera omnia quae extant, ediderunt Parisiis 1512. *Jacobus Merlinus.* Ibidem A. 1574. *Gilbertus Genebrardus*, et A. 1679. *Daniel Huetius* Abrincensis, ac postea Suessionensis Episcopus II. Volum. in folio. Eadem nuper prodierunt Parisiis A. 1733. et 1740. III. Volum. in folio ex recensione *Caroli de la Rue O. S. B.* ex Congregatione S. Mauri. *Hexapla*

Origenis edidit *Bernardus Montfaucon O. S. B.* Parisiis 1713. II. Volum. in folio.

CLXXXVI. *Otto*, ex S. Leopoldo Austriae Marchione, et Agnete Henrici IV. Imperatoris filia progenitus, Conradi III. Imperatoris frater uterinus, et Friderici Ahenobarbi Imp. patrus, adolescens adhuc a Leopoldo padre Collegiatae Ecclesiae Claustro-Neoburgensi in Austria A. 1114. a se fundatae praepositus fuit. Lutetiam inde Parisiorum profectus sublimioribus disciplinis imbuendus, totum se pietati ac litteris impendit. Confecto studiorum curriculo perfectioris vitae desiderio incensus, in Ordinem Cisterciensium cooptari petiit, et in Monasterio Burgundiae Morimundensi primum Monachum, dein Abbatem egit. Anno 1138. Episcopus Frisingensis in Bavaria consecratus, ea felicitate Ecclesiae illi praefuit, ut omnes Germaniae Episcopos sapientiae ac doctrinae laude aevo suo supergressus, *Magni* nomen apud suos fuerit promeritus. Anno 1147. Crucis signum induit, atque anno sequente fratri suo Conrado III. Imperatori, exercitum in Palaestinam ducenti, comitem se addidit. Paulo ante mortem deposito munere Episcopali in Morimundense Coenobium iterum secessit, ubi dies aliquot decumbens, et de vicina morte sua jam minime dubius, cum ea emendari jussisset, quae in Chronicis suis pro Gilberto Porretano contra S. Bernardum incautius scripserat, ultimis morientium Sacramentis munitus animam coelo transcripsit A. 1158., die XXII. Septembris. Composuit Libros VII. *Chronicorum*, a Creatione mundi usque ad annum 1146., quibus addidit Librum VIII. *de fine mundi, Antichristi persecutione, et mortuorum resurre-*

ctione. Octo hosce libros primus edidit *Joannes Cuspinianus* Argentinae A. 1515., eosque quinquaginta capitibus ex MS. Codice auctiores Tomo I. Collectionis Historicorum Germaniae inseruit *Christianus Urstisius* Francofurti A. 1585. una cum continuatione *Ottonis* a *S. Blasio* ad annum usque 1210. Praeterea Libros II. scripsit *de Gestis Friderici Ahenobardi Imperatoris*, nepotis sui, qui apud eumdem *Urstisium* extant Tomo I. una cum *continuatione Historiae Ottonianae de Gestis Friderici*, quam ad annum usque 1260. perduxit *Radevicus*, Frisingensis Ecclesiae Canonicus.

P

CLXXXVII.

S. *Pacianus*, claro genere in Hispaniis natus, Barcinonensis Ecclesiae Episcopus, obiit sub Theodosio seniore circa annum 390., die IX. Martii, provecta senectute. Uxorem duxisse ante Episcopatum certissimo argumento est filius ejus Flavius Lucius Dexter, Praefectus Praetorio, cui Librum suum de Scriptoribus Ecclesiasticis S Hieronymus nuncupavit. Scripsit contra Novatianos *Epistolas III. ad Sympronianum*, *Paraeneticum ad poenitentiam*, et *Libellum de Baptismo ad Catechumenos*, quae edita sunt a *Tilio* Parisiis A. 1538., a *Paulo Manutio* Romae 1564., extantque Tomo IV. Bibliothecae Maximae Lugdunensis. Liber ejus, cui titulus erat *Cervus*, vel *Cervulus*, quem ipse

S. Pacianus in Exhortatione sua ad poenitentiam laudat, injuriam temporum interiit.

CLXXXVIII. *Palladius*, natione Galata, natus A. 367., annorum XX. adolescens Alexandriam delatus, Isidori Presbyteri curae se commisit vitae Monasticae disciplina instituendum. Inde in Nitriam montem secessit, ibique integrum annum asceticis exercitiis, et Monachis illustrioribus invisendis dedit, Evagrium Ponticum praeceptorum nactus, quo relicto in Scetes solitudinem se subduxit, ac dein in Thebaidis deserta profectus est Joannem Abbatem invisurus, qui Episcopatum et afflictiones multas ei olim adfuturas praedixit. Reparandae valetudinis causa discessit Alexandriam primum, tum anno 399. in Palaestinam, ac denique in Bithyniam, ubi eodem anno, aut initio sequentis inauguratus est Episcopus Helenopolitanus. S. Joannis Chrysostomi causam adversus Theophilum Alexandrinum, et Arcadium Imperatorem propugnaturus, A. 405. Romam se contulit ad S. Innocentium I. Romanum Pontificem. Sequente anno cum Latinis Episcopis Honorii Imperatoris, et Innocentii Pontificis litteras perferentibus ad Arcadium missus fuit CPolim. Verum Legatis illis pessime exceptis, reque infecta in Occidentem redeuntibus ipse jussu Arcadii in oppidum Syene prope Aethiopiam militari satellitio abductus est, maximis injuriis toto eo itinere divexatus. Tandem rebus post mortem S. Chrysostomi compositis in Bithyniam redux, paulo post ad Asponensem in Galatia Episcopatum translatus est. Scripsit circa annum 420. *Librum de Vitis SS. Patrum* ad Lausum Virum illustrem, et sacro cubiculo praefectum, a quo *Historiae Lausiacae* nomen sortitus est.

Edidit hunc Latine cum notis ex interpretatione Gentiani Herveti *Heribertus Rosweydus* S. J. Antuerpiae A. 1615. in Vitis Patrum, Graece *Joannes Meursius* Lugduni Batavorum 1616., Graece et Latine *Fronto Ducaeus* S. J. Tomo II. Auctarii Parisiis A. 1624. Idem scripsisse dicitur *Librum de Gentibus Indiae, et Brachmanibus*, quem e tenebris eruit, et cum versione sua edidit *Eduardus Bissaeus* Londini A. 1665. Verum Eruditis nondum persuadere potuit Anglus Editor, genuinum hunc esse Palladii foetum. *Dialogus de Vita S. Joannis Chrysostomi inter Palladium, et Theodorum Ecclesiae Romanae Diaconum*, quem *Emericus Bigotius* Graece et Latine Parisiis A. 1680. edidit, et *Bernardus Montfauconius O. S. B.* Tomo XIII. Operum S. Joannis Chrisostomi recudit, authorem non habet Palladium Helenopolitanum, sed alium quemdam Palladium, pariter Episcopum ignotae Sedis, Helenopolitano seniorem, ut *Joannes Stiltingus* ostendit in Actis SS. Tomo IV. Septembris, ad diem XIV. in Commentario Historico de S. Joanne Chrysostomo, Cap. I. Idem *Stiltingus* l. c. utrumque Palladium, Helenopolytanum nempe, et Dialogi illius Scriptorem, Catholicum fuisse, atque ab Origenis erroribus immunem evincit.

CLXXXIX. *S. Paschasius Ratbertus*, natione Gallus, in agro Suessionensi natus, sanctioris disciplinae magistrum et ducem habuit S. Adelhardum, Corbejae Gallicae Abbatem O. S. B. Praefecturam Coenobii Corbejensis obtinuit A. 844. post mortem S. Walae Abbatis: qua in dignitate constitutus, licet maxima esset apud Principes et Episcopos ejus authoritas ob insignem doctrinam, et vitae sanctimoniam, de se tamen

adeo modeste sensit, ut Diaconi gradu contentus Sacerdotio noluerit initiari, quod se tantae dignitati imparem judicaret. Anno 846. Concilio Parisiensi interfuit, a quo litteras obtinuit in confirmationem immunitatis Coenobii Corbejensis: et anno 849. Synodo Carisiacae I. adversus Gothescalcum. Regimen Monasterii abdicavit. A. 851., statimque reditum fecit ad optata sacrarum Litterarum studia, ut ipse magna cum animi voluptate testatur in Praefatione Libri IX. in Matthaeum. Obiit circa annum 860., die XXVI. Aprilis. Conditus primum a suis in Ecclesia S. Joannis Evangelistae, in aditu sacrarii, perdiu ibidem jacuit annis fere ducentis. Postea cum ad ejus tumulum crebra mirandorum operum curationumque prodigia fierent, translatus inde Sedis Apostolicae authoritate in majorem S. Petri Basilicam a Widone Episcopo Ambianensi, atque inter Adelhardi, Praecordii, aliorumque Sanctorum reliquias, ut congrua deinceps in veneratione omnibus esset, collocatus est die XII. Julii. Genuina S. Paschasii Ratberti Opera sunt, *Libri XII. Commentariorum in Evangelium S. Matthaei. Libri III. Expositionis in Psalmum XLIV. Libri V. Expositionis in Threnos Jeremiae. Liber ad Placidum de Sacramento Corporis et Sanguinis D. N. J. C.*, quo Sacramentarios luculentissime praedamnavit. *Epistola ad Frudegardum de Corpore et Sanguine Domini*, cui subnectitur *Expositio in illud*, Coenantibus autem eis etc. *Vita S. Adelhardi Abbatis Corbejensis. Passio SS. Valerii et Rufini Martyrum.* Haec omnia in unum collegit ediditque *Jacobus Sirmondus S. J.* Parisiis A. 1618., exinde relata in Bibliothecam Patrum Lugdunensem, Tomo XIV. Idem S. Paschasius con-

O 2

scripsit etiam *Vitam S. Walae Abbatis Corbejensis*, a *Joanne Mabillonio* editam Saeculo Benedictino IV., et *Libros II. de Partu Virginis*, S. Ildephonso Toletano olim perperam adscriptos, quos *Lucas Dacherius O. S. B.* exhibet Tomo XII. Spicilegii.

CXC. *S. Paulinus*, ob insignem eruditionem Carolo Magno charissimus, cum adhuc Grammaticam Magister profiteretur, insigni donatione fundi Laberiani, qui morte Waldandi regium ad fiscum reciderat, a Carolo Rege ditatus est, ac paulo post eodem adhuc anno 774. ejusdem Regis suffragatione Sigualdo Aquilejensi Patriarchae nuper defuncto successor datus. Gravissimis negotiis non in Italia solum, sed et Germania Galliaque componendis adhibitus est. Praesedit Synodo Forojuliensi A. 791. adversus errores Felicis et Elipandi convocatae: tum in Germaniam a Carolo Magno evocatus, interfuit A. 792. Synodo Ratisbonensi adversus Felicem Urgellitanum, atque anno 794. Francofordiensi, ubi cum Alcuino S. Martini Turonensis Abbate, cuocum arctissimam amicitiam contraxerat, egregiam in refellenda Adoptionariorum haeresi operam navavit. Multis tandem laboribus pro Ecclesia perfunctus, senioque confectus, ad Superos abiit A. 804., die XI. Januarii, quo ab Ecclesia ejus memoria colitur, Forojulii in majori Basilica sepultus. Scripsit *Libellum Sacrosyllabum de Sanctissima Trinitatae adversus Elipandum, et Felicem*: *Libros III. adversus Felicem Urgellitanum* una cum *Epistola ad Carolum Magnum*, et *Regula fidei*, *metro exarata*: *Librum de salutaribus documentis* ad Henricum Comitem, sive Ducem Forojuliensem: *Epistolam increpatoriam ad Heistulfum*, qui uxorem adulterii causa

propter unius testimonium occiderat. Opera omnia S. Paulini Patriarchae Aquilejensis edidit Venetiis A. 1737. *Joannes Franciscus Madrisius*, Congregationis Oratorii Presbyter.

CXCI. *S. Pontius Paulinus*, ex clarissima Romana familia Patricia et Consulari natus est A. 354. Burdigalae in Aquitania II., vel ut aliis videtur, Hebromagi, quod paternum erat oppidum Garumnae amni impositum, haud procul Burdigala. Poëticis ac Rhetoricis disciplinis imbutus fuit a Decio Magno Ausonio; sub quo quantum profecerit, ipse *Ausonius* Magister in Epistola ad Paulinum indicavit, scribens:

Cedimus ingenio, quantum praecedimus aevo:
Assurgit Musae nostra Camoena tuae.

Ausonio deinde a Valentiniano I. Imperatore in Aulam evocato, ut Filii sui Flavii Gratiani studiis praeesset, Paulinus relicta Burdigala Romam se contulit, ibique causas forenses tanta felicitate ac plausu tractavit, ut A. 377. mortuo Imperatore et Consule Valente, in Consulatu ad reliquum annum suffectus fuerit, aut ut alii cum *Pagio* contendunt, Consulatum honorarium gesserit. Peragratis per annos aliquot plerisque Occidentis provinciis, contractaque cum summis ubique viris, ac praecipuis Episcopis, S. Martino Turonensi, S. Ambrosio Mediolanensi etc. arcta amicitia, Therasiam uxorem duxit, virginem non singulari pietate minus quam amplissimis opibus illustrem. Hac hortante, quia mos iis temporibus inoleverat differendi in multam aetatem genitale lavacrum,

a S. Delphino Burdigalensi Episcopo A. 389. sacro fonte ablutus est. Inde maxima patrimonii sui parte in Christi pauperes erogata, in Hispaniam, ut tutius ibi lateret, secessit, vitamque Monasticam ibi auspicatus est, nullis amicorum, et Ausonii praecipue hortationibus ab hoc vitae genere revocandus generosus Christi pugil. Posteaquam ibi quatuor ferme annos coelestis militiae suae tyrocinia posuit maximo ardore et attentissima cura, anno 393. ad finem vergente, ipsa Christi Nativitatis die ab Eulampio Barcinonensi Episcopo, plebe ita cogente, quae tantam vitae sanctimoniam in Paulino admirabatur, ad Presbyterii gradum evectus est, ea tamen lege ut nulli manciparetur Ecclesiae. Anno 394. Hispania relicta in Italiam profectus, maximisque honoribus Mediolani praecipue, ac Romae exceptus, Nolam Campaniae urbem, S. Felicis Martyris reliquiis celebrem, contendit, in quem maximo semper affectu ac devotione ferebatur. Aedificatam ibi aere suo magnificentissimam in honorem S. Martyris Basilicam sacris picturis ex veteri novoque Testamento exornari curavit, ac tandem anno 409. ad finem vergente Nolae Episcopus creatus, Ecclesiae illi sanctissime praefuit ad annum usque 431. quo cellula ejus terrae motu concussa, ad Superos migravit die XXII. Junii, aetatis anno LXXVII., in Nolana Basilica S. Felicis tumulo illatus. Vultus ejus totumque corpus post obitum niveo candore resplenduit, atque ad ejus exequias Pagani et Judaei ingenti fletu scissisque vestibus cum Christianis convenerunt. Quae *S. Gregorius Magnus* Lib. III. Dialogorum, Cap. I. narrat de Paulini servitute Vandalica in Africa, intelligi nequeunt de S. Pontio Paulino, quam-

vis communi huic errori authoritas Romani Breviarii suffragetur; sed de alio Paulino juniore, Nolano pariter Episcopo, cui Ecclesiae praefuit initio Saeculi VI. Qua de re plura vide apud *Bollandi* Continuatores Tomo IV. Junii, in Actis SS. ad diem XXII., in Appendice ad Vitam S. Paulini Nolani.

Extant S. Paulini *Epistolae* LII., variaque ejus *Poëmata* sacra et profana, a Veteribus maximopere dilaudata. Edita fuerunt praemissa S. Paulini Vita, a *Francisco Sacchino* S. J. elegantissime conscripta, cum notis *Frontonis Ducaei*, ad *Heriberto Rosweydo* S. J. Antuerpiae A. 1622., a *Petro Francisco Chifffletio* S. J. Divione 1662., a *Joanne Baptista Le Brun* Presbytero Parisiis 1684., ac denique Veronae 1736. in fol., notis et dissertationibus Variorum illustrata, et aucta, ac denuo a *Ludov. Ant. Muratorio* recognita. Complura praeterea Poëmata et Epistolas, variaque Opuscula scripsit S. Paulinus, quae ad aetatem nostram non pervenerunt, videlicet *Panegyricum ad Theodosium Imperatorem*, quem summis extulit laudibus S. Hieronymus: *Epistolas* multas ad sororem *de contemptu mundi*: *Sacramentarium*, et *Hymnarium*: *Librum de Poenitentia*, atque alium *de laude generali omnium Martyrum*: *Svetonii libros in compendium redactos, ac metro illigatos.* At vero spuria sunt, et S. Paulino Nolano perperam adscripta, *Carmen Eucharisticum de Vita sua. Libri VI. de Vita S. Martini Turonesis* carmine Heroico scripti ad Perpetuum Episcopum Turonensem a *Paulino Petricorio*, qui annis facile XL. post Paulinum Nolanum floruit. *Epistola ad Faustum Rejensem de variis Quaestionibus*, quam alterius esse recentior Fausti aetas satis indicat. *Vita S. Ambrosii Mediolanensis Episcopi*,

conscripta saeculi V. initio ab alio quodam Paulino, S. Ambrosii Diacono, et Notario, qui in Africam delatus, Coelestium apud Aurelium Carthaginensem Episcopum A. 412. haereseos accusavit.

CXCII. *Paulus Orosius*, natione Hispanus, Tarraconensis Ecclesiae Presbyter, anno 415. ab Eutropio et Paulo, Hispanis Episcopis, in Africam ad S. Augustinum missus fuit, ut eum de Priscillianistarum et Origenis erroribus in Hispania pullulantibus certiorem facere, et adversos grassantem pestem remedium ab eo expeteret. Apud Augustinum aliquanto tempore commoratur, sacras Litteras ab eo plenius didicit, eoque hortante in Palaestinam verno tempore A. 415. ad S. Hieronymum profectus est, ut quae ejus de origine animae sententia esset, certius cognosceret. Cum autem eisdem temporibus novae Pelagii doctrina ingentes turbas Jerosolymis excitasset, vehementer rogantibus Jerosolymitanis Presbyteris, Joannes illius civitatis Episcopus Presbyterorum conventum indixit, quo ex secessu suo Bethlehemitico Orosius, ut Pelagianarum rerum in Africa conscius, ab eo Clero accersitus exeunte Julio advenit. Ibi licet Pelagianae haeresi larvam detrahere sit conatus, quia tamen Joannes Pelagii patrocinium susceperat, nil aliud efficere potuit, quam ut de communi sententia, annuente etiam Joanne, tota causa ad Judicium Innocentii Romani Pontificis delata fuerint; data fide judicio illius consentiendi. Anno sequente 416. in Africam reversus, quae Jerosolymis et Diospoli in causa Pelagii gesta fuerant, Episcopis Carthagine in Synodo congregatis exposuit, et Reliquias S. Stephani Protomartyris in Palaestina paulo ante discessum suum inventas primus Africae intulit, innumeris maximisque prodigiis

postea illustres. In Hispaniam dein reversus, quo anno obierit, incertum est. Praeter *Commonitorium*, *sive consultationem de errore Priscillianistarum*, *et Origenistarum*, quae praefigi solet Libro S. Augustini contra Priscillianistas, scripsit *Apologeticum contra Pelagianos de Arbitrii libertate*, et *Libros VII. Historiarum adversus Paganos*, S. Augustino nuncupatos, quo hortatore ad illorum scriptionem animum appulit. Contra Paganos editum est istud Opus, ab exordio mundi ad annum usque Christi 416., qui perturbata et infesta Romano Imperio tempora, calamitatesque publicas ob Christianam Religionem a Diis iratis infligi effutiebant. Prodierunt Coloniae A. 1572., Parisiis 1589., Lugduni Batavorum 1738. studio *Sigeberti Havercampii*, extantque Tomo VI. Bibliothecae Patrum Lugdunensis.

CXCIII. *Paulus Warnefridus*, ex Longebardis parentibus in Italia progenitus, Aquilejensis Ecclesiae fuit Diaconus, et Desiderii, ultimi Longobardorum Regis, Cancellarius. Desiderio Rege devicto, ad restauranda in Galliis collapsa litterarum studia magnis stipendiis evocatus ex Italia, Metis, praecipua Austrasiae urbe, scholam aperuit sub Angilramno Episcopo, regiae stirpis surculo, cujus curis a Carolo Magno Francorum et Longobardorum Rege commissus fuerat. Curarum saeculi dein pertaesus, licet ob singularem doctrinam Carolo Regi charissimus esset, relicta Gallia Casinum profectus, Monasticam ibi S. Benedicti regulam professus est, cui novum vitae institutum Carolus Rex gratulatus est data epistola versibus Latinis concinnata. Aetate jam provecta obiisse creditur initio saeculi IX. Quae Leo Ostiensis narrat de Paulo, eum scilicet collusionis cum Longobardis accusatum, a Carolo Magno in Diomedeam Ita-

driatici maris insulam deportari jussum fuisse, fabulae videntur propinquiora: si enim hac suspicione laborasset, eum in locum minime abductus fuisset, ubi facilius quam antea commercium cum Longobardis exercere, et proditionem fovere potuisset. Genuina Pauli Warnefridi Opera sunt: *Liber de Vita S. Gregorii Magni*, qui ejusdem S. Gregorii Operibus praefigi solet. *Vita S. Cypriani Carthaginensis*, quam *Jacobus Pamemelius* Operibus S. Cypriani praemisit. *Carmine de Vita Sanctorum Benedicti, et Mauri Abbatum, atque Scholasticae Virginis*, quae cum Poëmatibus *Prosperi Martinengi* Romae A. 1590. excusa sunt. *Hymnus in honorem S. Joannis Baptistae*, cujus initium *Ut queant laxis etc.* qui etiamnum in Ecclesia decantatur. *Epistolae*, quarum fragmenta *Stephanus Baluzius* exhibet Tomo I. Miscellaneorum. *Homiliarium Ecclesiasticum* pro totius anni circulo, ex Sanctis et antiquis Patribus jussu Caroli Magni a Paulo Warnefrido collectum, editum Spirae A. 1482., Basileae 1516., Coloniae 1569., cui tamen multae Homiliae Scriptorum, Paulo posteriorum, ab aliis intrusae fuerunt. *Excerpta quaedam de primis Metensium Episcopis* flagitante Angilramno Episcopo, edita a *Marquardo Frehero* Parte I. Corporis Francicae Historiae veteris et sincerae, Hanoviae A. 1613. *Libri VI. Historiae Longobardorum*, et *Libri XXIV. Historiae Miscellae*, qui Tomo XIII. extant Bibliothecae Patrum Lugdunensis, et apud *Ludov. Ant. Muratorium* Tomo I. Scriptorum Rerum Italicarum Mediolani 1723. Porro Libri XXIV. Historiae Miscellae, licet Pauli Diaconi nomen praeferant, non omnes tamen eidem tribuendi sunt. Primi XI. libri *Eutropii* sunt, variis tamen additamentis a Warnefrido interpolati: quinque sequentes, nempe XII. XIII. XIV. XV.

et XVI. quibus Historia ad Justinianum usque Imperatorem continuatur, quique olim teste Leone Ostiensi in duos tantum libros divisi erant, Warnefridum habent authorem. Posteriores VIII. libri sive a Landulpho Sagaci, sive a Joanne Diacono, sive ab alio quocunque, ignoti nominis homine, ex Georgio Syncello, Nicephoro, Anastasio Bibliothecario, Theophane etc. excerpti sunt. Quin et primi XVI. libri, quales *Henricus Canisius* edidit Ingolstadii A. 1603., novis assumentis a quodam fuere interpolati, Eutropium in Eutropio, et Paulum in Paulo vix agnoscas. Patet id conferenti Canisianam editionem cum Lugdunensi in Batavia anni 1594: atque ex MS. Codice Lucensi saeculi XI. dignoscitur, in quo Eutropius eum non nullis quidem interpolationibus, sed non adeo multis ac Miscella exhibetur.

CXCIV. *Petrus*, Blesis, nobilissima Galliae urbe, claris parentibus natus, vir humanis divinisque litteris fuit excultissimus. Artium liberalium curriculum emensus, Bononiam profectus est, Juri Pontificio ac Caesareo operam daturus, cujus utriusque peritissimum fuisse non semel scripta ejus demonstrant. Ex Italia in Gallias reversus, Lutetiae Parisiorum perdiscendae Theologiae se totum tradidit. Stephanum postea Perticensis Comitis filium secutus, anno 1167. in Siciliam delatus est, ubi mox pueritiae Guilielmi I. Siciliae Regis politiori litteratura informandae adhibitus est unius anni intervallo: deinde regiis litteris tabellisque obsignandis praefectus, omnium regni consiliorum particeps factus est. Verum cum illi ob aemulorum quorumdam invidiam diutius non liberet in hoc honoris fastigio conquiescere, e Sicilia digressus, in

Angliam ab Henrico II. Rege vocatus est, ab eoque ad Regem Francorum magnis de rebus missus est. Bathoniensis Ecclesiae in Somersetano Comitatu primum fuit Archidiaconus, postea etiam Londinensis, et Cantuariensis Archiepiscopi Cancellarius, morum integritate ac doctrina spectatissimus, adeo ab ambitione alienus, ut Neapolitanum Archiepiscopatum, ad quem in Sicilia degens electus fuerat, et Roffensem in Anglia Episcopatum bis sibi oblatum recusaverit. Tanta erat in eo ingenii vis ac memoriae, ut de diversis argumentis tribus amanuensibus eodem tempore dictaret, et quartam ipse scriberet Epistolam. Obiisse creditur circa annum 1200.

Genuina Petri Blesensis Opera sunt: *Epistolae* CLXXXIII. *Sermones* de variis argumentis LXV. *Tractatus de Transfiguratione Domini. Tractatus de Conversione S. Pauli. Compendium super Job*, seu *Explanatio in duo priora, et ultimum Jobi capita. Tractatus de Jerosolymitana peregrinatione accceleranda. Instructio fidei ad Soldanum Iconiensem*, A. 1169. ab Alexandro III. missa. *Liber de Confessione Sacramentali. Liber de Poenitentia, vel Satisfactione a Sacerdote injungenda. Canon Episcopalis*, seu *Tractatus de Institutione Episcopi. Invectiva contra depravatorem suorum Operum. Tractatus duplex de Amicitia Christiana. Liber contra perfidiam Judaeorum. Liber de charitate Dei, et dilectione proximi. Tractatus de utiliatem tribulationum. Tractatus de Divisione, et Scriptoribus sacrorum librorum. Tractatus de Eucharistia* metrice. *Continuatio Historiae Ingulfi Croilandensis de Regibus Angliae*, quam anno circiter 1090. ille finierat, usque ad annum 1118. *Ingulfus*

cum continuatione Blesensis prodiit A. 1684. Oxonii e theatro Sheldoniano. Scripsit praeterea, ut ipse Blesensis memorat, *Dialogum ad Henricum Regem: Opus novellum de assertione fidei Librum de rebus gestis: Henrici II. Angliae Regis: Libellum de praestigiis fortunae.* Quae hactenus numquam fuerunt edita. Reliqua superius commemorata Petri Blesensis Opuscula prodierunt Moguntiae A. 1600. cum notis *Joannis Busaei S. J.* una cum Appendice ab eodem ibidem edita A. 1605., ac denique Parisiis A. 1667. cura et studio *Petri de Gussanvilla* Presbyteri Carnotensis.

CXCV. *Petrus*, in Campania Galliae provincia natus, primum Coenobii Cellensis O. S. B. in suburbio Trecarum circa annum 1152., dein S. Remigii apud Rhemenses Abbas A. 1162. electus, Joanni Sarisberiensi, Carnotensi Episcopo, quocum amicitia conjuntissimus erat, in Episcopali Cathedra successit A. 1182. commendatione Guilielmi Cardinalis et Rhemensis Archiepiscopi, apud quem Petrus ob singularem pietatem et doctrinam maximo erat in pretio. Obiit A. 1187., die XXI. Februarii, sepultus in Abbatia S. Mariae de Josaphat O. S. B. Scripsit *Libros IX. Epistolarum* quas eruditis notis a se illustratas edidit Parisiis A. 1613. Jacobus Sirmondus S. J. *Sermones de Tempore, et de Sanctorum Festivitatibus*: *Librum de Panibus* ad Joannem Sarisberiensem: *Libros II. Expositionis mistycae Mosaici Tabernaculi*: *Librum de Conscientia* ad Alcherum Monachum: *Librum de disciplina claustrali* ad Henricum Campaniae Comitem. Opera omnia Petri Cellensis prodierunt Parisiis A. 1671. curis et studio *Ambrosii Janvier O. S. B.* e Congregatione S. Mauri, extantque Tomo XXIII. Bibliothecae Patrum Lugdunensis.

CXCVI. *S. Petrus*, ob auream eloquentiam *Chrysologus* dictus, apud Forum Cornelii in Italia illustri genere natus est. Primos aetatis annos apud Cornelium Forocorneliensem Episcopum egit, e cujus schola prodiit orbem sanctitate et doctrina illustraturus. Anno 433. Ravennatensi Ecclesias Pontifex datus est, non quidem electione populi, sed S. Petri Apostoli, et S. Apollinaris primi Episcopi Ravennatis designatione, qui Sixto III. Romano Pontifici noctu per visum apparuerunt, jusseruntque, ne alium consecraret, nisi illum cujus faciem ipsi per visum monstrabant: erat autem is Petrus, qui forte tunc Romae versabatur, et in coetu populi, cum ageretur de Episcopo Ravennatensibus dando praesens aderat. Fertur donasse Ecclesiae Ravennatensi patenam argenteam miro artificio elaboratam, et pondere divitem, quae etiamnum servatur, et aquae, qua abluitur, coelestem vim sanitatis aegrotis conferendae indit. Eutychetem Archimandritam CPolitanum novae haeresis architectum, qui ejus patrocinium imploraverat, ut sibi apud S. Leonem Magnum adesset, data Epistola, quam Graece et Latine edidit *Gerardus Vossius* ad calcem Operum S. Gregorii Taumaturgi anno 1603. Moguntiae, ad saniora pertrahere conatus est. Observari praecipue merentur illa Epistolae verba: *In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his, quae a Beatissimo Papa Romanae Civitatis scripta sunt, obedienter attendas: quoniam B. Petrus, qui in propria Sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis et fidei, extra consensum Romanae Civitatis Episcopi, causas audire non possumus.* Episcopatu per plures annos sanctissime administrato in patriam se contulit, ibique an-

no 450. die II. Decembris ad recipienda virtutis praemia in coelum abiit, a civibus suis in Ecclesia Cathedrali sepultus ante altare S. Cassiani Martyris, quem peculiari cultu vivens semper prosecutus fuerat. *Homilias* sive *Sermones* CLXXVI. elegantissimos reliquit, qui merito ei Chrysologi nomen indiderunt. Edidit illos *Theophilus Raynadus S. J.* in Heptade Patrum Lugduni A. 1633. Exactam omnino eorumdem editionem adjectis commentariis et notis adornarunt *Dominicus Mita*, Bononiensis Presbyter, Bononiae A. 1643., Coloniae dein 1678. et Venetiis 1742. recusam, ac *Sebastianus Pauli*, Congregationis Matris Dei Presbyter, Venetiis A. 1750. Idem *Dominicus Mita* MSS. Codicum fidem secutus, depravatas quorumdam Sermonum S. Chrysologi inscriptiones correxit.

CXCVII. *S. Petrus*, ob morum gravitatem, vitae sanctimoniam . et eruditionem eximiam *Venerabilis* cognomen promeritus, ex nobilissimo Dominorum de Monte Buxerio stemmate, patre Mauricio, matre Rangarda, in Arvernia progenitus, postquam per annos aliquot militiae operam dedit, abdicatis rebus humanis inter Cluniacenses Monachos a S. Hugone adscriptus, deinde Prior Vezeliacenses, ac demum defuncto Hugone II. Cluniacensis Abbas electus est die assumptae in coelum Virginis, anno Christi 1123., aetatis suae XXX. Vix annis duobus Abbatiae Cluniacensi praefuerat, cum gravissimas insectationes et injurias passus est a Pontio, qui abdicta Abbatia in Palaestinam profectus, indeque facti poenitens reversus, absente tunc forte Petro Cluniacum armata manu occupaverat, resumptisque quos deposuerat fascibus, Monachos ut sibi juramentum fidelitatis praestarent coegit, expulsis reliquis, aut in vincula

conjectis, qui imperia ejus detrectabant. Verum re ad Honorium II. Romanum Pontificem delata, uterque ad Sedem Apostolicam citatus, Romae A. 1126. comparuit. Pontius obstinato animo rebellis, jubente Pontifice, turri munitae includitur, ac paulo post nullo edito poenitentiae signo extinguitur: Petrus per summum nefas Abbatia spoliatus pronuntiatur, jurique suo restituitur. Rebus ita compositis, compressoque Monastico schismate in Gallias reversus, eodem anno Petri de Bruis impia dogmata voce et scriptis oppugnare coepit. Anno 1140. Petrum Abailardum, qui multarum haeresum accusatus, atque a Senonensi Concilio damnatus Romanum iter aggressus erat, interjecta appellatione judicium Summi Pontificis experturus, apud Cluniacenses fortuito divertentem, ab erroribus ad saniorem mentem revocavit, utique in Monasterio Cluniacensi reliquos vitae dies transigeret, persuasit. Anno 1150. ad procuranda Ordinis Cluniacensis negotia Romam contendit, ingenti honore, ac benevolentia ab Eugenio III. Romano Pontifice exceptus. Tandem posteaquam annis ferme XXXIV. Monasterio Cluniacensi, totique Ordini sanctissime praefuit, anno 1156., die XXV. Decembris ex hac vita migravit, in superiore Basilicae Cluniacensis parte sepulturae locum nactus, Henrico Episcopo Wintoniensi solitos Ecclesiae ritus peragente.

Scripta genuina S. Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis sunt, *Libri VI. Epistolarum. Epistola contra eos qui dicunt, Christum numquam se in Evangelio aperte Deum dixisse. Tractatus adversus Judaeorum inveteratam duritiem. Epistola ad S. Bernardum Abbatem Claraevalensem de translatione Alcorani ex Arabico in Latinum*, quam ipse fieri procuravit anno

1143. *Summula quaedam brevis contra haereses, et sectam diabolicae fraudis Saracenorum, sive Ismaelitarum. Tractatus adversus Petrobrusianos. Termo de Transfiguratione D. N. J. C. Libri II. de Miraculis sui temporis. Rythmi, Prosae, Versus, et Hymni. Statuta Congregationis Cluniacensis.* Ediderunt haec S. Petri Abbatis Opera *Martinus Marrier* O. S. B., et *Andreas Duchesnius* in Bibliotheca Cluniacensi Parisiis A. 1614., extantque Tomo XXII. Bibliothecae Patrum Lugdunensis. Epistolas duas antea ineditas exhibet *Joannes Mabillonius* O. S. B. Tomo III. Analectorum, et Dispositionem rei familiaris a Petro Venerabili A. 1149. factam *Stephanus Baluzius* Libro V. Miscellaneorum Parisiis 1700.

CXCVIII. *Petrus Le Mangeur*, Latine *Comestor*, sive *Manducator*, Trecis ad Sequanam natus in Comitatu Campaniae, Ecclesiae S. Petri ejusdem urbis Canonicus, et Decanus, ac postea Cancellarius Ecclesiae B. Mariae Parisiensis, saeculo XII. circa annum 1170. floruit. Posteaquam in Schola Theologica Magister aliquamdiu docuisset, solitudinis ac quietis amantior ad Canonicos Regulares S. Victoris O. S. A. in suburbio Parisiensi se contulit, et ad pietatis juxta ac litterarum studia toto animo incubuit. Obiit die XXI. Octobris anno 1198., aut, ut alii contendunt, anno 1178., in Victorina Basilica sepultus. Petrum Lombardum, Gratianum, et Petrum Comestorem Germanos fratres fuisse ex adulterio natos, quorum mater de peccato suo vix dolere posset, quo tantos viros pepererat, ineptissima est fabula ab Eruditis jam diu explosa, et contrita. Scripsit ad Guilielmum, Theobaldi Campaniae Comitis filium, Senonensem tunc Archiepiscopum,

Historiae Scholasticae Libros XVI., Lugduni dein A. 1543., atque alibi saepius excusos, in quibus Historiam sacram a principio Genesis usque ad finem Actuum Apostolicorum in compendium redegit, adiectis quibusdam Patrum adonationibus, inspersisque non raro externis Historiis, et apocryphis narrationibus. In Longipontensi Cisterciensium Monasterio, dioeceseos Suessionensis, extare dicuntur MSS. *Sermones* CXIV., in Victorina Bibliotheca *Sermones* LXXX. Petri Comestoris, quorum L. scripsit adhuc Presbyter, alios XXX. jam S. Victoris Canonicus. Denique omnes *Sermones*, quos sub Petri Blesensis nomine *Joannis Bussaeus* S. J. Moguntiae edidit A. 1600., *Petrus de Gusanvilla* Petro Comestori tribuendos esse censet. Unde Sermones illos in Editione sua Petri Blesensis Parisiis A. 1667. missos fecit, aliosque LXV. legitimum Blesensis foetum substituit.

CXCIX. *S. Petrus Damianus*, qui perperam a quibusdam confunditur cum Petro de Honestis, Clericorum Regularium Monasterii Portuensis de Dioeçesi Ravennate Priore, quique anno 1119. adeoque annis XLVII. post S. Petrum Damianum obiit, natione Italus, patria Ravennas, vitam monasticam amplexus est in eremo Sanctae Crucis Fontis Avellani, haud procul Eugubio. Ob praeclaram virtutis, et doctrinae famam post aliquot annos a Guidone Abbate Pomposiano ad Coenobium suum accitus est, ut Monachis suis virtute et doctrina exemplo praeiret. Postquam ibi biennium exegisset, ad Fontem Avellanum reversus, Monasterii Prior, ac tandem Abbas renuntiatus est. Anno 1058. Sthephanus IX. Papa eum Cardinalem Episcopum Ostiensem creavit. Quam ille dignitatem cum invicta humi-

litate recusaret, ipsum ad suscipiendas Insulas Apostolico mandato adegit. Quamobrem illum persecutorem suum appellare solebat Vir Sanctus. Sub Romanis Pontificibus Gregorio VI. Clemente II. S. Leone IX. Victore II. Stephano IX. Nicolao II. Alexandro II. egregiam Ecclesiae navavit operam Disciplinae Ecclesiasticae studiosissimus, quam acerrime propugnavit, praesertim contra Simoniacos, Clericos incontinentes, et Laicos consanguineis nubentes. Alexander II. ad Galliarum Archiepiscopos scribens, hoc eum celebravit elogio: *Talem vobis virum destinare curavimus, quo post nos major in Romana Ecclesia non habetur, Petrum Damianum, Ostiensem Episcopum, qui nimirum et noster est oculus, et Apostolicae Sedis immobile firmamentum.* Multis pro Ecclesia legationibus perfunctus, turbas omnes mira dexteritate composuit. Anno 1059. a Nicolao II. Mediolanum missus, ut Simoniam, et Clericorum incontinentiam profligaret, tumultuantes Clericos eloquentia ac rationum pondere compescuit, dictisque suis obsequentes habuit. Anno 1062. ab Alexandro II. in Gallias missus, collapsam in Cluniacensi Monasterio disciplinam restauravit. Sequente anno Florentiam profectus est, ut gravissimum schisma Petrum Episcopum inter et cives ac Monachos Florentinos exortum componeret. Anno 1069. ad Henricum Germaniae Regem, qui Bertam conjugem repudiare in animo habuit, ab eodem Pontifice legatus, scelus id qua salutaribus documentis, qua invicta animi fortitudine impediit. Anno 1072. defuncto Henrico Archiepiscopo Ravennate, qui ob denegatum constanter Ecclesiae Romanae obsequium octennio ante ab Alexandro Pontifice anathemate percussus fuerat, Petrus ad patriam urbem,

quae Episcopo suo adhaeserat, reconciliandam missus, cives omnes poenitentia ductos praeteritae pervicaciae, anathematis vinculo solvit. Re confectam dum Romam properat, Faventiae febre correptus, in Coenobio S. Mariae ad aeternam quietem migravit die XXII. Februarii A. 1072.

Opera omnia *S. Petri Damiani* maxima diligentia collegit, ac III. in folio Voluminibus Romae edidit, I. quidem A. 1606., II. 1608., III. 1615. *Constantinus Cajetanus* Syracusanus, Monachus S. Nicolai de Arena, Congregationis Casinensis O. S. B. Idem Opus addito Tomo IV., quem Cajetanus dudum promiserat, recusum fuit Parisiis A. 1642., atque iterum ibidem A. 1663., Venetiis A. 1743. In I. Tomo continentur *Epistolarum Libri VIII.* Horum I. exhibet Epistolas a S. Petro Damiano scriptas ad Romanos Pontifices, atque ad Cadaloum Antipapam. II. ad Cardinales. III. ad Patriarchas, et Archiepiscopos. IV. ad Episcopos. V. ad Archipresbyteros, et Archidiaconos, Presbyteros, et Clericos. VI. ad Abbates, et Monachos. VII. ad Principes saeculares. VIII. ad Viros illustres, et alias personas privatas. Tomus II. complectitur *Vitas Sanctorum*, nimirum S. Odilonis Abbatis Cluniacensis, S. Mauri Episcopi Caesenatis, S. Romualdi Camaldulensium Institutoris, S. Rodulfi Episcopi Eugubini, et S. Dominici Loricati, Passionem Sanctarum Virginum et Martyrum Florae ac Lucillae, Expositionem Visionum SS. Martyrum Mariani et Jacobi: ac *Sermones* LXXVII. juxta mensium ordinem distributos. Ex horum tamen numero XXV. videntur expungendi, S. Petro Damiano perperam adscripti, scilicet *Sermones de Nativitate Domini, de S. Martino*,

de Rivis fluminis in Vigilia Nativitatis, de S. Stephano, secundus de S. Andrea, de S. Nicolao, atque alii XIX. qui Tomo III. Bibliothecae Cisterciensis inveniuntur sub nomine *Nicolai Monachi Clarae vallis*, de quibus *Oudinum* consule Tomo II. Commentarii de Scriptoribus Ecclesiasticis, columna 689., et 690. Tomus III. Opuscula LX. exhibet diversorum argumentorum, ad Historiam Saeculi XI. illustrandam maxime utilia, quae hic singillatim recensere juvat. I. *Opus de fide Catholica ad Ambrosium.* II. *Antilogus contra Judaeos.* III. *Dialogus inter Judaeum et Christianum.* IV. *Disceptatio Synodalis.* V. *Actus Mediolanenses.* VI. *Liber, qui appellatur* Gratissimus. VII. *Liber Gomorrhianus.* VIII. *De parentelae gradibus, et de gradibus consanguinitatis.* IX. *De Eleemosyna.* X. *De Horis Canonicis.* XI. *Liber, qui appellatur* Dominus vobiscum. XII. *Apologeticum de contemptu saeculi.* XIII. *De perfectione Monachorum.* XIV. *De Ordine Eremitarum, et facultatibus Eremi Montis Avellani.* XV. *De suae Congregationis institutis.* XVI. *In Episcopum, Monachos ad saeculum revocantem.* XVII. *De coelibatu Sacerdotum.* XVIII. *Contra Clericos intemperantes.* XIX. *De abdicatione Episcopatus.* XX. *Apologeticus ob dimissum Episcopatum.* XXI. *De fuga dignitatum Ecclesiasticarum.* XXII. *Contra Clericos aulicos, ut ad dignitatem promoveantur.* XXIII. *De brevitate vitae humanae.* XXIV. *Contra Clericos Regulares proprietarios.* XXV. *De dignitate Sacerdotali.* XXVI. *Contra inscitiam, et incuriam Clericorum.* XXVII. *De communi vita Canonicorum, ad Clerum Fanensis Ecclesiae.* XXVIII. *Apologeticus Monachorum adversus Canonicos.* XXIX.

De vili vestitu Ecclesiasticorum. XXX. *De Sacramentis per improbos administratis.* XXXI. *Contra philargyriam , et vinculum cupiditatis.* XXXII. *De Quadragesima , et 42. Hebraeorum mansionibus.* XXXIII. *De bono suffragiorum , et variis Miraculis.* XXXIV. *De variis miraculosis narrationibus* : addita simili disputatione *de variis apparitionibus , et miraculis* , cum Dissertatione quinquepartita. XXXV. *De picturis Principum Apostolorum.* XXXVI. *De divina Omnipotentia in reparatione corruptae , et factis infectis reddendis.* XXXVII. *De variis sacris quaestionibus.* XXXVIII. *De processione Spiritus Sancti.* XXXIX. *Contra sedentes tempore Divini Officii.* XL. *De ira refraenanda.* XLI. *De tempore celebrandi nuptias* , XLII. *De fide Deo obstricta non fallenda , et de servanda fide Deo praestita.* XLIII. *De laude flagellorum , et disciplinae.* XLIV. *De decem Aegypti plagis , et Decalogo.* XLV. *De simplicitate sancta scientiae instanti anteponenda.* XLVI. *De correptione aequanimiter ferenda.* XLVII. *De Castitate.* XLVIII. *De Spiritualibus deliciis.* XLIX. *De perfecta Monachi informatione.* L. *Institutio Monialis unius ad Blancham.* LI. *De vita Eremitica.* LII. *De bono Religiosi status.* LIII. *De patientia in insectatione improborum.* LIV. *De jejunio Sabbathi.* LV. *De celebrandis vigiliis.* LVI. *De fluxa mundi gloria despicienda.* LVII. *De Principis officiis in coercitione improborum.* LVIII. *De vera felicitate , ac sapientia.* LIX. *De Novissimis , et Antichristo.* LX. *Expositio mystica Libri Geneseos.* Tomus IV. continet *Carmina varia , Orationes , Hymnos* , et *Aenigmata. Lucas Dacherius O. S. B.* Tomo VII. Spicilegii *Sermones V. de Oratione Dominica* edidit sub nomi-

ne S. Petri Damiani; qui tamen in plurimis MSS. Codicibus, atque in impressis omnibus S. Petro Chrysologo adscribuntur. *Libellus de correctione Papae, et Episcopi*, a Protestantibus Argentorati excusus A. 1562., et a *Melchiore Goldasto* Tomo II. Monarchiae illatus, S. Petro Damiano decumana fraude fuit suppositus.

CC. *Petrus Lombardus*, prope Novariam in Longobardia natus, postquam Bononiae scientiis operam dedit, commendatitiis Episcopi Lucensis litteris munitus ad S. Bernardum in Gallias profectus est; cujus curam Sanctus Vir gessit, quamdiu Rhemis fuit, et Lutetiam Parisiorum abeuntem Gilduino S. Victoris Abbati commendavit. Theologiae ea ingenii felicitate et contentione operam dedit, ut ad Theologicam Cathedram paulo post promotus, caeteros Parisiensis scholae Doctores eruditionis ac doctrinae laude superaverit. Primus fuisse dicitur, qui gradus scholasticos Licentiatus ac Doctoratus in Theologia instituit, ut speciosis his atque honorificis titulis Studiosos ad amplectendam Theologiam excitaret, et Privilegiis ascenderet. Praeter *Glossas in Psalterium*, et in *Epistolas S. Pauli*, Parisiis dein A. 1535., et 1541., atque alibi saepius editas, *Libros IV. Sententiarum* conscripsit, Theologorum Scholasticorum, praecipue S. Thomae Aquinatis, et S. Bonaventurae Commentariis illustratos, *Magister Sententiarum* idcirco appellatus. Opus hoc in complures Distinctiones, et IV. libros divisum universam complectitur Theologiam, atque ex anteriorum Patrum scriptis, ac testimoniis concinnatum est, ut adeo Petrus de suo parum contulerit, praeter nexum, quo materiae inter se colligantur. Et quamvis naevis suis non careat; si tamen aetas illa bonis stu-

diis inimica, et depravatus Theologorum illius temporis genius consideretur, qui seposita Scripturarum ac divinae Traditionis authoritate ad vanas quaestiones delapsi, inanibus humani ingenii ratiunculis Theologiam inquinabant, eamque in contemptum passim adduxerant; negari profecto nequit, Petrum hac sua scriptione immortaliter de Ecclesia fuisse meritum, hujusque viri industria et exemplo effectum esse, ut saluberrimae illi, et Catholico orbi necessariae disciplinae et suus ordo constaret, et solidiora ex Scripturis et Patribus depromerentur argumenta ad communienda Catholica dogmata. Critici quidam morosiores Lombardum plagii accusant, ajuntque, expilatum ab eo fuisse *Baudinum*, vel *Bandinum* quemdam, cujus summa Theologica in Libros IV. itidem divisa, Lombardiano Operi perquam simillima, nisi quod compendio referat, quae apud Lombardum fusius disputantur, Viennae curis *Benedicti Chelidonii* A. 1518. et Lovanii prodiit. Qua de re vide *Joannem Vogt* in Catalogo Historico-Critico Librorum rariorum, pag. 67. At cum Bandini aetas admodum incerta sit, altissimumque de illo apud omnes silentium, non perspicio, cur antiqua possessione dejiciendus sit Lombardus, cui et Veterum de Bandino silentium, et communis Eruditorum consensus suffragatur. Malim itaque credere Bandinum obscuri nominis hominem in epitomen redegisse, quae fusiori calamo scripsit Lombardus, quam clarissimae memoriae Theologum aliena scrinia invasisse, quin aemulis suis, quibus profecto haud carebat, fraus ista umquam suboluerit. Verum ut a Libris Sententiarum ad ipsum Petrum, a quo paulisper digressi sumus, revertamur, ex Canonico Carnotensi Parisiensis Episcopus inauguratus

est A. 1159., eam dignitatem adeptus cessione Philippi Ludovici VI. Franciae Regis filii, cujus quondam Praeceptor fuerat. Obiit anno 1164., die XX. Julii, in suburbana S. Marcelli Ecclesia sepultus. Post mortem a Joanne Cornubiensi, Anglo, discipulo quondam suo, apud Alexandrum III. Romanum Pontificem haereseos nomine delatus est, quod Christum ut hominem non esse aliquid docuerit. Quae propositio ejusdem Pontificis jussu a Wilhelmo Senonensi Archiepiscopo, et suffraganeis Episcopis in Parisiensi Synodo congregatis, damnata est. Paulo post contra Petrum Lombardum, tamquam haereticum hominem, quod de essentia SS. Trinitatis perperam sentiret, calamum acuit *Joachimus* Ordinis Cisterciensis, Coenobii Florensis Abbas. Verum ipsius accusatoris doctrina in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. anno 1215. proscripta fuit, et Catholica Lombardi sententia comprobata.

CCI. *S. Philastrius*, cujus patria et natio, quidquid alii divinando asseruerint, ignota est, septimus Brixiensium in Italia Episcopus, saeculo IV. floruit, strenuus Catholicae veritatis adversus Arianos propugnator. Auxentio Mediolanensi, Arianorum duci, in Catholicos grassanti, forti animo restitit invictus Nicaenae fidei athleta, eo nomine ab Auxentio variis injuriis exagitatus. S. Ambrosio Mediolanensium Antistiti magna erat familiaritate conjunctus, et cum eo A. 381. Aquilejensi Synodo interfuit adversus Palladium Arianorum Antesignanum. Obiisse creditur anno 387., forte die XVIII. Julii, quo Ecclesia ejus memoriam celebrat. Successorem in Episcopatu nactus est S. Gaudentium, qui in annua praedecessoris sui festivitate

XIV. saltem ad Brixiensem populum Sermones habuit. In eo enim qui ex illis solus hodiedum extat, ait Sanctus Episcopus: *Nam cum multa meritorum ejus* (S. Philastrii) *praeconia quatuordecim jam per annos solemnitatis hujus cultum renovans, auditui vestro intulerim, plura, quae praedicari adhuc possunt, intacta perspicio.* Scripsit S. Philastrius *Librum de Haeresibus,* quae tam in populo Judaico ante Incarnationem Christi fuerunt, quas XXVIII. numerat, quam quae post Salvatoris nostri adventum exortae sunt, quas CXXVIII. describit. In hoc Opere Sanctus vir mirum Catholicae veritatis amorem ubique spirat; attaman, ut *Bellarminus* ex *S. Augustino* Epist. ad Quodvultdeum observat, haeresibus quandoque accenset ea dogmata, quae eo nomine notari minime merentur, Immo *Labbeus* monet, etsi Philastrius sanctitate et doctrina illustris fuerit, hoc tamen ejus Opus de Haeresibus caute, et cum judicio quibusdam in locis legendum esse, quod non nulla contineat cum placitis sanae Theologiae non satis cohaerentia. Extat S. Philastrii Liber de Haeresibus Tomo V. Bibliothecae Patrum Lugdunensis, eumque notis et observationibus a se illustratum elegantissimis typis excudi curavit Brixiae A. 1738. *Paulus Galeardus*, Canonicus Brixiensis.

CCII. *Philippus de Harveng*, qui perperam a quibusdam confunditur cum Philippo Episcopo quondam Tarentino, dein Monacho Cisterciensi, et Coenobii de Eleemosyna Abbate, Anselmi Laudunensis discipulus, dein Canonicus Regularis Ordinis Praemonstratensis in Coenobio Bonae Spei prope Binchium, Hannoniae oppidum, cum Prior illius domus esset, graves cum S. Bernardo Clarae Vallis Abbate contentiones exercuit,

quod ille Praemonstratensibus quibusdam Canonicis Cisterciensem habitum petentibus impertivisset. Anno 1162. Abbas Bonae Spei electus, Coenobium illud per plures annos insigni probitate et prudentia administravit. Apud Henricum II. Angliae Regem vehementer adnisus est, ut Alexander III. legitimus Pontifex in universa Anglia agnosceretur, ut liquet ex Philippi Epistola ad Alexandrum, quam *Lucas Dacherius* Tomo II. Spicilegii exhibet. Obiit circa annum 1188., senio confectus. Genuina Philippi Abbatis Opera sunt. *Epistolae XXI. Commentarius mysticus in Cantica Canticorum. Moralitates in eadem Cantica. De somnio Nabuchodonosoris. Tractatus de lapsu et salute primi hominis. Tractatus de damnatione Salomonis. Tractatus VI. de Institutione Clericorum*, nempe de eorum dignitate, scientia, justitia, continentia, obedientia, et silentio. *Vita S. Augustini Hipponensis Episcopi. Vita S. Amandi Abbatis Tungrensis. Passio SS. Cyriaci, et Julittae. Passio S. Salvii Martyris. Vita S. Foliani. Vita S. Gisleni Confessoris et Abbatis. Vita S. Landelini Abbatis. Vita S. Odae Virginis. Vita S. Waldetrudis Virginis. Passio S. Agnetis Virginis et Martyris*, carmine elegiaco. Varia *Carmina*, *Epitaphia*, et *Logogryphi*. Omnia haec e MSS. Codicibus eruit, atque edi curavit *Nicolaus Chamart* Abbas Bonae Spei, Ord. Praemonstratensis, Duaci A. 1621. in folio.

CCIII. *S. Phoebadius*, Agenni Nitiobrigum ad Garumnam in Aquitania II. Episcopus, anno 359. cum reliquis Occidentis Episcopis Ariminensi interfuit Synodo, ubi cum Servatione Tungrensi Episcopo pro Fide Nicaena egregie decertans, forti et infracto animo om-

nes Arianorum impetus sustinuit, coram Flavio Tauro, Praefecto professus, se ad exilium potius, omneque supplicium subeundum paratum esse, quam conceptam ab Arianis fidem umquam reciperet. Superstes adhuc erat anno Theodosii Senioris Imperatoris XIII. Christi 392., quo *S. Hieronymus* Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum scribebat, ut constat ex Cap. CXIX., quo ejus meminit. Ecclesia Agennensis Sancti hujus Episcopi memoriam celebrat die XXV. Aprilis. Scripsit *Librum contra Arianos*, in quo Sirmiensem Fidei formulam, ad Gallos anno 358. missam, per singula capita discutit. Prodiit haec cura et studio *Petri Pithaei* cum aliquot Veterum Galliae Theologorum scriptis, Parisiis A. 1586., extatque Tomo IV. Bibliothecae Patrum Lugdunensis.

CCIV. *Photius*, S. Tarasii Patriarchae quondam CPolitani nepos, Sergii Patricii frater, nobilissimis progenitus est parentibus, quippe qui maternum genus ad Imperatores referebat. Quamprimum maturuit, ad summas Reipublicae dignitates ascendit, factus Protospatharius, seu regiorum satellitum dux, Protosecretarius, et Senatus CPolitani princeps. Rerum civilium et politicarum usu, prudentiaque et scientia fuit clarissimus; Grammaticae enim litteraturae, et carminis pangendi, dicendique laude, quin et Philosophiae et Medicinae, et omnium prope liberalium disciplinarum studio cognitioneque tantopere florebat, ut aevi sui facile princeps haberetur, immo et cum Veteribus jam certare posset: omnia quippe in illo concurrerant, aptitudo quaedam, et naturae vis ac felicitas, studium, opes, quibus sibi librorum omnium maximam copiam comparabat, et, quod prae cunctis, laudis ac gloriae

cupido, qua incensus totas noctes, ut lectioni assiduae vacaret, ducebat insomnes. Verum haec decora majoribus vitiis corrupit. Homo fuit, si quisquam alius, superbissimus, ad omne nefas paratus, ut immodicae ambitioni suae litaret; tempori serviens, iisque, qui rerum potiebantur, blandiri assuetus, quo partam iniquis artibus fortunam suam firmaret; odio ac furore erga Romanam Ecclesiam, omneque Latinum nomen ebrius: ex dolis, fraudibus, ac mendaciis consutus, quem si execrabile omnis nequitiae compendium dixeris, nullam profecto illi injuriam intuleris. S. Ignatio CPolitano Patriarchae, quod Bardam Caesarem ob incestam cum nuru stupri consuetudinem a solemni oblatione repulisset, apud Michaëlem III. Imperatorem novarum molitionum accusato, atque ab Episcopis, Aulae obnoxiis, per summum nefas exauctorato substitutus est Photius, homo laicus, qui jam pridem animo schismatico a Praesulae suo vehementissime dissidebat.

Renuntiatum ut se Patriarcham inaudiit, primo die e laico Monachum induit, insequentibus quatuor diebus a Gregorio Syracusano Episcopo, quem scelerum ergo gradu suo dejecerat Ignatius, cujusque electionem comprobaverat Benedictus III. Romanus Pontifex, reliquis sacris Ordinibus et Episcopatu initiatus, sexto demum die, eo nempe, quem suo in terras adventu Christus consecraverat, sacrum tribunal A. 857. conscendit, pacemque populo annunciavit, quam toto Orientis imperio vix satis revehendam amplius proscripturus erat. Inde tyrannide in Ignatium, ejusque amicos versa, quos omni injuriarum genere vexavit, Legatos misit ad S. Nicolaum I. Romanum Pontificem cum litteris, quibus fidei professionem inseruit, men-

tiens, Ignatium senio morbisque confectum Patriarchatu se abdicasse; se vero, secedente Ignatio, electum omnium Metropolitanorum totiusque Cleri suffragiis, vimque ab Imperatore sibi factam, ut Patriarchalis Throni fastigium ascenderet. Nicolaus his acceptis litteris graviora suspicatus, Rodoaldum Portuensem, et Zachariam Anaguiae Episcopos in Orientem misit ad Ignatii et Photii causam diligentius investigandam. Qui ut CPolim A. 861. pervenerunt, minis Imperatoris fracti, ac Photii muneribus illecti, turpiter fidem fregerunt, electionem Photii in Synodo, eodem anno CPoli habita, comprobantes, licet ille Nicolai Pontificis litteras a Legatis sibi traditas ut secundum Conciliorum morem publice legerentur, immutarit pro libito suo, ac mutilarit. Nicolaus re comperta, anno 863. coacto Romae Concilio Photium deponit, Legatos suos anathemati subjicit, et Ignatium restituit. Furit Photius mortalium audacissimus: tum omnia perfringens repagula, vicissim in Nicolaum novus Dioscorus fulmen viribus cassum intorquet, et convocata iterum Synodo schisma confirmat, multa Latinae Ecclesiae crimini vertens, praecipue quod doceret, Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere, quodque vocem *Filioque* Symbolo inseri passa fuisset.

Barda Caesare et Michaële III. Imperatore interfectis, Basilius Macedo A. 867. rerum potitus, latam a Nicolao sententiam executurus, expulso Photio Ignatium restituit. Hadrianus II. S. Nicolai successor, congregata A. 868. Romae Synodo Decessoris sui judicium confirmat, sacro fulmine in Photium iterum vibrato; datisque ad Basilium Imperatorem litteris Generalem Synodum CPoli celebrari mandat, ad consa-

nanda Ecclesiae Orientalis vulnera, quae illi praeceps Photii temeritas et superbia inflixerant. Habitum est praesentibus Sedis Apostolicae Legatis Concilium Oecumenicum VIII. seu *CPolitanum IV.* anno 869., in quo omnia, quae pro Ignatio hactenus gesta erant, confirmata sunt, Photius anathemate iterum perstrictus, atque in exilium pulsus. Verum anno 874. in Aulam reversus est homo tota fallendi arte imbutus, amicorum, quos CPoli habebat, ope adiutus. Genealogiam Basilii Imperatoris commentus erat, qua perobscurum ejus genus a magno Tyridate Armenorum Rege ducebatur. Hanc ementitis characteribus descriptam, et antiquis chartis obvolutam, additis quibusdam de Basilio vaticiniis, in Palatina Bibliotheca recondi curaverat a Theophane fraudis conscio, qui libri illius indicio ad Imperatorem delato, ut Photius litteris omnibus instructissimus adhuc in exilio degens CPolim revocaretur effecit, ad res illas et vaticinia reseranda. Praestitit illud homo vaferrimus et mendecissimus, eamque apud Basilium iniit gratiam, ut anno 878. demortuo S. Ignatio successor datus, in Sedem Patriarchicam denuo irrepserit. Interpellatus a Basilio Imperatore Joannes VIII. Romanus Pontifex, precibusque victus, annuit tandem pacis et Ecclesiasticae unionis amore, ac Photium in communionem et Sedem restituit, ea lege tamen, ut in Synodo coram Sedis Apostolicae Legatis celebranda veniam postularet, aliisque conditionibus adjectis.

Missi itaque sunt CPolim cum Oratoribus Basilii Pontificii Legati ad componendum Ecclesiae CPolitanae statum juxta mandata Sedis Apostolicae in Commonitorio contenta. Photius illico Epistolas et Commonitorium

Summi Pontificis ab imprudentibus et ignavis Legatis petiit, obtinuitque, specie quidem ea vertendi in linguam Graecam, ut in Synodo mox celebranda significarentur Orientalibus Episcopis, revera autem ut eas pro arbitrio truncaret, interpolaretque. Hac adornata fraude Synodus habita est CPoli A. 879., cui Imperator cum filiis, Legati Patriarcharum, ac CCCLXXX. Episcopi Photii partibus devoti interfuerunt. Praefuit Synodo Photius ipse, quamvis ejus causa ageretur; adeo longe aberat a roganda coram Synodo venia, caeterisque conditionibus implendis, sicut Joannes VIII. indixerat: Legati Sedis Apostolicae ipsi assidebant, Romani Pontificis Majestatem, et legationis suae authoritatem ignava conniventia indegnissime prodentes. Quinque Actionibus absoluta est Photiana illa Pseudo-Synodus, in qua majore quam antea impetu in Romanam Ecclesiam virus effusum est; proscissa enim in eo conventiculo fuit Romanorum Pontificum S. Nicolai I. et Hadriani II. memoria, Photii restitutio confirmata, Oecumenicum VIII. Concilium abrogatum: statutum denique hanc Photianam Synodum habendam esse pro Oecumenica VIII., quam nostris etiam temporibus Graeci Schismatici lambunt, ac venerantur et ut divinum quoddam oraculum observant, atque custodiunt. Joannes VIII. intellecta Legatorum suorum praevaricatione, Acta hujus Pseudo-Synodi rescidit omnia, novoque Photium anathemate devovit: cui sententia adhaeserunt Joannis successores, Marinus I., Hadrianus III., et Stephanus V.

Tandem homo turbulentissimus anno 886. post mortem Basilii Macedonis ab ejusdem filio, Leone VI. Imperatore, male parta dignitate exutus, et vulgata in eum proscriptionis sententia in Armeniorum Monaste-

rium, quod Bordonis dicebatur, deportatus est; ubi circa annum 891. infelicissimi schismatis auctor vivere, et furere desiit. Demortuum schismatici Sectatores Graeci non modo miris fictisque laudibus extollunt, sed etiam Sanctissimum appellant. His *Caveus*, aliique passim Heterodoxi suffragare videntur, qui Photii innocentiam, mansuetudinem, ac modestiam, Sanctissimo viro Ignatio subinfensi, mire depraedicant contra fidem veterum Scriptorum, qui de Photio agunt: culpam vero funestissimi illius schismatis non in Photii, sed in Romanorum Pontificum S. Nicolai I. praecipue, atque Hadriani II. superbiam conjiciunt. Nempe quo quis erga Romanos Pontifices, Sanctamque Romanam Ecclesiam fuit impudentior, eo firmius sibi plerumque a Protestantibus patrocinium polliceri potest, nulla habita aequitatis ratione.

Multa scripsit Photius, quae partim in lucem edita sunt, partim in MSS. Bibliothecarum Codicibus latent anecdota, seu nondum edita. Edita sunt: *Myriobiblon*, sive *Bibliotheca*, a Photio adhuc laico scripta, in qua Veterum Authorum CCLXXX. Opuscula circiter MCDL. excerpta, et accurate dijudicata continentur. Opus sane eruditissimum, et immensae lectionis, quod *David Haeschelius* Graece primus edidit Augustae A. 1601., Graece et Latine scholiis illustratum *Andreas Schottus S. J.* Genevae 1613., et Rothomagi 1653. *Epistolae* CCXLVIII. una cum auctario quinque aliarum de rebus in Jure Canonico Orientalium dubiis, ex versione et cum notis *Richardi Montacutii* Angli, Pseudo-Episcopi Norvicensis, prodierunt Londini 1651. *Epistola ad Archiepiscopum Aquilejensem*, Graece et Latine in Auctario novissimo *Combefisii O. P.* Parisiis

1672. *Epistola ad Theophanem Monacum*, quam Graece et latine Prolegomenis suis in Theophanis Ceramei Homilias inseruit *Franciscus Scorsus S. J.* Parisiis 1644. *Epistola ad Nicolaum Papam*, atque altera ad eumdem triennio post scripta, extant apud *Baronium* Latine tantum in Annal. Eccles. ad annum 859., et 861. *Nomocanon*, sive Canonum Ecclesiasticorum, et Legum Imperialium de Ecclesiastica disciplina conciliatio, in titulos XIV. distributa. Prodiit ad calcem Commentariorum *Balsamonis* Parisiis 1620., atque in Bibliotheca *Justelliana* Juris Canonici Parisiis 1662. Tomo II., una cum prolixis Photii *Prolegomenis*, antea ineditis, ex MS. Codice Bibliothecae Oxoniensis ab Usserio descriptis. *Homilia in diem natalem B. M. V.* Graece et Latine in Auctario novo *Combefisii* Parisiis 1648. Tomo I. *Descriptio novae Ecclesiae B. Virginis in Palatio, a Basilio Macedone extructae*, Graece et Latine a *Petro Lambecio* eruta, et *Codino* subnexa Parisiis 1655. *Liber de Voluntatibus quae in Christo dicuntur Gnomicae*, Latine tantum prodiit ex versione *Francisci Turriani S. J.* in Auctario Antiquae Canisii Lectionis *Stevartiano* Ingolstadii A. 1616. *Epistola unica, et Tractatus brevis* Graece et Latine Tomo II. Monumentorum Ecclesiae Graece apud *Joan. Bapt. Cotelerium* Parisiis 1681. *Dissertationes VI. de Divinitate, et Incarnatione* quae Latine tantum prodierunt ex interpretatione *Francisci Turriani S.* J. Tomo V. Antiquae Lectionis *Henrici Canisii* Ingolstadii 1604. *Libellus de Synodis*, toties editus, nihil aliud est, quam pars Epistolae, quam ad Michaëlem Bulgariae Principem scripsit *de Officio Principis*; ac proinde inter Epistolas Photianas a Montacutio editas primum locum obtinet.

Anecdota, sive inedita adhuc Photii opuscula, quae Graece tantum extant in MSS. Codicibus Bibliothecarum, Vaticanae, Vindobonensis: Bodlejanae, Parisiensis, Cantabrigiensis etc. sunt: *Commentarius in Epistolas B. Pauli*, ex quo multa excerpsit et in rem suam transtulit Oecumenius *Quaestiones, et Dubia ad Amphilochium Cyzici Metropolitam de variis S. Scripturae locis. Liber de Episcopi, et Metropolitis*, aliisque quaestionibus contra Romanos sive Latinos, ex Scriptis Synodicis et Historicis collectus, et decem quaestionibus distinctus. *Odae IX. Prophetarum Liber cum expositione. Lexicon. Liber in Categorias Aristotelis. Syntagma Canonum*, sive Index materiarum, quae continentur LXXX. Canonibus Apostolicis. *Symbolum fidei compositum pro iis qui ordinandi sunt Episcopi. Annotatio Historica de Patriarchis Sede sua injuste pulsis. Disputatio compendiaria de processione Spiritus Sancti a solo Patre, capitulatim conscripta, et ad quemdam ex Latinis missa. Libri II. de Spiritu Sancto, ejusque processione adversus Latinos. Libri IV. de nova Manichaeorum repullulatione. Epitome Actorum septem Conciliorum Generalium. Epistola ad Zachariam Armeniae Patriarcham*, qua Concilii Chalcedonensis causam strenue agit. *Historica Synopsis ad Leonem Imperatorem.* Plura de Photii Scriptis vide apud *Caveum*, et *Oudinum.*

CCV. *S. Polycarpus*, B. Joannis Apostoli discipulus, atque ab eodem ordinatus Smyrnensium in Asia minore Episcopus, orta gravi de die Paschatis celebrando controversia, Antonino Pio imperante Romam se contulit ad S. Anicetum Pontificem, ut res haec collatis sententiis componeretur. Juxta morem ab Arianis re-

ceptum contendebat Polycarpus, Pascha celebrandum esse Luna quartadecima Martii, in quemcunque hebdomadae diem incideret: Pontifex vero agendum esse die Dominico, quia proxime sequitur Lunam quartam decimam post vernum Aequinoctium illucescentem. Suam uterque sententiam tuebatur Traditione Apostolica, alter quidem a S. Petro accepta, alter vero a S. Joanne Evangelista, ut ajebat, derivata. Quamobrem cum inter se convenire non potuissent, re nondum satis discussa, ab suscepto certamine, dissidentidus quidem sententiis, amicis tamen animis discessere. Romae cum ageret, multos e Valentini et Marcionis secta ad sinum Ecclesiae reduxit: semel vero obvium cum habuisset Marcionem, interroganti num se novisset, respondit: *Novi primogenitum Satanae.* Haereticos adeo aversabatur, ut nollet sub eodem tecto cum illis versari, timens, ne subita domus ruina cum illis involveretur. Si quid doctrinae Catholicae adversum referri audiret, aures occludebat, exclamare solitus: *Bone Deus! in quae me servasti tempora?* In Asiam reversus paulo post a Gentilibus comprehenditur: jussusque in Christum jactare blasphemias, cum forti animo id renuisset, sedente Proconsule, et universo Smyrnensi populo adversus eum in Amphitheatro personante, igni traditur. Cum autem flamma circa Martyrem fornicis instar haesisset suspensa, Proconsulis jussu pugione confoditur: quo ex vulnere sanguis magna copia erumpens ignem extinxit, Sanctissimus vero Martyr laureatam animam coelo transcripsit anno aetatis LXXXVI., forte die XXVI. Januarii, quo S. Martyris triumphum Latina Ecclesia celebrat, quamquam, quo anno et die obierit, certo non constet. Martyris corpus in cineres

redegerunt Ethnici, hortantibus Judaeis, ne reliquias ejus, ut falso criminabantur, divino honore prosequerentur Christiani. Ossa tamen ejus semiambusta, frustra ringentibus Judaeis, magna cura collegerunt Christiani, et sepulcro honorifice intulerunt, Passionis illius memoriam celebrato quot annis die festo recolentes, ut Smyrnensis Ecclesia in Epistola de Martyrio S. Polycarpi ad Philadelphios et omnes Catholicas mundi Ecclesias testatur.

Scripsit S. Polycarpus *Epistolam ad Philippenses*, quae omnes germanae antiquitatis notas praesefert, quidquid heterodoxi quidam hypercritici cum Joanne Dallaeo obganniant. Neque vero ipsa tantum Epistola Apostolici Viri characteribus insignita est, sed testes etiam locupletissimi, omnique exceptione majores, eam Polycarpo tribuunt, nempe *S. Irenaeus*, Polycarpi discipulus, Lib. III. adv. Haereses, Cap. III. *Eusebius* Lib. III. Hist. Eccles. Cap. XXX. *S. Hieronymus* in Lib. de Scrip. Ecclesiasticis, ut Theodoretum, Maximum Martyrem, Photium, aliosque silentio praeteream. Epistolam S. Polycarpi ad Philippenses ediderunt Graece et Latine *Petrus Halloix S. J.* in Vitis illustrium Ecclesiae Orientalis Scriptorum, Tomo I. Duaci 1633. *Jacobus Usserius* in Appendice Ignatiana Londini 1647. *Joannes Bapt. Cotelerius* in Patribus Apostolicis, Tomo II. Parisiis 1672., una cum Epistola Ecclesiae Smyrnensis de Martyrio S. Polycarpi.

CCVI. *S. Possidius*, natione Afer, S. Augustini in Monasterio discipulus, et per annos ferme XL. familiaris, non tantum sacras ab eo Litteras didicit, sed morum quoque sanctimoniam ita feliciter assecutus est, ut tanti magistri, et in Christo parentis imaginem pro-

xime referret. Defuncto Megalio Calamensi in Numidia Episcopo successor datus, gravissimas a Gentilibus, et Donatistis haereticis insectationes pro Christo est passus. Ejus contra Donatistas certamina, et praecipue contra Crispinum, Donatisticae sectae Calamensem Pseudo-Episcopum, a cujus cognomine Presbytero insidiis appetitus, et fustuario exceptus est; nec non Episcopalem mansuetudinem, qua pro ipso intercessit, ne mulctam decem librarum auri, Principis lege Haereticis indictam, solvere cogeretur, *S. Augustinus* refert, ac commendat Libro III. contra Cresconium, Cap. XLVI., et XLVII. Anno 410. a Carthaginensi Concilio cum tribus aliis Afris Episcopis Romam ad Honorium Imperatorem missus, Rescriptum obtinuit ad Heraclianum Comitem Africae defensorem directum, quo addita transgressoribus proscriptionis et mortis inferendae poena liberum et publicum suae religionis exercitium Donatistis vetabatur, jubebanturque publicum de Religione certamen cum Catholicis inire, quod Catholici Africae Episcopi medium esse ad eximendum populis errorem opportunissimum judicabant. Celeberrimae Collationi Carthaginensi contra Donatistas anno 411. interfuit, ac Milevitanae Synodo A. 416. adversus Pelagii et Coelestii doctrinam celebratae. Vandalis Africam depopulantibus A. 430. cum vicinis Episcopis Hipponem Regium confugit ad Augustinum Magistrum suum, qui eodem anno die XXVIII. Augusti, adstante inter alios Possidio, ad Superos abiit. In exequiis Sacrificium Deo praesentibus Episcopis Possidius obtulit, Patri suo usque ad extrema inseparabiliter adhaerens, atque postrema, ut docuit, charitatis officia exhibens. Quo anno, mense, ac die S. Possidius obierit, incertum est. Nomen ejus Romano Martyrologio inscriptum

est ad diem XVI. Maji. Scripsit *Vitam* Magistri sui *S. Aurelii Augustini* Hipponensis Episcopi, omniumque *Librorum ejus*, *Epistolarum*, *ac Sermonum Indiculum*, sive Catalogum, quae extant Tomo X. Operum *S. Augustini* Maurinae Editionis, Venetiis A. 1733. recusae, et apud *Bollandi* Continuatores Tomo VI. Augusti in Vita S. Augustini.

CCVII. *Primasius*, natione Afer, Adrumetinus in Byzacena provincia Episcopus, unus ex iis erat, qui ab Africae Episcopis ad res Ecclesiae suae procurandas CPolim ad Justinianum Imperatorem missi sunt A. 550. Trium Capitulorum acerrimus primum fuit defensor; sed a Justiniano in Monasterium relegatus, meliora sapere edoctus est, Episcopatui suo idcirco restitutus. Scripsit *Commentaria in Epistolas B. Pauli*, ex quibus multa sublegit, et in suas areolas ex illo fonte derivavit Haymo Halberstadiensis Episcopus: et *Commentaria mysticae expositionis in Apocalypsin* ad Castorium, quinque libris distincta. Prodiit utrumque Opus cura et studio *Joannis Gagnaei* Lugduni A. 1543., extatque Tomo X. Bibliothecae Patrum Lugdunensis. Libri ejus III. *de Haeresibus* ad Fortunatum Episcopum in quorum primo ostendit, quid Haereticum faciat, in secundo et tertio, quid Haereticum demonstret, jam dudum interiisse videntur.

CCVIII. *S. Proclus*, discipulus et anagnostes S. Joannis Chrysostomi, Attici ejusdem Urbis CPolitanae Archiepiscopi Amanuensis, ac Diaconus, a Sisinnio Attici successore Presbyter, ac dein Cyzicenorum Episcopus inauguratus est. Eo dum profectionem parat, praevertentes eum Cyziceni Dalmatium quemdam Monachum sibi Episcopum cooptarunt. Mansit itaque Pro-

clus CPoli, ubi verba ad concionem faciendo maximam gloriam adeptus est, praecipue anno 429. festo die Annuntiationis B. Mariae, qua eam, praesente Haeresiarcha Nestorio, vere Deiparam esse ostendit Oratione elegantissime concinnata, quae magnos popoli plausus tulit. Damnato Ephesi Nestorio anno 431., S. Coelestinus Romanus Pontifex, ob praeclara Viri merita, Proclo veniam indulserat, ut populi votis expetitus a Cyzicena Cathedra, quam ut diximus, numquam adierat, ad CPolitanam transferretur. Verum ea vice S. Maximianus Monachus Presbyter CPolitanis Archiepiscopus datus est; cui demum anno 434. demortuo Aprili mente Proclum suffecit Theodosium II. Imperator. Regiae Urbis Archiepiscopus creatus lenitate singulari et mansuetudine Haereticos ad saniora pertrahere conatus est. Anno 435. data ad Armenos Epistola Nestorii et Theodori Mopsuesteni errores damnavit, intacto tamen Theodori nomine, ne pacem Ecclesiarium turbaret, et Joannem Antiochenum offenderet, cui haud ingrata erat Mopsuesteni memoria, quod eum in pace et communione Catholica obiisse crederet, quamvis errores ejus improbaret. Anno 438. die XXVII. Januarii ejus potissimum consilio corpus S. Joannis Chrysostomi Comanis sepultum, CPolim deportatum est, ac maxima pompa Ecclesiae SS. Apostolorum illatum, Theodosio Imperatore veniam rogante nomine parentum Arcadii et Eudoxiae, qui Sanctum virum imprudentes offenderant. Obiit S. Proclus CPoli A. 446. mense Julio, vel Augusto, quamvis Ecclesia diem XXIV. Octobris ejus cultui deputaverit, successorem nactus S. Flavianum, gloriosa cum Eutychete dimicatione illustrem. Scripsit *Orationes* seu *Homilias XX. Tractatum de Traditionibus Missae divinae. Epistolam ad Armenos*

de Fide: *tres ad Joannem Antiochenum*: *unam ad Maximum Diaconum*: *unam ad Dominum Antiochenum pro causa Athanasii Perrhenorum Episcopi*. Omnia haec S. Procli Opuscula Commentariis illustrata Graece et Latine edidit *Vincentius Riccardus*. Clericus Regularis Theatinus Romae A. 1630., extantque Tomo VI. Bibliothecae Patrum Lugdunensis.

CCIX. *Procopius*, Gazaeus ab urbe quam incoluit dictus, (alius omnino a Procopio Caesariensi, cujus extant *Libri VI. de aedificiis Justiniani*, *II. de Bello Persico*, *II. de Bello Vandalico*, *IV. de Bello Gothico*, *et Historia arcana*) professione fuit Sophista, floruitque Saeculo VI. sub Justino seniore circa annum 520. Scripsit *Commentaria in Genesim*, *Exodum*, *Leviticum*, *Numeros*, *Deuteronomium*, *Josue ac Judices*, ex vetustissimis Orthodoxorum Patrum, aliorumque Scriptorum enarrationibus in unum corpus, et perpetuum interpretationis contextum accuratissime concinnata, quae Latine tantum excusa sunt Tiguri A. 1555. Conrado Clausero interprete: *Scholia in Libros IV. Regum*, *et duos Paralipomenon*, Graece et Latine edita a Joanne Meursio Lugduni Batavorum A. 1620. *Variorum in Isajam Prophetam Commentariorum Epitomen*, quae Graece et Latine Parisiis prodiit A. 1580. Joanne Curterio interprete. Ejusdem Procopii *Commentaria in Proverbia*, *Cantica Canticorum*, *ac XII. Prophetas minores*, quamvis in MsS. Codicibus Bibliothecarum Graece extent, nondum tamen luce publica donata sunt. *Epistolae* aliquot Procopii valde elegantes, ab *Aldo Manutio* in Volumine Graecarum Epistolarum impressae, an ad Gazaeum hunc, vel ad alterum Procopium Caesariensem pertineant, certo dijudicari nequit.

CCX. *S. Prosper*, in Aquitania Galliarum provincia natus, Saeculo V. floruit. Sacerdotio eum initiatum non fuisse, ac multo minus Episcopatu, silentium Veterum omnium, Victorii Aquitani, S. Fulgentii, Victoris Tunonensi, Gennadii, S. Adonis Viennensi, Hincmari, Flori, Rabani Mauri, aliorumque medii aevi Scriptorum, aperte ostendit, qui Prosperum non alio titulo exornant quam *Sancti*, *religiosissimi*, ac *venerabilis viri*; cum tamen aliis, qui gradum illum conscenderant, Presbyteri, aut Episcopi nomen accurate tribuant. Primus eum Honorius Augustodunensis, saeculis VII. Prospero posterior, aut forte Honorii interpolator quidam, Episcopum creavit; quem posteriorum temporum Scriptores secuti, in assignanda ei Episcopali Cathedra inter se certarunt, quibusdam Regii Lepidi in Italia, aliis Rejensem in Narbonensi Gallia Episcopum fuisse contendentibus. Caeterum quamvis S. Prosper homo laicus fuerit, ac conjugio implicatus, Theologicorum tamen dogmatum fuit scientissimus, et Augustinianae doctrinae ante et post obitum Augustini acerrimus in Galliis defensor; pro cujus vindiciis Romam ad Coelestinum Pontificem profectus, insigne Rescriptum ad Galliarum Episcopos contra Semipelagianos Massilienses ab eo impetravit. Vide hac de re plur. Tomo V. Theol. Dogmatico-Polemicae in Dissertatione Historica III. de Semipelagianis, Num XLVII. et sequentibus. Post annum 440. Romam a S. Leone Magno Pontifice evocatus dicitur, eique adfuisse in Epistoli scribendis, ea praesertim celeberrima ad S. Flavium CPolitanum de Fide Incarnationis Epistola, qua Nestorii et Eutychetis haereses profligatae sunt, ut Gennadius Massiliensis ejusdem saeculi Scriptor testatur. Obiis se creditur circa annum 456.

Genuina S. Prosperi Aquitanici Opera sunt: *Epistola ad Rufinum de Gratia et libero arbitrio. Responsiones ad Capitula objectionum Gallorum, doctrinam S. Augustini calumniantium. Responsiones ad Capitula XVI. objectionum Vincentianarum, Responsiones ad Excerpta, quae de Genuensi civitate sunt missa: seu Dubiorum IX. ex Augustini libris de Praedestinatione Sanctorum, et Dono Perseverantiae objectorum solutiones. Liber contra Collatorem*, seu de Gratia Dei et libero arbitrio pro S. Augustino contra Cassiani Collationem XIII. *Liber Sententiarum ex Operibus S. Augustini excerptarum*, sententias CCCLXXXVIII. complexus. *Epistola ad S. Augustinum* de reliquiis Pelagianorum, quae inter Augustinianas est ordine CCXXV. Omnia haec hactenus enumerata extant Tomo X. Operum S. Augustini, Editionis Maurinae. *Commentarius in Psalmum centesimum, et posteriores usque ad CL. Liber Epigrammatum XCVIII.* ex sententiis S. Augustini. *Poëma heroicum de Ingratis* adversus Pelagianos. *Epigrammata duo in obtretractorem Augustini Episcopi. Epitaphium Nestorianae et Pelagianae haereseos. A Uxorem metrum Anacreonticum cum Elegiaco.* Quae omnia exhibentur Tomo VIII. Bibliothecae Patrum Lugdunensis. *Confessio fidei* a *Jacobo Sirmondo S. J.* primum edita ex Codice Vaticano post S. Eugenii Toletani Opuscula Parisiis A. 1619. *Chronicon* ab Adami, Mundique ortu ad annum 455. cum adnotatione Consulum Romanorum a duobus Geminis Consulibus, et anno Christianae Aerae 28. usque ad Valentiniani Augusti VIII. et Anthemii Consulatum. Integrum hoc Chronicon, quod antea maxima sui parte mutilum erat, edidit *Philippus Labbeus S. J.* Tomo I. Novae Biblio-

thecae MSS. Librorum, Parisiis A. 1659. *Consulare* vero, seu vulgatum; quod antea dicebatur Prosperi Chronicon, Eusebiano ejusque Appendici Hieronymianae ab anno 379. ad 445. Valentiniano Aug. VI. et Nonio Coss., in praecedentibus editionibus adiungi solitum, primus additis X. annorum periochis usque ad annum 455., et captam a Genserico Urbem ex Codicibus MSS. Sirmondi et Chiffletii vulgavit *Andreas Duchesnius* Tomo I. Historicorum coaetaneorum Franciae, Parisiis A. 1636.

Dubia S. Prosperi Aquitanici Opera sunt: *Chronicon*, quod ab anno 379. non per Consules, sed per adnotatos in margine Imperatorem annos procedit, et in annum 455. desinit, *Imperatorium* id circo dictum, atque etiam *Pithaeanum*, quod a *Petro Pithaeo* editum fuerit Parisiis A. 1588. Multi ex Eruditis cum Norisio Oudino etc. Chronicon hoc, quod innumeris scateat mendis, authoremque prodat in Historia IV. et V. saeculi valde peregrinum et hospitem, Prospero Aquitanico abjudicant, et *Prospero Tyroni* tribuunt, aut omnino sequiori aevo procusum autumant. *Libri II. de Vocatione Gentium.* Hos aliqui S. Ambrosio adscripserunt, sed perperam; quod eo vivente Pelagiani nondum exorti fuerint: alii cum Quesnello S. Leoni Magno: quidam S. Prospero Aquitanico: alii demum Prospero Aurelianensi Episcopo, aut Hilario Arelatensi, vel Eucherio Lugdunensis. At forte nullus rem acu tetigit; videtur enim jam saeculo V. ignotus fuisse horum librorum author, quia *S. Gelasius I.* nullius expresso nomine Authorem librorum illorum vocat *quemdam Ecclesiae Magistrum. Epistola ad Demetriadem* Virginem eumdem habuisse authorem, quem Libri II. de Vocatione Gen-

tium, ex styli, doctrinae, et conceptuum similitudine dignoscitur.

Supposititia sunt, ac S. Prospero Aquitanico perperam adscripta: *Carmen de providentia divina. Liber de Promissionibus, et Praedictionibus Dei* in tres partes divisus, qui Episcopum quemdam Afrum, forte Prosperum nomine, in Italiam temporibus Vandalicae irruptionis, circa annum 430. delatum, videtur authorem habuisse *Libri III. de Vita contemplativa*, Juliani Pomerii Opus S. Prosperi Aquitani Opera omnia ad Manuscriptos Codices, nec non ad Editiones antiquiores, et castigatiores emendata, ac secundum ordinem temporum disposita edidit Anonymus quidam Parisiis A. 1711. in folio, recusa dein Venetiis A. 1744.

CCXI. *Aurelius Prudentius Clemens*, Poëta Christianus, natione Hispanus, Tarracone, aut Caesaraugustae natus anno 348. Philippo et Salia Coss., juvenis adhuc eloquentia forensi operam dedit, Causidicus deinde factus, ac demum Palatinus miles. Multa scripsit poëmata vario metrorum genere. Extant hodiedum ejus *Psycomachia*, sive pugna vitiorum et virtutum. *Cathemirinon*, hoc est, diurnarum rerum opus. *Peristephanon*, seu de coronis Martyrum. *Apotheosis*, sine de Divinitate. *Hamartigenia*, sive de origine peccatorum. *Libri II. contra Symmachum, ac veterem Deorum Gentilium cultum. Enchiridium Veteris ac Novi Testamenti.* Prudentii Poëmata eruditis notis illustrata prodierunt Amstelodami A. 1667. cura *Nicolai Heinsii*, et Parisiis 1687. studio *Stephani Chamillard*, ad usum Serenissimi Delphini.

CCXII. *S. Prudentius*, natione Hispanus, Tricassinae Ecclesiae in Galliis Episcopus, sub Rege Carolo Calvo floruit saeculo IX. Interfuit Synodis Parisiensi

A. 846., Turonensi IV. A. 849., et Suessionensi II. A. 853. Rogatus a Wenilone Archiepiscopo Senonensi, calamum strinxit adversus Tractatum Joannis Scoti Erigenae de Praedestinatione. Quid de morte Christi pro omnibus hominibus obita senserit, et an Gothescalco ea in re suffragatus sit, diximus Theologiae Dogmatico-Polemicae Tomo V. Num. LXXVIII. Obiit anno 861., die VI. Aprilis, quo Tricassina Ecclesia ejus memoriam celebrat. Scripsit *Tractatum de Praedestinatione*, cujus paulo ante meminimus, adversus Joannem Scotum Erigenam, quem una ejusdem *Recapitulatione*, *et Tractoria Epistola adversus quatuor Capitula Carisiaca* edidit *Gilbertus Mauguinus* in Collectione Veterum Authorum, qui saeculo IX. scripserunt de Gratia et Praedestinatione, Tomo II. Parisiis A. 1650. Item *Collectaneum de tribus Epistolis ad Hincmarum Rhemensem, et Pardulum Laudunensem Episcopos*, editum a *Ludovico Cellotio S. J.* ad calcem Historiae suae Gothescalci, Parisiis 1655. Quae omnia extant Tomo XV. Bibliotheca Patrum Lugdunensis. *Joannes Mabillonius O. S. B.* Tomo IV. Analectorum *Epistolam* S. Prudentii ad quemdam Episcopum fratrem suum exhibet. *Casimirus Oudinus* extare ait in Regia Galliarum Bibliotheca Tractatum Asceticum MS. Prudentii Tricassini, seu *Abbreviationem Psalmorum in gratiam nobilis cujusdam Matronae*; *quae variis sive aerumnis, sive infirmitatibus afflicta erat. Chrysostomus Trombellius* Canonicus Regularis, et Abbas S. Salvatoris, paucis abhinc annis edidit Bononiae inter sua Anecdota S. Prudentii Tricassini Opusculum, nempe *Florilegium S. Scripturae*, quod ut Sacris Ordinibus initiandi memoriae mandarent, olim praeceperat.

R

CCXIII.

B. *Rabanus Maurus*, Moguntiae in Francia Orientali, sivi Germania A. 785. illustri genere natus est, adeoque annis facile quinquaginta post obitum Venerabilis Bedae, quem multi Rabani Magistrum fuisse perperam tradiderunt. In Fuldensi Coenobio a puero institutus, Monasticam ibi S. Benedicti Regulam professus est: tum ab Abbate suo ad Turonensem scholam missus cum Haymone, Halberstadiensi postea Episcopos, Samuele, et Hattone in discendis liberalibus artibus, divinisque Scripturis praeceptorem habuit Alcuinum. Fuldam reversus a Ratgario Abbate A. 860. scholae praeesse jussus est, in qua Walafridum Strabonem, Lupum Servatum, aliosque magni inter Eruditos nominis discipulos habuit. Sacerdos ab Haistulfo Moguntino Archiepiscopo exeunte anno 814. consecratus, eadem, qua caeteri, procella jactatus sub Ratgario Abbate suo, qui ipsi aliisque Monachis libros et studiorum usum ademerat, iter Hierosolymam arripuit. Ubi dein, Ratgario jussu Ludovici Pii Imperatoris in ordinem redacto, Eigil in Abbatis munere suffectus est, Rabanus ad Monasterium se suum, solitosque commentandi labores se retulit. Eigile mortuo A. 822. Abbas creatus, eo in munere officium interpretandi sacras Scripturas in Schola Fuldensi sibi servavit. Ecclesiam suam SS. Martyrum, Venantii, Alexandri, Castuli, Fabiani, Sebastiani, Concordiae et Felicitatis Reliquiis, pretiosisque vestibus ornavit, ef-

fecitque apud Gregorium IV. Romanum Pontificem, ut is A. 836. Fuldensis Coenobii Privilegia confirmaret, augeretque, Rabano ejusque in Abbatia Fuldensi successoribus sedis locum in omni Conventu aut Concilio ante omnes Galliae et Germaniae Abbates tribuens. Cavere tamen satis Rabanus non potuit, ne parum idoneus ad Abbatis munus suorum quibusdam videretur. Quo animadverso, cum, quae mortem Ludovici Pii consecuta est, regnorum conversio occasionem excutiendi invisi oneris sibi praebuisset, post vigesimum regiminis annum Praefectura se abdicavit A. 842., sibi Deoque in Monte S. Petri haud procul Fulda per quinquennium vacans. Anno 847. Otgario Moguntino Archiepiscopo XXI. Aprilis defuncto suffectus est ingenti omnium gratulatione, et consentiente Ludovico Germaniae Rege, Rabanus nuper Abbas Fuldensis, et die XXVI. Junii consecratus. Concilia celebravit tria Moguntiae. Primum A. 847. sub initium Octobris, in quo praesentibus Episcopis, qui ad Moguntinae Ecclesiae Metropolim pertinebant, de juribus ac immunitatibus Ecclesiasticis actum est, et Thiota quaedam Pseudoprophetissa, quae Constantiensis Episcopi dioecesin falsis suis vaticiniis turbaverat, Synodali judicio flagris emendata est. Alterum A. 848., in quo coram Ludovico Germaniae Rege auditus, et examinatus Gothescalcus Monachus, haereticus Praedestinatianus declaratus est: et quia in sua haeresi pertinax, damnatus, atque ad Hincmarum Rhemensem, ad cujus dioecesin pertinebat, cum litteris Synodalibus missus. Tertium A. 852., in quo praesentibus Episcopis et Abbatibus Orientalis Franciae, Bojoariae, et Saxoniae, de variis Ecclesiasticis quaestionibus actum est. Tan-

dem annis ferme novem in Episcopatu sanctissime transactis, obiit pauperum Pater, utque eum Card. Baronius nuncupat, *fulgens Germaniae sydus*, *et Theologorum vertex*, A. 856., die IV. Februarii, Vinicellae in exiguo ad Rhenum vico. Corpus ejus Moguntiam translatum, et in Monasterio S. Albani, in sacello SS. Martini et Bonifacii depositum; ejus vero memoria multis antiquis Martyrologiis consignata est.

Genuina B. Rabani Mauri Opera sunt: *Excerptio de arte Grammatica Prisciani. Libri XXII. de Universo*, sive Etymologiarum Opus ad Ludovicum Regem. *Libri II. de Laudibus S. Crucis* partim prosa partim carmine conscripti in cujus versibus et figuris antiqua illa aetas artem incomparabilem obstupuit, nostra singularem patientiam admiratur. *Libri IV. Commentariorum in Genesim. Libri IV. in Exodum. Libri VII. in Leviticum. Libri IV. in Deuteronomium. Libri II. in Judicum librum. Liber unus in Ruth. Libri IV. in quatuor libros Regum. Libri IV. in duos Paralipomenon. Liber unus in Judith. Liber unus in Esther. Commentarius in Cantica, quae ad Matutinas Laudes per septimanam dicuntur. Libri III. in Proverbia Salomonis. Libri III. in librum Sapientiae. Libri X. in Ecclesiasticum. Libri XXX. in Jeremiam Propetham*, comprehensis ejus *Threnis. Libri XX. in Ezechielem. Commentarius in libros duos Machabaeorum. Libri VIII. in Evangelium S. Matthaei. Libri XXX. in Epistola S. Pauli. Homiliae super Epistolas, et Evangelia totius anni, cum Homiliis de Sanctis, et variis virtutibus. Homiliae de Evangelio, Liber Generationis Jesu Christi etc. Tractatus brevis de septem signis Nativitatis Domini. Allegoriae in univer-*

sam S. Scripturam. Libri III. de Clericorum Institutione, et Caeremoniis Ecclesiasticis ad Haistulfum Moguntinum A. 819. scripti. *Liber de sacris Ordinibus, Sacramentis divinis, et Vestimentis Sacerdotalibus. Libri III. de Disciplina Ecclesiastica. Libri III.* ad Bonosum Abbatem *de vivendo Deo, de Puritate cordis, de modo Poenitentiae. Poenitentium Liber unus* ad Otgarium Moguntinum Archiepiscopum, Capitulis XXIX. constans. *Epistola ad Humbertum Episcopum, quota generatione licitum fit Matrimonium. Liber unus ad Bonosum de Consanguineorum nuptiis, et Magorum praestigiis. Opusculum de anima, et virtutibus* ad Lotharium Regem. *Tractatus de ortu, vita, et moribus Antichristi. Martyrologium. Poëmata de diversis. Glossae Latinobarbaricae de partibus humani corporis. Liber de Inventione Linguarum ab Hebraea usque ad Theodiscam.* Omnia haec Rabani Opera hactenus enumerata ex schedis *Jacobi Pamelii* edidit Coloniae A. 1627. Tomis VI. in folio *Georgius Colvenerius*, Duacensis Academiae Cancellarius. Alia Rabani Opuscula genuina post editionem Coloniensem ab Eruditis vulgata sunt, scilicet *Poëmata* quaedam a *Baluzio* Tomo IV. Miscellaneorum. *Epistolae III.* ad Hincmarum Rhemensem, Notingum Veronensem, et Eberhardum Comitem *de Praedestinatione Dei* contra Gothescalcum, a *Jacobo Sirmondo S. J.* Parisiis A. 1647. *Liber de Computo*, a *Stephano Baluzio* Tomo I. Miscellaneorum Parisiis A. 1679. Opuscula II., unum *de Chorepiscopis*, alterum *de Reverentia filiorum erga parentes*, a *Stephano Baluzio* ad calcem Operum *Petri de Marca* Parisiis 1669. *Epistola ad Heribaldum Antissiodorensem Episcopum*, edita ab eodem *Baluzio* in sua

Reginonis Appendice Parisiis 1671. *Epistola ad Reginaldum Chorepiscopum*, et *Opusculum de Chorepiscoporum Ordinationibus* extant Tomo VIII. *Labbeanae* Collectionis Conciliorum. *Libellus de Oblatione puerorum*, quem in Mellicensi Austriae Coenobio inventum *Mabillonius* postea Tomo II. Annalium O. S. Benedicti inseruit. Extare praeterea dicuntur in MSS. Bibliothecarum Codicibus alia ejusdem B. Rabani opuscula, nempe *Commentarius in Acta Apostolorum*, *Liber de Vita S. Mariae Magdalenae*, *Expositio de Paschate*, *et Agno Paschali*, *Glossarium Latino-Theotiscum in tota Biblia sacra Veteris*, *et Novi Testamenti*. Supposita B. Rabano fuerunt: *Liber contra Judaeos* sub ejus nomine a *Chiffletio* editus Divione 1656., qui Amuloni Lugdunensi debetur. *Commentarius in Regulam S. Benedicti*, Smaragdi Abbatis Opus. *Libri III. de Quaestionibus Canonum Poenitentialium* ad Heribaldum, et *Libri III. de Vitiis*, *et Virtutibus*, *de peccatorum satisfactione*, *et remediis sive poenitentiis*, ab Halitgario Cameracensi Episcopo conscripti.

CCXIV. *Ratherius*, Lobiensis Monachus O. S. B., cum Hilduino Abbate suo ad Hugonem Italiae Regem profectus, Veronensis Episcopus creatus est. Quarto post anno ab eodem Rege Sede sua pulsus, et Ticinum exul deportatus, detrususque est in carcerem, quod res Ecclesiae ab illo usurpari non permisisset. Inde post tres menses et dimidium solutus, varias persecutiones a Milone Comite perpessus est, qui nepotem suum in ejus Sedem intrusit. A Joanne XI. Romano Pontifice, ad quem appellaverat, ex Synodi sententia Sedi suae restitutus, ab invasore carceri mancipatus est. Inde ab Ottone I. Imperatore ereptus, variis injuriis cum ab

aemulo, tum a Clericis perduellibus, et canonicam reformationem subire renuentibus, lacessitus est. Ab Ottone I. in Aulam vocatus, Brunoni Imperatoris fratri praeceptor datus est. Hic electus postea Coloniensis Archiepiscopus, ut Magistri sui, quo in Philosophicis caeterisque disciplinis usus erat, labores remuneraretur, opera sua et industria effecit, ut Ratherius A. 953. Faraberto Leodiensi Episcopo demortuo sufficeretur. At paulo post Cleri populique Leodiensis conspiratione gravissima Baldrico, fratri Ragenarii Hannoniae Comitis, Episcopatum illum cedere coactus, Brunonis Coloniensis commendatione in Ecclesiam Veronensem, unde bis depulsus fuerat, tertio est restitutus. Sed quod novae iterum turbae a Clericis, quorum intemperantiam graviter arguebat, in eum concitatae essent, pertaesus hominum insolentiam, in Lobiense suum Coenobium Anno 965. se recepit. Inde Abbatiis duabus S. Amandi, et Altimontis comparatis, moxque iterum dimissis, Alnam secessit, ac tandem Namurcum, ubi anno 974. vitam tot jactatam casibus vir octogenarius clausit, in Lobiensi Coenobio sepultus. Docti, eruditi, ingeniosi, Canonum periti, et eloquentis viri laudem omnes illi tribuunt; majorem tamen prudentiam, et in coeptis constantiam plerique in illo requirunt.

Ratherii Opuscula in unum corpus collecta hactenus non fuerunt, sed dispersa vagantur. Tomo II. Spicilegii *Dacheriani* Parisiis 1655. haec exhibentur: *Volumen Perpendiculorum*, sive *de Contemptu Canonum* Partes II. ad Huberum Parmensem Episcopum. *Qualitatis conjectura cujusdam*, seu *Apologia sui ipsius. Discordia inter ipsum, et Clericos. Liber Apo-*

logeticus. De nupto cujusdam illicito: Epistolae V. Synodica ad Presbyteros suos. Itinerarium Ratherii, Romam euntis. Sermones II. de Quadragesima. Sermones IV. de Paschate. Sermones II. de Ascensione. Tomo XII. Spicilegii continetur ejusdem Ratherii *Epistola ad Patricium de Corpore, et Sanguine Domini. Vita S. Ursmari Lobiensis*, a Ratherio scripta, vel aucta, sed mutila extat apud *Laurentium Surium* in Vitis Sanctorum ad diem XVIII. Aprilis. *Liber Agonisticon* apud *Martene* et *Durand O. S. B.* Tomo IX. Collectionis Veterum Monumentorum Parisiis A. 1724. Item apud eosdem gemina *Epistola*, una ad Widonem et Sabbonem Archiepiscopos, alia ad Robertum Trevirensem. Aliae quinque *Epistolae* apud *Bernardum Pezium O. S. B.* Tomo VI. Anecdotorum, una cum *supremis* ejusdem Ratherii *tabulis. Liber de Vita, et translatione S. Metronis*, et *duae ad Manassem Episcopum Vincentinum Epistolae* apud *Bartholomaeum Campagnola* in Opere inscripto, *Jus Civile Urbis Veronae*. Scripsit praeterea idem Ratherius alia Opuscula nusquam hactenus edita, quae an supersint adhuc, non liquet. Nimirum *Meditationes cordis, Epistolam ad Papam de aerumnis suis, Phrenesin de secundo suo exilio adversus Baldricum, Librum* cui titulus, *Inefficax garritus, Libellum contra haeresin Antropomorphitarum, Librum Confessionum, Conflictum duorum*, et in gratiam nobilis pueri Roëstagni *libellum de Arte Grammatica*, quem *Speradorsum*, seu *Servadorsum* vocavit, quod dorsum pueri a flagris servare possit. *Chronographia* ejus Manuscripta in Monasterio Gemblacensi extare dicitur.

CCXV. *Ratramnus*, natione Gallus, Corbejae Gallicae Monachus O. S. B. Saeculo IX. claruit sub Ludovico Pio, ejusque Filio Carolo Calvo, vir doctus sane atque eruditus. Fervente circa Gothescalcum controversia simultates quasdam gessit cum Paschasio Ratberto Abbate suo, et Hincmaro Rhemensium Archiepiscopo. Porro Ratramnum Gothescalci personae tantum, non vero ejus erroribus favisse, ex eo aperte dignoscitur, quod in Libris suis negaverit reprobos ad peccatum a Deo praedestinari, nullaque eos pereundi necessitate constringi ob praedestinationem. Obiit circa annum 870., posteaquam Caroli Regi favore Orbacensem Abbatiam in Dioecesi Suessionensi adeptus est. Scripsit *Librum de partu Virginis*, seu *Nativitate Christi*, editum a *Luca Dacherio O. S. B.* Tomo I. Spicilegii, Parisiis A. 1655. *Libros II. de Praedestinatione*, qui extant apud *Gilbertum Maguinum* in Collectione veterum Authorum, qui Saeculo IX. scripserunt de Gratia et Praedestinatione, Tomo I. Parisiis A. 1650., et Tomo XV. Bibliothecae Maximae Lugdunensis. *Libros IV. Contra Graecorum opposita*, Tomo II. Spicilegii *Dacheriani* primum vulgatos. *Epistolam ad Rimbertum Presbyterum de Cynocephalis*, an ex stirpe Adae sint progeniti, et an animas bestiarum habeant? Primus eam publici juris fecit *Casimirus Oudinus* Tomo II. Commentarii de Scriptoribus Ecclesiasticis, Lipsiae A. 1722. columna 126. *Tractatum de Anima adversus Monachum quemdam Corbejensem*, Odoni Episcopo Bellovacensi inscriptum, qui numquam hactenus in lucem editus est, sed Manuscriptus extat in Bibliotheca Monasterii S. Eligii Noviomensis, et in Bibliotheca Lambethana in An-

glia, atque inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis. *Librum de Trina Deitate adversus Hincmarum Rhemensem*, qui ex Hymno quodam Ecclesiastico verba illa, *Te trina o Deitas unaque poscimus*, expungi jusserat, horumque loco in Ecclesia sua decantari, *Te Summa o Deitas etc.* Verum injuria temporum liber ille interiisse creditur. Denique *Librum de Corpore, et sanguine Domini*, sub *Bertrami* nomine Coloniae A. 1532., Basileae 1555., atque alibi saepius impressum, ac Parisiis A. 1686. Latine ac Gallice recusum studio *Jacobi Boisleau*, Majoris Ecclesiae Senonensis Decani. Equidem Liber ille a Pagio, Petro de Marca, aliisque, Joannis Scoto Erigenae asseritur; sed ex fide veterum MSS. Codicum genuinum esse Ratramni foetum agnoscunt Joannes Mabillonius, Natalis Alexander, Fleurius, aliique plurimi ex praestantioribus Criticis. Neque eo in libro Catholicam de reali Christi praesentia in Eucharistia sententiam impugnat Ratramnus, aut dogma transubstantiationis convellere nititur, ut Heterodoxi aliqui cum Caveo gloriantur; sed duo tantum evincere contendit. Ac primo quidem, panem et vinum consecratum esse figuras Corporis, et Sanguinis Christi, quae non sub propria, sed aliena, nimirum panis et vini specie vere ac realiter continentur in Eucharistia modo invisibili. Alterum erat, in Sacramento Altaris verum quidem dari Christi corpus, sed non illud, quod natum est ex Virgine, ac pro nobis passum. Quae altercatio in quaestione de nomine haerebat. Cum enim in Eucharistia corpus Christi mole et extensione careat, quam tamen habuit corpus ex Virgine natum, juxta Ratramnum idem erat omnino corpus Christi in Eucha-

ristia cum eo, quod natum est ex Virgine, si spectetur quoad substantiam et naturam; sed non idem erat quoad modum existendi, quantitatem, ac circumscriptionem. Caeterum fatendum est eo in libro formulas loquendi duras et obscuras quandoque occurrere, quae tamen, ut per loca clariora explicentur, rei aequitas postulat, cum Ratramnus numquam non cum Ecclesia communione conjunctus fuerit.

CCXVI. *S. Raymundus de Pennafort*, seu Rupeforti, Barcinone in Catalaunia Hispaniarum provincia nobili genere natus est. Bononiae Doctoris in utroque Jure lauream consecutus, sacros Canones ibidem publice maxima doctrinae ac sapientiae fama interpretatus est. A Berengario Barcinonensi Episcopo, ex itinere Romano Bononiam divertente, in patriam reductus, et Canonicatu atque Praepositura in illa Ecclesia ornatus, Annuntiationis Deiparae festum diem illic antea minus celebrem solemniter agi curavit, annuo censu ex Praeposituræ suae reditibus attributo, Canonicis in distributiones erogando, qui Sacris Officiis ea die interessent. Perfectioris vitae desiderio Ordinem Praedicatorum A. 1222. ingressus, author deinde fuit S. Petro Nolasco, et Jacobo Aragoniae Regi instituendi sacrum Ordinem B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, cui certas etiam vivendi leges praescripsit. A Joanne Cardinali Episcopo Sabinensi, Sedis Apostolicae in Hispania Legato, socius et adjutor assumptus est, deinde Romam a Gregorio IX. vocatus, qui eum Capellani sui, sive Causarum Palatii Apostolici Auditoris officio, et Poenitentiarii Dignitate ornavit, graviores causas numquam tractare solitus, nisi adhibito ejus consilio. Anno 1234. jussu Gregorii IX. novam

Decretalium Epistolarum collectionem adornavit S. Raymundus, servato priorum Collectionum ordine, eodemque singulis Libris subjecto titulo, qui in antiquis Collectionibus proponitur. In singulorum vero titulorum capitibus collocandis hanc Sanctus vir rationem secutus est, ut primo loco ea exhiberet Capita, quae auctorem haberent antiquiorem; ideoque Gregorii IX. Decretalibus ad calcem cujusque tituli collocatis. Collectionem hanc authoritate sua ratam habuit Gregorius IX., eamque eodem adhuc anno ad Doctores Academiae Bononiensis et Parisiensis misit, addens, velle se, ut Curiae Scolaeque omnes hac Collectione sola utantur, nec alia fieret sine Apostolicae Sedis authoritate. In Bononiensibus Comitiis A. 1237. Generalis Magister Ordinis Praedicatorum post B. Jordanum absens electus, cum Praefecturam illam biennio sanctissime gessisset, eadem se abdicavit, et Tarraconensi Archiepiscopatu constantissime recusato, bona cum Pontificis venia in Hispaniam reversus est. Ibi Jacobo Aragoniae Regi suasit, ut adversus Waldensium haeresin tunc temporis grassantem Officium Inquisitionis in ditionibus suis, et Seminarium quoddam Regiis impensis institueret, in quo nonnulli ex Ordine Praedicatorum Viri Religiosi Hebraico et Arabico idiomate erudirentur, Judaicam dein et Mauricam superstitionem felici eventu expugnaturi. Tandem innumeris pro Deo et Ecclesia defunctus laboribus, centenarius ferme ad vitam migravit immortalem A. 1275., die VI. Januarii, plurimis ante et post obitum prodigiis illustris, atque a Clemente VIII. A. 1601. Sanctorum Fastis adscriptus, die XXIII. Januarii ejusdem honoribus assignata. Praeter Collectionem Decretalium Epistolarum, scripsit etiam S. Raymundus *Summam Ca-*

suum conscientiae, qui solent in foro Poenitentiae occurrere, cum glossis *Joannis de Friburgo O. P.* Romae A. 1603. impressam, et Venetiis ante paucos annos recusam.

CCXVII. *Reinerius Sachonus*, Placentiae in Italia natus, ex Haeretico Waldensi, et Barba sive Episcopo Sectae Catharorum, fidei Catholicae non modo professor, sed defensor, Juris Canonici ac Theologiae peritissimus, Ordini Praedicatorum nomen dedit, floruitque circa annum 1254. Inquisitor fidei in Longobardia. Scripsit Opusculum *de Haereticis*, praecipue *de Sectis Waldensium*, in X. Capita divisum, quod cum amplissimis Prolegomenis, et variantibus Lectionibus integrum primus in lucem dedit *Jacobus Gretserus S. J.* Ingolstadii A. 1613.

CCXVIII. *Regino*, vel ut addita aspiratione alii scribunt *Rhegino*, natione Germanus, Prumiensis Coenobii in Dioecesi Trevirensi O. S. B. Monachus, deinde ejusdem Monasterii A. 892. Abbas electus, praefecturam illam septennio tenuit, donec aemulorum quorumdam invidia eam Richario A. 899. cedere coactus est. Obiisse creditur circa annum 921. Scripsit circa annum 906. jussu Ratbodi Archiepiscopi Trevirensis *Libros II. de Disciplinis Ecclesiasticis, et Religione Christiana*, capitula circiter CM. continentes, quorum primus ad personas et res Ecclesiasticas pertinet: alter vero laicorum vitam et conversationem respicit. Porro Capitula illa sumpsit Regino ex Romanorum Pontificum Decretalibus Epistolis, Conciliorum Canonibus, Sanctorum Patrum scriptis, et Codice Theodosiano; ex Capitularibus Regum Francorum, atque ex Legibus Burgundionum et Ripuariorum. Synodorum Graecarum

Canones saepissime retulit ex Dionysii Exigui interpretatione; quamvis etiam Isidori Mercatoris collectione usus fuerit, cum interdum priscorum Pontificum Epistolas ab Isidoro confictas exhibeat. Primus Collectionem hanc Canonum Reginonis, Appendice aliunde consarcinata auctam, ex MS. Codice Bibliothecae Helmstadiensis in lucem emisit *Joachimus Hildebrandus* Helmstadii A. 1659. Deinde *Stephanus Baluzius* recognitam, et Appendice Helmstadiensi auctiore, novaque a se addita, cum Praefatione doctissima et notis, et Appendice Actorum Veterum ornatam, edidit Parisiis A. 1671. Scripsit praeterea Regino *Libros II. Chronicorum* ad Adalberonem Augustanum Episcopum ab adventu Christi ad annum usque 908., quamvis hodierna, quam habemus, Chronici hujus editio in anno 905. jam desinat; nisi forte duo tresve postremi anni in unum fuerint compacti, ut Labbeus suspicatur. Continuavit haec Chronica usque ad Ottonem II. qui anno 972. imperare coepit, alius Auctor, quem Gerardus Joannes Vossius *Romerium* fuisse conjectat. Ediderunt hoc Chronicon *Joannes Pistorius* Niddanus Francofurti A. 1583., et *Burchardus Gotthelfius Struvius* Ratisbonae A. 1726. in Collectione Veterum Germaniae Scriptorum. In Bremensi Bibliotheca extat MS. Epistola quaedam Reginonis *de Harmonica institutione* ad Radbodum Archiepiscopum Trevirensem.

CCXIX. *Remigius*, natione Gallus, S. Germani Antissiodorensis O. S. B. Monachus, non autem Antissiodorensis Episcopus, ut quidam perperam scripserunt, sub finem Saeculi IX. floruit. Rhemos evocatus circa annum 882. a Fulcone Rhemensi Archiepiscopo, Scholae illi maxima nominis sui commendatione prae-

fuit, obiitque circa annum 900. Genuina Remigii Antissiodorensis Monachi Opera sunt: *Commentarius in omnes Psalmos*, ex Ambrosio, Augustino, et Cassiodoro maximam partem consarcinatus, intermistis de suo quibusdam Enarrationibus, Coloniae excusus A. 1536. *Commentarius in omnes Prophetas minores*, dempto Osea, qui cum Commentariis Oecumenii in Epistolas Paulinas, et Aretae Caesariensis in Apocalypsin, Antuerpiae prodiit A. 1545. *Expositio de celebratione Missae*, quae cum Commentariis Remigii in Psalmos et Prophetas minores extat Tomo XVI. Bibliothecae Patrum Lugdunensis. *Commentarius in omnes S. Pauli Epistolas*, quem *Joannes Baptista Villalpandus S. J.*, eruditissimis in Ezechielem Commentariis notissimus, edendum curavit Romae A. 1598. sub nomine S. Remigii Rhemensis Archiepiscopi. Verum S. Antisti Opus illud adjudicari non posse, ut alia silentio praeteream, vel ex eo evincitur, quod Saracenorum ibi vice non una fiat mentio, laudenturque S. Benedictus, Cassiodorus, S. Gregorius M., ac Venerabilis Beda, S. Remigio Rhemensi, qui circa annum 530. obiit, utique posteriores. Quidam Commentarium illum S. Remigio Lugdunensi, alii vero Haymoni Halberstadiensi, sed plerique ex Eruditis eum nunc Remigio Antissiodorensi tribuunt, quod illius stylum, dictionem, methodumque redoleat. *Liber de Divinis Officiis* Coloniae A. 1536. vulgatus, nec totos Remigii est, nec Alcuini, sed inter utrumque, et Elpricum, sive Herpricum Monacum, qui circa annum 1040. floruit, dividendus. Extant praeter haec in MSS. Bibliothecarum Codicibus alia Remigii Antissiodorensis Opera, quae hactenus in lucem numquam prodierunt: scilicet *Commentarius in*

Canticum Canticorum. Commentarius in Apocalypsim. Homiliae de Festivitatibus Sanctorum. Interpretatio Vocabulorum Biblicorum. Liber de Indumentis Ecclesiasticis. Glossae in Martianum Capellam de Nuptiis Mercurii et Philologiae. Glossae in Donatum de Grammatica. In librum de Rhetorica, Geometria, Aritmetica, Astrologia, Musica. Tractatus in Marcum et in Matthaeum. Commentarius in Regulam S. Benedicti.

CCXX. *S. Remigius*, natione Gallus, Sacri Palatii Lotharii Imperatoris Archicapellanus, ejusdemque favore post mortem Amolonis A. 853. Lugdunensis Archiepiscopus, multis interfuit Synodis, Gothescalci controversia in Galliis fervente, nempe Valentinae III. A. 855., Tullensi I. apud Saponarias A. 859., Lingonensi eodem anno, Tullensi II. apud Tusianum A. 860., Suessionensi III. A. 866., Cabilonensi III. A. 873. Obiit A. 875., die XXVIII. Octobris. *Liber de tribus Epistolis, nomine Ecclesiae Lugdunensis scriptus: Absolutio cujusdam Quaestionis de generali per Adam damnatione, et speciali per Christum ex eadem ereptione Electorum: Libellus de tenenda immobiliter S. Scripturae veritate, et SS. PP. authoritate fideliter sectanda*, seu *Censura Ecclesiae Lugdunensis Capitulis IV. Synodi Carisiacae opposita*, quae *Gilbertus Mauguinus* Tomo I. Veterum Authorum, qui Saeculo IX. de Gratia et Praedestinatione scripserunt, Parisis edidit A. 1650., ac postea Tomo XV. Bibliothecae Maximae Lugdunensis illata sunt, communius ab Eruditis S. Remigio Lugdunensi tribuuntur. At non desunt alii, qui cum *Honorato a S. Maria*, Carmelita eruditissimo, *Theophilo Raynaudo* in Indiculo SS. Lugdunensium, *Jacobo Longuevallio* in Hist. Eccles. Tomo VI. ad an-

num 853., *Joanne Baptista Duchesne* in Historia Praedestinatianismi, Opuscula haec S. Remigio Lugdunensi omnino abjudicant. Verum utcunque res se habeat, Authorem illum, quamvis Carisiaca Capitula rejecerit illorum sensum non assecutus, Praedestinatianis minime favere, ostendimus Tomo V. Theologiae Dogmatico-Polemicae Num. LXXVI., et LXXVII.

CCXXI. *Richardus*, natione Scotus, relicta patria Parisios profectus est, ubi inter Canonicos Regulares Ord. S. Augustini cooptatus in Coenobio S. Victoris, Magistrum habuit aetate illa celeberrimum, Hugonem Victorinum, cui postea in Prioris officio successit A. 1164., cum S. Bernardo Claravallensi Abbate arcta conjunctus amicitia. Vir fuit in divinis Scripturis exercitatissimus, ac Mysticae Theologiae peritissimus; multaque scripsit praeclara omnino, ac singulari laude digna, stylo usus medio inter Augustini acumen, et Bernardi suavitatem. Obiit anno 1173., die X. Martii. Genuina Richardi Victorini Opera sunt: *Tractatus de Exterminatione mali, et promotione boni. Tractatus III. de Statu interiori hominis. De eruditione hominis interioris. De praeparatione animi ad contemplationem. Libri V. de gratia contemplationis. Allegoriae nonnullae Tabernaculi foederis. Libri VI. de Trinitate. De tribus appropriatis personis in Trinitate, a S. Bernardum Abbatem Claraevallensem. Liber de Incarnatione Verbi ad eumdem S. Bernardum. Libri II. de Emmanuele, contra Judaeos. Tractatas Exceptionum, distinctus in libros IV. de potestate ligandi, atque solvendi. De meditandis plagis, quae circa finem mundi evenient. De Judiciaria potestate in finali, et universali judicio. Tractatus de spiritu blasphemiae. De*

gradibus Charitatis. De quatuor gradibus violentae charitatis. De gemino Paschate. Sermo in die Paschae. Declarationes nonnullarum difficultatum sacrae Scripturae, ad S. Bernardum Claraevallensem Abbatem. Quomodo Spiritus Sanctus sit amor Patris, et Filii. Tractatus de differentia peccati mortalis, et venialis. De superexcellenti Baptismo Christi. Sermo de missione Spiritus Sancti. De comparatione Christi ad florem, et Mariae ad virgam. Quomodo Christus ponatur in signum populorum. De differentia sacrificii David, et Abrahae. De differentia sacrificii Abrahae a sacrificio B. M. Virginis. Expositio difficultatum suborientium in descriptione Tabernaculi foederis. De Templo Salomonis ad litteram. De concordia temporum Regum conregnantium super Judam, et Israel, ad S. Bernardum Abatem Clarae Vallis. Explanatio Psalmorum aliquot, seu Mysticae annotationes variorum locorum in Psalmos Davidis. Explanatio in Cantica Canticorum. De visione Exechielis. De Templo Ezechielis. Decisio aliquot dubiorum Apostoli. Libri VII. in Apocalypsim S. Joannis. Scripsit etiam Richardus Librum unum *Explanationis mysticae in Danielem Prophetam*, cujus magnam partem suo compendio Allegoriarum in Danielem intexuit *Godefridus Tilmannus*. Opera omnia Richardi Victorini Tomis II. in folio prodierunt Venetiis A. 1591., Coloniae A. 1621., Rothomagi A. 1650.

CCXXII. *Robertus Pullos*, natione Anglus, Roffensis Archidiaconus, fervente in Anglia civili bello Parisios se contulit, ubi Theologiam publice docuit, et cum S. Bernardo Clarae Vallis Abbate amicitiam contraxit, qui Pullum maximis extulit laudibus, utque diutius Parisiis moraretur, datis ad Ascellinum Roffensem

Episcopum litteris, enixe petiit. In patriam dein reversus Oxoniensem Academiam, jam pene collapsam, restituit, ac instauravit, Henrico I. Anglorum Regi ob insignem probitatem et scientiam charissimus, cujus commendatione ab Innocentio II. Romano Pontifice A. 1134. Presbyter Cardinalis S. Eusebii, postea a Lucio II. Cancellarius Apostolicus creatus est. Obiisse creditur circa annum 1150. sub Eugenio III. Rom. Pontifice. Scripsit antequam inter Cardinales S. R. E. adlegeretur, *Libros VIII. Sententiarum Theologicarum*, quos ex Codice MS. S. Remigii Rhemensis erutos, notisque et animadversionibus illustratos, edidit *Hugo Mathoud O. S. B.* e Congregatione S. Mauri Parisiis A. 1655. in folio. In Colbertina, aliisque Bibliothecis, inter MSS. Codices extant ejusdem Pulli *Sermones de Communi Sanctorum*, hactenus inediti.

CCXXIII. *Rufinus Toranius*, Concordiae, Aquilejensis territorii oppido, circa medium Saeculi IV. natus, suscepto Aquilejae fidei lavacro, ac sacro etiam Presbyteratus Ordine, Monasticam vitam professus est. Anno 371. cum Melania, nobilissima Matrona, relicta Roma in Orientem profectus, ante obitum S. Athanasi Alexandriam pervenit, ubi, Didymo Alexandrino propinante, Origenis venenum hausit. Inde in Aegypti interiora secessit, visisque Nitriensibus Monachis, quorum maxima erat ea tempestate probitatis fama, Alexandriam reversus, ob Catholicae fidei professionem in vincula ab Arianis, sub Valente Principe rerum potientibus conjicitur; a quibus multa passum Melania magno aere redemit. Hoc defunctus periculo in Palaestinam se contulit, ubi Melaniae opibus adiutus Monasterium construxit, in quo viris sanctis, Hierosolymam religionis ergo

peregrinantibus, hospitio excipiendis intentus, complures annos transegit. Amicitiae immemor, quam jam A. 370. Aquilejae contraxerat cum S. Hieronymo Joannem Jerosolymitanum Episcopum, S. Hieronymo aliis jam de causis subinfensum, quod is S. Epiphanio faveret, adversus veterem sodalem et amicum concitare non desiit; cui tamen utcumque conciliatus A. 397. cum Melania e Palaestina discessit, Romamque eodem adhuc anno tenuit. Ibi biennium ferme commoratus, Libros Origenis *Periarchon*, seu *de Principiis* Latine vertit, in quorum Praefatione Hieronymum ob Origenis varios libros in Latinum sermonem versos, eximie laudans, peractae a se librorum Periarchon interpretationi patrocinium parabat. Immo Origenis erroribus non contentus sua addidit Rufinus paradoxa: nempe Adami mortem ejus peccato adscribendam non esse, nullumque Adami peccatum, quod originis vocamus, per generationum in posteros transfundi. Hinc Pelagius ac Coelestius, tunc Romae degentes, ac Rufini studiosi auditores, in pravas opiniones abierunt. His doctrinae Joliis Romae disseminatis A. 398. ad finem vergente, Roma Mediolanum discessit, tum affines revisurus Aquilejam se contulit, ut Origeniana peste patrium etiam solum inficeret. S. Hieronymus de his rebus certior factus, anno 399. prolixam ad Pammachium, et Oceanum epistolam exaravit, in qua delatas sibi in Praefatione Librorum Periarchon laudes despexit, eorumque interpretationem, velut Catholicae religioni perniciosissimam, detestatus est. Cumque Rufinus in rabiem actus, fracta omnis amicitiae tessera, duas adversos Hieronymum invectivas evulgasset; hac ille inverecundia provocatus, tribus Apologeticis libris os hominis ferreum

contrivit. Interea Pammachius et Marcella, ne Origenis errores latius Romae serperent, Rufini versionem apud S. Anastasium Romanum Pontificem, ut sanae fidei adversantem, deferunt: qui nihil ultra morandum ratus, Rufinum Romam ad dicendam causam evocat. Verum cum ille, itineris molestias fractasque vires obtendens, professionsm fidei suae ad Pontificem misisset, qua omnem de se haereseos suspicionem excutere conabatur, Anastasius Origenem, ejusque versionem A. 401. lata sententia condemnavit, nulla tunc Rufini facta mentione: quod ipsum hoc anno Venerius Mediolanensis, et Chromatius Aquilejensis, Metropolitae in suis Ecclesiis praestitere. Multi equidem sentiunt ipsum etiam Rufinum anathemate fuisse percussum, atque Ecclesiastica communione ab Anastasio privatum. Verum Card. Norisius, Pagius, Constantius, Vallarsius, aliique, id negant. Si enim id factum fuisset, Rufino sane non licuisset post ea tempora degere prope Urbem Romanam in suburbano Pineti Monasterio: neque amplius post ea tempora intima amicitia et familiaritate conjunctus fuisset cum S. Paulino Nolano, S. Chromatio Aquilejensi, S. Gaudentio Brixiensi, et S. Petronio Bononiensi Episcopis; qui cum Viri fuerint sanctitate, et Religionis zelo praestantes, societatem et consuetudinem non servassent cum homine ab Ecclesia ejecto, et Pontificum decretis proscripto. Hinc non abs re creditur, quod etsi Rufinus apud Anastasium Pontificem errorum suspicione laboraverit, postea tamen apud Innocentium I. Anastasii successorem suspicionem illam diluerit. Obiit anno 410. exeunte, vel initio anni 411. prope Messanam in Sicilia.

Genuina Rufini Aquilejensis Opera sunt : *Libri II. de Benedictionibus Judae*, *et reliquorum XI. Patriarcharum*, ad S. Paulinum Nolanum. *Libri III. Commentariorum in Oseam Prophetam*, *cum Praefatione in XII. minores Prophetas. Commentaria in Joëlem*, *et Amos Prophetas. Expositio Symboli* ad Laurentium Episcopum. *Libri II. Historiae Ecclesiasticae* ad Chromatium Aquilejensem , ab Arianae haereseos primordiis ad Theodosii M. mortem pertingentes. *Apologia pro Origene*, *sive de depravatione Librorum Origenis. Alia pro eodem ejusdem argumenti Apologia* ex ipsius Epistolis. *Epistola*, sive *Apologia ad Anastasium Papam de fide sua. Invectiva posterior adversus Hieronymum.* Quatuor ultima haec Opuscula inter *S. Hieronymi* Opera ferme in omnibus Editionibus haberi solent. *Prior in Hieronymum invectiva*, multaeque ejus *Epistolae* ad timorem Dei hortatoriae, inter quas eminebant illae *ad Probam* datae , injuria temporum interciderunt. *Commentaria in Davidis Psalmos LXXV.* vel Rufini omnino non sunt , vel a recentioribus quibusdam fuerunt interpolata, adsutis subinde centonibus quibusdam ex S. Augustino , et S. Gregorio Magno. *Professione fidei*, quae XII. Anathematismis constat adversus errores Origenis , et Pelagii , *Henricus Card. Norisius* Lib. I. Hist. Pelagianae , Cap. III. aliique cum illo tribuunt Rufino Aquilejensi ; alii vero cum *Garnerio* et *Pagio* alteri Rufino , quisquis demum ille fuerit , adscribunt. Rufini Aquilejensis Opera prodierunt Parisiis A. 1580., et Veronae A. 1745.

Idem Rufinus multa vertit e Graeco sermone , sed ut plurimum pessima fide , mutando , truncando , addendo ; ut nova potius quam aliena videri possint ; nec di-

vinan lo quis assequi valeat, quaenam Rufini, quaenam ipsius Authoris partes fuerint. Praeter Libros *Periarchon*, et alia Origenis Opera, de quibus in hoc ipso Indiculo voce *Origenes* diximus, Latine versa ab eo fuerunt *Flavii Josephi Judaei Opera*, nempe Antiquitatum Judaicarum Libri XX. De Bello Judaico Libri VII. Libri II. contra Apionem. *Eusebii Caesariensis Historia Ecclesiastica*, in qua dimidium libri octavi omisit, decimum vix attigit, multis contractis, multis additis. Prodiit cum Rufini Continuatione, et Historia Tripartita Basileae 1528., et 1570. *S. Clementis Romani Recognitionum Libri X.* addita *Praefatione*, et *Epistola* ejusdem *ad Jacobum fratrem Domini*. Extant apud *Joannem Baptistam Cotelerium* in Patribus Apostolicis Tomo I. Parisiis 1672. *Anatolii Liber de Paschate* editus ab *Aegydio Bucherio S. J.* una cum Victorii Aquitani Canone Paschali Antuerpiae A. 1633. *Eusebii Caesariensis Apologia pro Origene. Pamphili Martyris titulo insignita.* Extat inter Opera S. Hieronymi. *Xysti*, sive *Sexti Pythagorei Ethnici Philosophi Enchiridion*, seu *Sententiae*, S. Sixti II. Papae et Martyris falso titulo eis praefixo, editae Coloniae 1522., et Lovanii 1618. *SS. Basilii Caesariensis, et Gregorii Nazianzeni Opuscula quaedam*, quae in antiquis Patrum illorum Latinis editionibus inveniuntur. *Vitae Patrum*, quae Collectionis *Heriberti Rosweidi* S. J. Antuerpiae 1615. Librum secundum constituunt, Rufini Aquilejensis vel auctoris, vel interpretis esse creduntur. *Evagrii Pontifici* Opuscula plurima, *et Sententiae Pamphili Martyris adversus Mathematicos*, quo nomine Astrologiae judiciariae sectatores intelliguntur, a Rufino Latinitate donata, interierunt.

CCXXIV. *Rupertus*, natione Germanus, Monasticam vitam juxta regulam S. Benedicti primo Leodii ad S. Laurentium, postea Ostbrockii prope Trajectum professus est. Cum maximum discendis Sacris Scripturis studium impendisset, sed propter ingenii tarditatem parum proficeret; Divinae Matris dono, quae multis exorata precibus dormienti aspectabilem se praebuit, tantam in Sacris Litteris consecutus est scientiam, quantam ea aetate alius nemo. Ea doctrinae, et probitatis eximiae fama excitatus Fridericus Coloniensis Archiepiscopus, evocatum Coloniam Rupertum Tuitiensi Coenobio Abbatem praefecit: cui et virtutis et eruditionis praestantia, totque editis doctissimis lucubrationibus famam insignem comparavit. Obiit Vir religiosissimus aeque ac doctissimus anno 1135. sub Lothario II. Imperatore die IV. Martii. *Card. Baronius* in Annal. Eccles. ad annum MCXI., et *Card. Bellarminus* in Lib. de Script. Eccles. censent, Rupertum in Libris suis in gravissimum errorem impegisse; quod nimirum unionem hypostaticam panis et vini Eucharistici cum Verbo propugnaverit. At vero Pagius, Gerberonius, Natalis Alexander, Mabillonius, Fleurius, Dumesnil, aliique magno consensu Rupertum ab hoc errore vindicant; quamvis fateantur, durioribus, et subobscuris quibusdam locis occasionem dedisse, ut haec sibi tribueretur opinio.

Genuina Ruperti Tuitiensis Abbatis Opera sunt: *Commentariorum de Sanctissima Trinitate, et operibus ejus Libri XLII. in utrumque Testamentum*, ad Cunonem Abbatem Sigembergensem, postea Ratisbonensem Episcopum. *Commentariorum in XII. Prophetas minores Libri XXXI.* ad Fridericum Archiepiscopum Co-

loniensem. *Commentariorum in Cantica Canticorum de Incarnatione Christi, et laudibus Deiparae Virginis Libri VII. Commentarius in Job. Commentariorum in Ecclesiasten Libri V. De Gloria et honore Filii hominis super Matthaeum Libri XIII.* ad Cunonem Ratisbonensem Episcopum. *De Glorificatione Trinitatis, et Processione Spiritus Sancti Libri IX.* cum Prologo ad eumdem Cunonem. *Commentariorum in Evangelium S. Joannis Libri XIV. Commentariorum in Apocalypsim Libri XII.* ad Fridericum Coloniensem. *De Victoria Verbi Dei Libri XIII. De Divinis Officiis per anni circulum Libri XII.* ad Cunonem Ratisbonensem. *De incendio Tuitiensis oppidi, sua aetate viso, in quo corpus D. N. J. C. a flamma circumfusa intactum remansit*, Liber Capitibus XXIII. distinctus. *De Meditatione mortis Libri II. Vita S. Heriberti Coloniensis Archiepiscopi. De passione S. Eliphii Martyris. De Voluntate Dei Liber unus. De Omnipotentia Dei liber unus. In quaedam capitula Regulae S. Benedicti Libri IV. Altercatio Monachi, et Clerici, quod liceat Monacho praedicare.* De eadem re *Epistola. Liber de laesione Virginitatis, et an possit conservari corrupta.* Prodierunt haec omnia Ruperti Opera Tomis II. in folio Coloniae saepius A. 1598. 1602. etc. Parisiis 1638, ac Venetiis accessionibus et Notis illustrata A. 1754. Tomis IV. in folio. *Gabriel Gerberosius O. S. B.* ad calcem Operum S. Anselmi Cantuariensis Parisiis A. 1675. edidit ejusdem Ruperti *Libros III. Dialogorum inter Christianum, et Judaeum.* Tomo IV. Anecdotorum *Bernardi Pezzii O. S. B.* Mellicensis Bibliothecarii extat Libellus *Reineri Monachi Leodiensis*, in quo praeter superius enumerata, laudantur aliqua Ruperti

Tuitiensis Opuscula, hactenus inedita, ac forte injuria temporum deperdita, nisi forte aliqua illorum extarent in novissima Ruperti Editione Veneta, quae mihi ad manus non est. Scilicet *Libellus de diversis Scripturarum Sententiis. Libellus Heroico versu descriptus de Statu Ecclesiae Leodiensis S. Laurentii ab Euraclo Leodiensi Episcopo usque ad Obertum. Aliud Saphicum Opusculum de eodem argumento. Vita S. Augustini, et S. Odiliae Virginis. Cantus de SS. Theodardo Martyre, Goare, ac Severo Confessoribus. Libri XV. in Samuelem, sive David.* Non nulla alia Scripta *contra calumniatores suos.*

CCXXV. *Ruricius*, nobilissimo genere in Galliis natus, Iberiam Ommatii nobilis viri filiam uxorem duxit, in cujus nuptias S. Sidonius Apollinaris Arvernorum Episcopus Epithalamium cecinit. Uxore vel demortua, vel continentiam amplectente, Lemovicensium Episcopus creatus, Ecclesiam illam ab anno minimum 470., ut ex Sidonii Apollinaris Epistolis constat, usque ad annum saltem 506. gubernavit, quo a S. Caesario Arelatensi ad Concilium Agathense invitatus, absentiam suam apud eumdem purgavit. Quo vero anno obierit, non constat. Senior dicitur, ut a nepote suo Ruricio discriminetur, Lemovicensi pariter Episcopo, qui Synodis Aurelianensi IV. A. 541., et V. A. 549. subscripsit. *Epistolarum* Ruricii Senioris Libros II. ex MS. Codice Sangallensi edidit *Henricus Canisius* Tomo V. Antiquae Lectionis Ingolstadii A. 1604., qui etiam inserti sunt Tomo VIII. Bibliothecae Maximae Lugdunensis.

CCXXVI. *Rusticus*, patria Romanus, Vigilii Pontificis nepos, et S. R. E. Diaconus, CPolim cum Vigilio

Pontifice profectus, ejusdem *Judicatum*, quo Tria Capitula damnabantur salva Synodi Chalcedonensis authoritate, initio summis laudibus extulit; mox vero eodem adhuc anno 548., mutata sententia, *Judicatum* impugnavit, auctoque Vigilii hostium numero Litteras quaquaversum disseminavit, quibus significabat, Vigilium aliquid scripsisse, quod reperiatur adversum definitioni Sanctae Chalcedonensis Synodi. Qua improbitate provocatus Pontifex, hunc turbarum authorem una cum Sebastiano, Romanae Ecclesiae Diacono, ejusdem criminis reo, A. 550. damnavit, ac solemnem in ambos, tamquam rebelles, depositionis sententiam tulit. Quid exinde Rustico contigerit, quove anno obierit, non constat. Scripsit Rusticus pro Defensione Synodi Chalcedonensis *Dialogum* valde prolixum *contra Acephalos*, sive Eutychianos, qui Tomo X. Bibliothecae Maximae Lugdunensis extat, sed in fine mutilus: quae enim de Theodoro Mopsuesteno, de Epistola Ibae, ac de Theodoreto addiderat, modo desiderantur. *Stephanus Baluzius* Tomo I. Novae Collectionis Conciliorum, in Praefatione ad Acta Concilii Chalcedonensis Num. XXV. ostendit, hunc Rusticum unum eumdemque cum illo fuisse, qui priorem versionem Latinam Concilii Chalcedonensis cum Codicibus antiquis contulit.

S

CCXXVII.

Salvianus, in Gallia Belgica natus, Palladiam Hypatii et Quietae filiam, adhuc Gentilem, uxorem duxit, ex qua ad Catholicam fidem postea perducta unicam prolem nomine Auspiciolam suscepit. Relicta patria, ante medium Saeculi V. in Galliam Narbonensem se contulit; ubi ob singularem probitatem ac doctrinam Massiliae Sacerdotio initiatus, Salonium et Veranum, Viennensis dein et Lugdunensis Ecclesiae Episcopos discipulos habuit. Vitia sui temporis deploravit, ac mascula nitidaque eloquentia perstrinxit, Jeremias sui saeculi merito vocandus. Obiisse creditur Saeculo V. ad finem vergente, anno 495. quo Gennadius Massiliensis Catalogum suum Virorum illustrium absolvit, adhuc superstes. Multa scripsit Salvianus, quae partim etiamnum extant, partim deperdita sunt. Extant *Libri VIII. de Providentia et Gubernatione Dei, deque justo ac praesenti ejus judicio*, ad Salonium Episcopum, discipulum olim suum. *Epistolae IX. Libri IV. adversus avaritiam, praesertim Clericorum et Sacerdotum*, ad Salonium Episcopum. Deperdita sunt: *Libri III. de Virginitatis bono* ad Marcellum Presbyterum. *Expositio extremae partis Ecclesiastici*, ad Claudium Episcopum Viennensem. *Liber unus* in morem Graecorum versu compositus *in Hexaëmeron*, sive a principio Genesis usque ad conditionem hominis. *Homiliae* multae coram Episcopis, vel in usum Episcoporum factae. *Homiliae in Sacramenta non-*

nulla. Opera omnia quae extant Salviani Massiliensis Presbyteri, non Episcopi, ut Baro nius et Bellarminus cum aliis perperam scripserunt, edita sunt a *Petro Pithaeo* Parisiis A. 1580., *Conrado Rittershusio* Altorsii 1611., *Stephano Baluzio* ad Codices MSS. recognita, et notis illustrata Parisiis 1663., et 1669., ac novissime Pisauri A. 1729. a *Demetrio Barbulio S. J.* qui Concordantias ejus Operibus adnexuit.

CCXXVIII. *Cajus Caelius Sedulius*, quem Recentiores multi natione Scotum fuisse absque idoneo teste scripserunt, dignitate Presbyter, Saeculo V. floruit, temporibus Theodosii junioris, et Valentiniani III. Impp. Complura de rebus ad Christianam Religionem pertinentibus scripsit poëmata, Poëta Christianus juxta et elegans; quae cum post Sedulii mortem dispersa per schedas vagarentur, collegit, atque ab interitu vindicavit *Turcius Rufus Asterius*, qui A. 494. Romae Consulatum gessit. Genuina Sedulii Opuscula sunt: *Carmen Paschale*, seu *de Christi miraculis Libri V.* cum Epistola nuncupatoria ad Macedonium Presbyterum. In editionibus non nullis praefixi sunt versus quidam nuncupatorii ad Theodosium Seniorem; qui tamen Sedulium authorem habere nequeunt, sed ex alio vetustioris alicujus Poëtae opere assuti videntur. *Collatio Veteris, et Novi Testamenti* carmine Elegiaco scripta. *Poean Alphabeticus de Christo*, Jambico carmine conscriptus. *Paschalis Operis Libri V. soluta oratione descripti*, una cum Epistola altera ad Macedonium Presbyterum, qui Sedulio author fuerat, ut Carmen Paschale prosaice exprimeret. Prodierunt Sedulii Opera ab *Aldo Manutio* excusa Venetiis A. 1502., deinde Basileae A. 1541. cum notis *Antonii Nebrissensis*.

Collectaneum, sive *Explanatio in omnes Epistolas S. Pauli*, ex Operibus Veterum Patrum consarcinata, quae Basileae prodiit A. 1528., et 1534., extatque Tomo VI. Bibliothecae Maximae Lugdunensis, non Sedulium Poëtam, sed alium quemdam Sedulium, natione Schotum, aut Hibernum authorem habet, qui teste *Heppidano Monacho S. Galli* in Annalibus brevibus, ab *Andrea Duchesnio* Tomo III. Historicorum Franciae editis, vixit anno 818. sub Ludovico Pio Imperatore. Eidem Sedulio juniori tribuitur *Liber de Regimine Principum, et convenientibus regulis, quibus respublica rite gubernatur*, editus Lipsiae A. 1619., aliaque Opera in MSS. Bibliothecarum Codicibus latentia, atque hactenus numquam edita: nempe *Collectaneum Matthaeum*, in Capita seu Lectiones CCCLV. distinctum. *Epistolarum ad diversos Liber unus. Commentariolus in artem Eutychii. Expositio in majus volumen Prisciani*, *atque in secundam editionem Donati.*

CCXXIX. *Severianus*, natione Syrus, Gabalae civitatis prope Laodicem maritimam in Syria Episcopus, vir magnae eloquentiae, atque in divinis Scripturis admodum eruditus, postquam in dicendo se diu exercitasset, et orationes plurimas elucubrasset, Constantinopolim venit, ratus exemplo Antiochi Ptolemaidis Episcopi magnam se ibi pecuniae vim eloquentia sua collecturum. Benevole a S. Joanne Chrysostomo Regiae Urbis Archiepiscopo exceptus, eodem annuente saepe in Ecclesia ad populum verba fecit eo plausu, ut Imperatori etiam Arcadio, et Eudoxiae Augustae familiaris fieret. Chrysostomo vero prae aliis charus fuit, qui Ephesum ad negotia quaedam Ecclesiastica expedienda pro-

ficiscens, Ecclesiae suae curam, et procurationem eidem demandavit. At Severianus Chrysostomi absentia in rem suam usus, populum a Pastore suo alienare, atque Ecclesiam CPolitanam malis artibus turbare adnisus est: tum cum Serapione Chrysostomi Archidiacono collisus, quaedam effutiit Christiano homine, ac praecipue Episcopo indigna. His cognitis Chrysostomus, ex Asia reversus, amicitiam cum Severiano abrupit, illi tandem, precibus Eudoxiae Augustae A. 401. reconciliatus. At malam hominis fidem fuisse, quae secuta sunt tempora, docuerunt. Coorta paulo post adversus S. Chrysostomum foedissima tempestate, Severianus inita cum Theophilo Alexandrino societate, Sanctissimum virum acerbissime insectatus est; nec ante quievit, quam in ordinem redactus, atque in exilium missus, aerumnis conficeretur. An Severianus Chrysostomo diu superstes fuerit, quove anno, aut quo mortis genere objerit, non liquet.

Extant aliquot ejus *Orationes*, quae inter Opera S. Joannis Chrysostomi ab Henrico Savilio edita vagantur. *Oratio in Nativitatem Christi. De Sigillis librorum. De Serpente aeneo Moysis. Sermo de pace* in Ecclesia CPolitana habitus, cum a B. Chrysostomo susceptus est. *Oratio de morte Innocentum. Homilia de Cruce* Graece et Latine in Auctario *Francisci Combefisii* O. P. Parisiis A. 1656. *Orationes VI. de Creatione Mundi* Graece et Latine in Auctario novissimo *Combefisii* Parisiis A. 1672., Latine tantum Tomo XXVII. Bibliothecae Maximae Lugdunensis. Plura alia Severianos scripsit, quae modo haud amplius extant, sed a Veteribus dilaudata fuisse constant. Ejusmodi sunt *Orationes plures de Cruce*, ex quibus quartam citat S. Damascenus Orationes III. de Imaginibus. *Expositio in Job*, cujus fragmenta

plurima conservavit Catena in Job a Paulo Comitolo S. J. Venetiis A. 1587. edita. *Liber contra Novatum*, cujus fragmentum extat apud Gelasium Lib. de duabus Christi naturis. *Libellus de Baptismo*, *et Epiphaniae solemnitate*. *Expositio in Epistolam ad Galatas*, quam se legisse ait *Gennadius* in Catalogo Virorum Illustrium, Cap. XXI. *Sermonum* volumen ab Oecumenio citatum.

CCXXX. *Severus Sulpitius*, alius omnino a Sulpitio Severo Bituricensi Episcopo, cujus memoriam Ecclesia die XXIX. Januarii celebrat, apud Nitiobriges Aquitanos nobilissima stirpe ortus est. Adolescens eloquentiae saeculari operam dedit, atque in foro summa cum laude versatus est. Uxorem dein ex Consulari familia duxit, qua praemature orbatus, Clero nomen dedit. Magnam probitatis famam sub magisterio S. Martini Turonensis, et S. Phoebadii Agennensis consecutus, Primuliaci Oppidi curam sibi ab Episcopo demandatam impigre exercuit, *Primuliacensis Presbyter* idcirco nuncupatus. Amicitiam cum viris aevi illius celeberrimis contraxit; cum S. Hieronymo, apud quem in Palaestina sex mensibus versatus est cum S. Augustino, et S. Paulino Nolano Episcopo, a quo plures Epistolas obtinuit. Severum in senectute sua a Pelagianis deceptum, agnita culpa silentium usque ad mortem tenuisse, ut peccatum quod loquendo contraxerant, tacendo penitus emendaret, primus ex antiquis scripsit *Gennadius* Massiliensis in Libro de Viris illustribus, Cap. XIX., cujus fidem hac in re merito suspectam habet *Guibertus* Abbas in Apologia pro Severo. Obiit Severus circa annum 420.

Genuina Severi Sulpitii Opera sunt: *Historiae sacrae Libri II.* a Mundi exordio ad annum usque aerae Christianae 400. Coss. Stilicone et Aureliano perducti, ac stylo conscripti prorsus eleganti, et longe supra saeculi sui genium terso ac polito. *Liber de B. Martini Vita* cum Praefatione ad Desiderium. *Epistola I. ad Eusebium Presbyterum contra aemulos virtutum B. Martini. Epistola II. ad Aurelium Diaconum de obitu, et apparitione B. Martini. Epistola III. ad Bassulam socrum suam, quomodo B. Martinus ex hac vita ad immortalem transierit. Dialogi III.* interlocutoribus Gallo et Posthumiano, se mediante, et judice; quorum primus agit de conversatione et virtutibus Monachorum Orientalium, secundus et tertius de virtutibus B. Martini. In his Dialogis Severus Chiliastarum seu Millenariorum errorem secutus est; ideoque S. Gelasius Papa in Concilio Romano A. 494. Dialogos illos sub titulo *Galli, et Posthumiani* inter apocrypha retulit. *Stephanus Baluzius* Miscellaneorum Tomo I. Parisiis A. 1679. *Epistolas II.* Severi ad Claudiam sororem primus edidit, et Lucas Dacherius O. S. B. Tomo V. Spicilegii alias ejusdem *Epistolas IV.* Quinta, quae ibi extant, non hujus, sed alterius est Severi, natione Afri. Severi Sulpitii Opera omnia prodierunt cum *Drusii* commentario Franeckerae A. 1607., cum notis *Georgii Hornii* Lugduni Batavorum A. 1647., ac nuper Dissertationibus, et Observationibus illustrata a *Hieronymo de Prato* Congregationis Oratorii, Veronae A. 1754. Tomis II. in 4.°

CCXXXI. *S. Cajus Sollius Sidonius Apollinaris*, nobilissimo inter Gallos genere, ac patre avoque Praefectis Praetorio Galliarum, Lugduni circa annum 430. natus est. Optimis ab ineunte aetate liberalium artium

usus magistris, eam in omnibus natura et studio laudem est consecutus, ut eruditorum sui aevi peritissimus ac disertissimus haberetur. Papianillam Flavii Aviti Consulis ac demum Imperatoris filiam uxorem duxit, ex qua tres suscepit liberos, Apollinarem, Rosciam, ac Severianam. Poëtices in primis fama clarus, non solum apud aequales amicos, verum etiam apud Principes ipsos in pretio fuit. Quorum alterum declarant omnium generum epigrammata et carmina, quae amicorum rogatu variis de rebus officiosissime scripsit; alterum tres Panegyrici heroico carmine conscripti, quibus Avitum socerum Romae A. 456., Majoranum Lugduni A. 458., et Anthemium Augustos initio anni 468. publice laudavit, benevolentiaeque a singulis fructum tulit: nam et Romae statuam inter Poëtas sub Avito in fori Trajani Bibliotheca meruit; et a Majorano, cum Circenses daret Arelate, solemni ejus epulo inter honoratos adhibitus est. Ab Anthemio denique post Comitivam aliasque, quibus ornatus antea fuerat, dignitates Romanae Urbis Praefectus atque Patricius creatus, familiam suam, quam praefectoriam a Majoribus acceperat, reddidit patriciam. Nec multo post defuncto Arvernorum, seu Claromontano Episcopo Eparchio circa finem anni 471., vel initium sequentis, in ejus locum, quamvis renitens, et nondum Clericus, suffectus est. Suscepto Episcopali munere renuntiavit arti poëticae, quemadmodum ex variis ejus Epistolis constat et proprias Episcopo virtutes exercuit, commissum sibi munus summa vigilantia parique sanctitate turbidissimis illis temporibus, maximasque inter difficultates administrans: primum enim obsessis per Gothos Arvernis, diutinae acerrimaeque oppugnationis molestias pertulit.

Deinde redacto ex Nepotis Augusti foedere A. 475. in hostium potestatem oppido, ab Enrico Gothorum Rege Ariano, qui eum de studio partium suspectum habebat, quod praecipuas Romanorum familias affinitate attingeret, aliquamdiu exulare coactus est. Tum Leonis Regii Ministri opera suis tandem redditus, cum nullam inter barbaros optimi pastoris partem omitteret, ac singulari in omnes benignitate, atque in egenos munificentia uteretur, aemulorum tamen, ut mos est, in se odia concitavit; duorum videlicet Presbyterorum, qui omni Ecclesiae suae potestate per summam contumeliam exutum, in maximas rerum omnium angustias coniecerunt. Sed diuturnas esse aerumnas illas divina ultio passa non est. In integrum ergo restitutus, nec diu tamen postea superstes, Aprunculo successore non sine divina praesensione designato, ad coeli praemia evolavit circa annum Christi 488., die XXI. Augusti, qui exinde anniversariae ipsius memoriae apud Arvernos dicatus est, et tumulo inscriptus, quamvis Romanum Martyrologium ad diem XXIII. Augusti S. Sidonii meminerit.

Extant *Carmina* ipsius XXIV. et *Epistolarum Libri IX.* quos ipse ante obitum suum digessit, ac priores septem Constantio Presbytero, octavum Petronio, nonum Firmino nuncupavit. Quaedam S. Sidonii Opuscula perierunt, vel adhuc latent, scilicet *Tractatus adversus quemdam dies bonos male ferentem*, *Libri de Missis*, et *Vita Appollonii Thyanaei* e Graeco in Latinum versa, aut potius emendata. His tamen *Caveus* male accenset *Panegyricum* ad Majoranum et Anthemium Augg., qui extat inter ejus carmina XXIV., et *Satyram in Paeonium*, Marcellianae conjurationis ducem, cujus se authorem fuisse ipse S. Sidonius coram Majorano Impe-

ratore diserte ac rotunde negavit. Opera S. Sidonii Apollinaris prodierunt cum Commentariis *Joannis Savaronis* Parisiis A. 1599., et cum notis *Jacobi Sirmondi S. J.* Parisiis A. 1614., atque iterum ibidem A. 1652. cum notis ejusdem auctioribus.

CCXXXII. *Sigebertus*, Gemblacensis in Brabantia Monachus O. S. B., in Monasterio S. Vincentii apud Metenses scholam aperuit, studiaque litterarum ibi profligata instauravit. Gemblacum dein reversus, reliquum vitae tempus ibidem egit. Vir fuit doctus et eruditus, sed Henricianis partibus adversus Romanos Pontifices S. Gregorium VII., Urbanum II., et Paschalem II. ad procacissimam usque infrunitae mentis audaciam addictus. Obiit Gemblaci A. 1113., die V. Octobris, homo Schismaticus, a Catholicae Ecclesiae communione sejunctus. Genuina ejus Opera sunt: *Chronicon*, ab eo tempore, quo Hieronymiana ad Eusebii Chronicon Appendix desinit, id est, ab anno 382. ad annum usque 1112., continuatum dein ab *Anselmo* Abbate Gemblacensi ad annum usque 1136. Edidit illud, ad fidem Autographi Codicis Gemblacensis collatum, atque a quisquiliis *Galfridi Monumetensis*, sive Asaphensis, quae in omnibus praecedentibus editionibus legebantur, purgatum, *Aubertus Miraeus* Antuerpiae A. 1608. In hac ipsa autem Sigeberti editione, quae Autographo consonat, quodque non solus Miraeus, sed et *Joannes Molanus* Doctor Lovaniensis se vidisse testatur, nihil de fabulosa *Joanna Papissa*, nihil de commentitio *Hadriani I.* privilegio legitur, Carolo Magno, ut fertur, concesso. *Liber de Viris illustribus*, seu Scriptoribus Ecclesiasticis, ab eodem *Auberto Miraeo* in Bibliotheca Ecclesiastica editus Antuerpiae A. 1639. *Vita S. Theodorici*

Metensis Episcopi, quae extat apud *Godefridum Leibnizium* inter Scriptores rerum Brunsuicensium illustrationi inservientes, Hanoverae A. 1707. *Vita S. Sigeberti* Austrasiae Regis apud *Laurentium Surium* in Vitis Sanctorum ad diem VII. Februarii, *Vita S. Guiberti* Confessoris apud *Surium* ad diem XXII. Maii. *Vita S. Maclovii* apud *Surium* ad diem XV. Novembris. *Vita S. Lamberti* Episcopi Trajectensis apud *Bollandi* Continuatores Tomo V. Septembris ad diem XVII. *Gesta Abbatum Gemblacensium*, ab alio quodam Monacho post Sigeberti obitum continuata, quae extant Tomo VI. Spicilegii *Dacheriani Epistola pro Ecclesia Leodiensi, et Cameracensi adversus Epistolam Paschalis II.* Habetur impudentissima haec satyra, homine schismatico digna, apud *Goldastum*, pretiosarum harum mercium collectorem, in Collectione Antigregoriana Hanoviae A. 1611. Alia Sigeberti Opuscula hactenus numquam edita fuere, licet in MSS. Codicibus extare adhuc dicantur nempe *Vita S. Theodardi. Sermo in laudem S. Luciae V. et M. Libri III. metrice conscripti de Passione SS. MM. Thebaeorum. De Jejunio IV. Temporum* ad Trevirenses. *Responsum ad Hildebrandi* (S. Gregorii VII.) *Papae Epistolam. Apologia ad Henricum Imperatorem contra eos, qui calumniantur Missas conjugatorum Sacerdotum. Ecclesiastes litter aliter, allegorice, mythologice, metro heroico descriptus. Passio S. Luciae, metro descripta.*

CCXXXIII. *Simeon Metaphrastes*, CPoli nobilissimo genere ortus, floruit Saeculo X. sub Leonis Sapientis sive Philosophi, extremis temporibus, ejusque filio Constantino, vel cum matre, vel cum Romano Lecapeno Orientalis imperii habenas moderante.

Praestanti ingenio, omnique politiori litteratura ornatus cum esset, summos in Republica honores facile est consecutus, factus Protosecretarius, Patricius, magnus Logotheta, seu Cancellarius, denique Magister Palatii, quod munus inter summas Aulae CPolitanae dignitates eminuit. Unde merito carpendi sunt Heterodoxi quidam Scriptores, qui ad elevandam Simeonis authoritatem, eum cum Hospiniano, et Josia Simlero, plebejum ac triobolarem Ludi magistrum appellant. Tempus quod a negotiis publicis vacuum habuit, litterarum studio impendit, praecipue vero illustrandis Ecclesiae antiquitatibus incubuit. Jubente enim Constantino Imperatore Vitas Sanctorum, ante sua tempora scriptas, undique conquisivit, et conquisitas recensuit: elegantiores tamquam Lectorum conspectu dignas calculo suo approbavit; minus elegantes vero partim nitidiore stylo vestitas, partim nova forma et methodo dispositas in ordinem redegit ac digessit, *Metaphrastes* idcirco appellatus, quod Sanctorum gesta metaphrasibus suis exornarit: quasdam etiam ex majorum traditione acceptas ipse condidit, a S. Theoctista Lesbia Virgine auspicatus. Vitarum, quas hoc modo conscripsit, numerus in immensum cumulum posterorum negligentia auctus est, obscuri cujusvis, anonymique scriptoris narratiuncula Simeoni Metaphrasti mox adscripta. *Leo Allatius* in Diatriba *de Simeonum scriptis* Romae et Parisiis A. 1664. edita ex DCLXXI. *Vitis Sanctorum*, quae Simeonis Metaphrastis nomen praefixum habent, non nisi CXXII. enumerat, tamquam legitimum Simeonis Metaphrastis foetum, argumentis tam ex stylo quam inscriptione ductis, easque tam editas quam

ineditas in Bibliotheca Vaticana, atque alibi MSS. Graece extare prodit; reliquas vero omnes, appositis ordine alphabetico uniuscujusque initiis, Metaphrastis abjudicat, ac veros illarum Authores saepissime designat. Porro Vitae Sanctorum a Metaphraste conscriptae, quamvis in Bibliothecis Vaticana, Regia Parisina, Bavarica etc. extent, numquam tamen hactenus Graece prodierunt, sed Latine tantum in Tomis *Aloysii Lipomani* Veronensis Episcopi, quo rogante eas e Graeco partim transtulere *Guilielmus Sirletus* postea Cardinalis, partim *Petrus Franciscus Zinus* Veronensis, partim etiam *Gentianus Hervetus* Aurelianensis, eruditissimi interpretes. Extant etiam multae apud *Laurentium Surium*, sed plerumque interpolatae; atque aliquas, numquam antea vulgatas, exhibent *Bollandus*, ejusque Continuatores in Actis Sanctorum.

Praeter *Vitas Sanctorum* scripsit Simeon Metaphrastes *Poemata IV.*, *Orationem de planctu B. Mariae, cum exanime Christi corpus amplexaretur*, *Epistolas IX.* Quae omnia Graece et Latine exhibet *Leo Allatius* in laudata Diatriba de Simeonum Scriptis. *Orationes XXXIII. de Fide, et moribus tum Christianis tum Monasticis. Liber divinorum Amorum*, seu *de Laudibus sacris Commentationes. Capita CCXXVIII. Moralia, Practica, et Theologica*, quae omnia ex *Jacobi Pontani S. J.* versione, et cum notis *Jacobi Gretseri S.* J. A. 1603. Ingolstadii prodierunt, ad *Simeonem* juniorem, Abbatem Monasterii S. Mamantis ad Xylocercum pertinent, qui circa annum 1051. floruit. *Orationes XXIV. Ethicae* ex libris S. Basilii Caesariensis Archiepiscopi delibatae, quae ex versione *Simonis* a *Maille* Archiepiscopi Turonensis Parisiis A. 1556.

prodierunt, adscribendae videntur alteri cuidam *Simeoni Logothetae* Saeculi XII. Scriptori. Eumdem Simeonem authorem habuisse censentur *Annales*, ex diversis decem Historicis collecti, a Leone Armeno usque ad Nicephorum Phocam, quos Graece et Latine inter Scriptores post Theophanem edidit *Franciscus Combefisius O. P.* Parisiis A. 1685., quamquam non desint alii, qui eosdem Annales Simeoni Metaphrasti vindicent, aut alteri Simeoni Logothetae asserant, quem ad finem Saeculi X. vixisse contendunt.

CCXXXIV. *Smaragdus*, Coenobii S. Michaëlis ad Mosam in Dioecesi Virdunensi O. S. B. Abbas, ab Ardone Smaragdo Ananiensi Monacho, atque ab altero Smaragdo Monasterii S. Michaëlis in Saxonia Abbate distinguendus, Caroli M. et Ludovici Pii temporibus floruit. Anno 810. interfuit Collationi inter Leonem III. Papam, et Caroli M. Legatos, Bernarium Vormatiensem, Jesse Abianensem Episcopos, et Adalardum Corbejensem Abbatem, de Processione Spiritus Sancti habitae. Quo anno obierit, non liquet. Genuina Smaragdi Abbatis Opera sunt: *Postilla*, seu *Commentarius in Evangelia, et Epistolas*, in Divinis Officiis per anni circulum legendus, qui Argentorati prodiit A. 1536. *Diadema Monachorum*, seu *documenta pro Monachis de vitiis fugiendis, et virtutibus tenendis*, Antuerpiae excusus A. 1540., et Tomo XVI. Bibliothecae Maximae Lugdunensis illatus. *Commentarius in Regulam S. Benedicti*, olim B. Rabano Mauro perperam adscriptus et Coloniae editus A. 1575. *Via Regia, Capitibus XXXII. distincta*, et Ludovico Aquitaniae Regi Caroli M. Filio dicata. Extat Spicilegii *Dacheriani* Tomo V. *Epistola Caroli M. ad Leonem*

III. Papam de Processione Spiritus Sancti, a Smaragdo scripta. Extat Tomo VIII. Conciliorum Collectionis *Labbei* et *Cossartii. Acta Collationis Romanae de Processione Spiritus Sancti*, quae *Jacobus Sirmondus S. J.* exhibet Tomo II. Conciliorum Galliae. *Grammatica major*, seu *Commentariorum in Donatum Libri XIV*. Prologum horum librorum edidit Parisiis *Carolus le Cointe* Trecensis, in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad annum Christi 824., Libri vero ipsi nusquam hactenus editi fuerunt, sed MSS. extant in Bibliotheca Corbejensi. In hoc Opere Smaragdus Abbas omnia exempla ex Divinis Scripturis deprompsit; quia multi Grammaticae studium aversabantur, quod non nisi nomina Gentilium, et exempla ex ipsorum libris excerpta legerent.

CCXXXV. *Socrates*, patria CPolitanus, Helladii, Ammoniique Grammaticorum Gentilium ea in urbe auditor, ad forum se contulit, et Causas aliquamdiu egit CPoli, *Scolastici* nomen idcirco adeptus. Tandem relicto foro, ad prosequendam Eusebii Caesariensis *Historiam Ecclesiasticam* animum calamumque convertit, quam orsus ab anno 306., quo Constantinus M. imperare coepit, Libris VII. perduxit usque ad annum 439., quo Theodosius junior Consulatum XVII. cum Festo gessit. Socratem Novatianis favisse consentiunt omnes; secta Novatianum fuisse plerique ex Eruditis affirmant, ut adeo *Henricus Valesius* frustra Aethiopem dealbare sit conatus. Satis enim se Catharum prodit Socrates, cum Novatianum sectae illius authorem inter Martyres numerat, et quae ad Novatianam sectam pertinent, incredibili diligentia persequitur: cum Sisinnii orationem commendat habitam adversus dictum

illud S. Joannis Chrysostomi, *Etiamsi millies poenitentiam egeris, accede*: cum Pauli Episcopi cujusdam et Eutychiani Monachi, ex secta Novatianorum, miracula describit: cum acerbiori calamo perstringit S. Joannem Chrysostomum, et S. Cyrillum Alexandrinum, a quibus Novatianos exagitatos fuisse sciebat. Sphalmata Socratis, et lapsus in re Historica non adeo infrequentes saepius notantur ab Hagiographis *Antuerpiensibus*, eosque, licet non omnes, compendio exhibet *Henricus Schuz S. J.* in Commentario Critico, pag. 424., et seq. Quatuor notae sunt Socratis Latinae versiones. Prima *Epiphanii* Scolastici, hominis nec Graece, nec Latinae linguae satis periti, interiit, nec nisi ejus compendium superest apud *Cassiodorum* in Historia Tripartita. Altera *Wolfgangi Musculi*, Monachi apostatae, et apud Bernates in Helvetia Professoris Theologi, Basileae A. 1557. impressa, a Graeco textu saepe abhorrens, obscura, lapsibus et lacunis horrida. Tertia *Joannis Christophorsoni*, Angli Catholici, et Episcopi Cicestrensis, prioribus longe exactior, edita Lovanii A. 1570., Coloniae recusa A. 1580., et 1612. cum explicationibus *Severini Binii* Coloniensis Canonici. Quarta, eaque omnium exactissima *Henrici Valesii*, quam vir doctissimus novis Adnotationibus illustratam, adjuncto Socratis Graeco textu, Parisiis edidit A. 1668., Cantabrigiae dein recusam A. 1720.

CCXXXVI. *S. Sophronius*, patria Damascenus, Philosophus primum, deinde Monachus, multiplici eruditione, divinarumque Scripturarum scientia ac pietate insignis, S. Joanni Eleemosynario Alexandrinorum Patriarchae familiaris, ac Joannis Moschi discipulus et individuus comes, sub Heraclio Imperatore floruit

saeculo VII. Orthodoxae fidei adversus Monothelitas acerrimus vindex, Cyrum Alexandrinum rogare et obsecrare, licet frustra, non destitit, ut Capitulum illud, quo una tantum in Christo operatio statuebatur, in Alexandrina Synodo procusum ad ineundam cum Theodosianis Acephalis falsam pacem, expungeret. In Palaestinam dein profectus, anno 633. exeunte, vel initio sequentis 634., Modesto Hierosolymitano Patriarchae paulo ante defuncto successor datus est. Hac dignitate auctus, Episcoporum quibus praeerat, Synodum coegit, damnataque Monothelitarum haeresi, Synodicam dedit ad Sergium CPolitanum, de quo nihil adhuc sinistri suspicabatur: tum Stephanum Dorensem in Palaestina Episcopum cum Actis Synodalibus Romam misit ad Honorium Pontificem, ut Sedes Apostolica grassanti haeresi obicem poneret, et Orientalium Episcoporum studia ad suffocandum novum errorem excitaret. Captis ab Omaro Saracenorum Rege Jerosolymis, obiit Sanctissimus Praesul A. 636., die XI. Martii, qua ejus memoria in Menologio Graecorum, et in Romano Martyrologio celebratur.

Extant ejus *Orationes II. in Crucem*, quae habentur apud *Jacobum Gretserum S. J.* Tomo II. de Cruce, prima Graece et Latine, posterior Latine tantum. *Homilia in Christi natalitia*, et *Encomium SS. Angelorum*, Tomo XII. Bibliothecae Maximae Lugdunensis Latine tantum. *Epistola* valde prolixa *ad Sergium* CPolitanum Patriarcham, in Actis Conciliorum apud *Joannem Harduinum S. J.* Tomo III. Columna 1257. et seq. *Oratio in S. Baptismum Servatoris nostri* extat Graece MS. in Regia Scorialensi Bibliotheca. *Hypomnemata*, seu *Commentarii de actibus, certaminibus, et peregrinationibus Apostolorum*, interierunt,

praeter pauca quaedam, uti et Orationum aliquarum fragmenta, de quibus consuli possunt *Petrus Lambecius* Lib. III. et V. Commentariorum Bibliothecae Caesareae Vindobonensis, et *Margarinus Bignaeus* in magna Bibliotheca Veterum Patrum editionis Parisiensis anni 1575., et 1589. *Limonarium* sive *Pratum Spirituale*, quamvis a compluribus S. Sophronio Patriarchae Hierosolymitano adscriptum fuerit, genuinus tamen est Joannis Moschi foetus; quamvis non improbabile sit Sophronium, juncta cum Moscho opera, Limonario texendo insudasse. *Vita S. Mariae Aegyptiacae*, quae a *Paulo Diacono* Latine versa extat apud *Danielem Papebrochium S. J.* in Actis Sanctorum Tomo I. Aprilis ad diem II., et Graece etiam in Appendice ejusdem Tomi pag. 13., plurimi adscribunt S. Sophronio. At *Papebrochius* loco cit. eamdem S. Sophronio abjudicat, putatque ejus authorem Sophronio fuisse longe antiquiorem. Illud postremo monendum, S. Sophronium, Patriarcham Jerosolymitanum, non esse confundendum cum altero integris ducentis annis antiquiore Sophronio, cujus tamquam aequalis sui Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis Cap. CXXXIV. *S. Hieronymus* meminit: aut cum alio pariter Sophronio authore Libri pro S. Basilio contra Eunomium, quem *Photius* in Bibliotheca, Codice V. maximopere dilaudat.

CCXXXVII. *Hermias Sozomenus*, ex Bethelia Palaestinae juxta Gazam vico oriundus, *Salaminii* nomen non a Salamine urbe Cypri, sed a Salamane quodam B. Hilarionis discipulo, sibique consanguineo accepit. Beryti Phoeniciae urbe jurisprudentiae operam dedit, ac postea CPolim profectus in Causis agendis

versatus est, *Scholastici* nomen idcirco adeptus. ***Epitomen brevem Historiae Ecclesiasticae*** libris duobus contentam, ab Ascensione Christi ad annum usque 323. primum concinnavit, quae interiit: tum vero majus opus aggressus, ***Historiam Ecclesiasticam***, in IX. Libros divisam, conscripsit, quam Theodosio II. Imperatori nuncupavit, et a tertio Crispi et Constantini Caesarum Consulatu usque ad XVII. ejusdem Theodosii Consulatum est prosecutus, prout in Epistola dedicatoria ipse testatur. Ea tamen, quae hodie extat, Sozomeni Historia manca omnino et mutila est; desinit enim in morte Constantii Imperatoris, qui Placidiam Honorii, et Arcadii sororem duxerat, et inventione Reliquiarum S. Zachariae Prophetae; etsi in totius Operis praefatione, sive Epistola nuncupatoria Historiam suam usque ad XVII. Theodosii Consulatum, sive annum Christi 439. a se fuisse productam luculenter affirmet. Anni proinde prope viginti in ea desiderantur, qui sive temporum sive librariorum injuria vel incuria exciderunt. Unde praeceps videtur illorum censura, qui cum Melchiore Cano, Pagio, et Valesio, *S. Gregorium M.* memoria vitio lapsum fuisse contendunt, cum Lib. VI. Registri, Epistola XXXI. Sozomeno vitio vertit, quod Theodorum Mopsuestenum immodicis laudibus extulerit. Quamvis enim haec hodie in Sozomeno non legantur; quia tamen viginti ferme annorum periodus ex Libro IX. Historiae illius interiit, facile contingere potuit, ut plenior Sozomeni Codex, quo usus est S. Gregorius Magnus, ea exhibuerit, quae nostra aetate non amplius apparent, ac forsan etiam S. Gregorii temporibus in aliis Sozomeni Codicibus incuria Librariorum desiderabantur.

Novatianis communi judicio accensetur Sozomenus; quamquam id paulo minus de illo, quam de Socrate constare videtur. Uter ex altero non pauca mutuarit, liquidum non est, cum eodem tempore Historiam suam Ecclesiasticam uterque in lucem emiserit. Quod paulo ante de Socratis, id etiam de Sozomeni versionibus atque editionibus dicendum est; communes enim habuerunt Editores, ac interpretes.

CCXXXVIII. *Stephanus*, natione Gallus, patria Aurelianensis, Canonicus primum Regularis Ord. S. Augustini, tum Abbas S. Evurtii Aurelianensis, ac deinde A. 1177. S. Genovefae Parisiensis, tandem A. 1191. Tornacensis Episcopus a Guilielmo Rhemensi consecratus, obiit singularis probitatis ac doctrinae fama relicta, Tornaci A. 1203., die IX. Septembris. Scripsit *Epistolas* CCLXXXVII., quas Parisiis edidit *Claudius de Molinet* Canonicus Regularis Congregationis Gallicanae A. 1682. *Sermones* XXXI. extant MSS. in Bibliotheca Tornacensi S. Genovefae. *Commentarii in Decretum Gratiani* MSS. habentur in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis. Verum cum illi prolixiores sint, nec nisi trita et vulgaria contineant, omittenda duxit Stephani editor Molinetus, solumque Proemium speciminis causa lectori exhibuit.

CCXXXIX. *Sylvester II.*, antea *Gerbertus O. S. B.*, Aureliaci in Arvernia Gallorum provincia natus, Ottonis III. Imperatoris, Roberti Francorum Regis, ejusque filii Hugonis praeceptor, cum in Aula Francica plurimum posset, convocata Synodo Arnulphum Rhemorum Archiepiscopum A. 991. Sede sua ejiciendum, seque in locum ejus subregandum curavit. Verum a Joanne XV. Romano Pontifice depositus, Otto-

nis III. Imperatoris favore A. 995. Ravennatensis in Italia Archiepiscopus, ac demum Gregorio V. mortuo, Romanus Pontifex A. 999. renuntiatus est. Assumpto Sylvestri II. nomine Pontificatum sancte atque integerrime administravit, nec levissima praetermittens, quae ad defensionem Ecclesiae spectabant. Stephanum, Hungarorum Regem sanctissimum, qui Pannoniam ad Christi fidem perduxerat, Regis nomine, Regioque diademate cohonestavit, Crucem ante ipsum, ceu Apostolatus insigne, gestari jussit, Strigoniensem Ecclesiam, eo rogante, Metropolim constituit, caeteros Episcopos, gentemque totam Apostolica benedictione confirmavit. Obiit die XII. Maji A. 1003. *Benno* Pseudo-Cardinalis, homo schismaticus, atque impudentissimus calumniator*, annis post Sylvestri II. mortem facile LXX., inauditam antea cudit fabulam, scribens, eum magicis artibus summas dignitates adeptum fuisse, depacta pro mercede diabolo anima, quam illi etiam extorserit, cum Sylvester II. in Romana Basilica S. Crucis in Jerusalem dicta Sacrum faceret. Fabulam hanc in Commentarios suos retulere Historici nimis creduli, et minus accurati, Sigebertus Gemblacensis, Martinus Polonus, Vincentius Bellovacensis, Wernerus Rolewink, Guilielmus Malmesburiensis, Bartholomaeus Platina, aliique. Occasionem huic fabulae dedit cum mira Sylvestri II. felicitas, tum summa ejus illo aevo in Mathematicis peritia, in novis horologiis, aliisque machinis excogitandis acerrimum ingenium, in perficiendis industria quae rudi saeculo ineruditis hominibus absque familiari genio et daemonis ope fieri non posse videbantur.

Extant Sylvestri II. *Epistolae* CLX. ab eo, dum Sedem adhuc Rhemensem teneret, scriptae, quas ediderunt *Papirius Massonus* Parisiis A. 1611., et *Duchesnius* Tomo II. Francicorum Scriptorum, Parisiis A. 1636. *Epistolae* III. post Pontificatum susceptum scriptae, Tomo IX. Collectionis Conciliorum *Labbei*, et *Cossartii*. *Liber de Sphaera*, et *Sermo de informatione Episcoporum*, apud *Joannem Mabillonium* Tomo II. Analectorum. *Epigramma* elegantissimum *in imaginem Severini Boetii*, apud *Baronium* in Appendice Tomi VII. Annalium Ecclesiast. *Liber de Arithmetica*, seu de Numeris, ad Constantinum Monachum Floriacensem, et *Liber de Geometria* extant adhuc inter MSS. Bibliothecarum Codices. Scripsit praeterea *Dialogum inter ipsum*, *et Leonem Nuntium Apostolicum*, *Librum de Compositione Astrolabii*, *Librum de Rhetorica*, *Orationem in Synodo Mosonii habita* A. 995., quae an alicubi delitescant, incertum est. Eum non esse Auctorem *Vitae S. Adalberti*, Pragensis Episcopi, perhibent *Pagius* Tomo II. Brev. Rom. Pontif., *Henschenius* in Actis Sanctorum ad diem XXIII. Aprilis, et *Mabillonius* Saeculo V. Benedictino.

CCXL. *Synesius*, patriam nactus Cyrenen, Pentapoleos in Libya Aegypto proxima celeberrimam urbem, ab ineunt aetate Philosophiae operam dedit Alexandriae, Magistra usus Hypatia, Theonis praestantissimi Mathematici filia. Uxorem postea duxit, atque ex ea quatuor suscepit filios. Legationem pro patria per triennium CPoli obiit apud Arcadium Imperatorem Theodosii Magni filium, ad quem elegantissimam illam de Regno Orationem habuit. Anno 410. electus fuit

Episcopus Ptolemaidis, quae urbs est in Cyreniaca, electionem illam ratam habente Theophilo Alexandrino. Consule quae de Synesii Ordinatione habentur Tomo III. Theologiae Dogmatico-Polemicae, Num. DLXXXIV. Pastorale munus, quod aegerrime, ac pene invitus admisit insigni vigilantia, zelo, ac pietate exercuit, submotis qui gregi insidiabantur Eunomianis, damnatisque intrepido animo sceleratis, qui Ecclesiae authoritatem contemnebant. Quamdiu in sacra illa ministratione vixerit, quove anno obierit, a nemine proditum est. Genuina Synesii Opera sunt: *Oratio de Regno* ad Arcadium Imperatorem. *Dio*, vel *de ipsius vitae instituto*. *Calvitii Encomium*. *Aegyptius*, sive *de Providentia Libri II*. *Liber de insomniis*. *Epistolae* CLV. *Conciuncula in pervigilio Natalis Domini*. *Catastasis*, in qua Pentapolitana calamitas describitur. *Homilia* in Psalmum LXXIV. *Constitutio* sive *Elogium Anysii*. *Sermo de dono Astrolabii* ad Paeonium. *Hymni* X. Omnia haec Synesii Opuscula edidit, pleraque e Graeco vertit, ac notis illustravit *Dionysius Petavius S. J.* Parisiis A. 1612., atque iterum multo accuratius et uberius Graece et Latine ibidem A. 1633.

T

CCXLI.

Tatianus, in Mesopotamia Assyriae provincia natus, Philosophus primum Gentilis, dein sacrorum librorum lectione ad Christianam fidem perductus, S. Justini Martyris discipulus fuit, celebris in Ecclesia, quamdiu

ab ejus latere non discessit. Post gloriosum Magistri sui agonem scientia sua elatus, fidei naufragium fecit, in foedissimus errores prolapsus. Roma enim in Orientem reversus, novam ibidem excogitavit haeresin, ex Valentini praecipue et Marcionis erroribus compactam, invisibilis Aeones commentus, damnans tamquam stuprum et corruptionem conjugia, negans Adami salutem, inducens a vino et animatis abstinentiam, et aquam solam adhibens in sacro Altaris mysterio. Hinc ejus sectatores *Encratitae* et *Hydroparastatae* appellati sunt, qui dein Magistri sui erroribus alios addiderunt. Quo anno, aut quo fati genere obierit, non liquet; quamvis id sub M. Aurelio Antonino contigisse nemo dubitet. Eusebio et Hieronymo testibus, infinita scripsit volumina, quae tamen omnia interierunt praeter *Orationem* valde disertam, multaque eruditione conscriptam, qua ostendit, nullum esse artium aut scientiarum genus, quod Graeci Barbaris acceptum referre non debeant: adeoque supercilium omne vanamque ostentationem ab iisdem Graecis esse deponendam. Extat insignis ea Oratio notis *Frontonis Ducaei S. J.* illustrata, Tomo I. Bibliotheeae Graeco-Latinae Veterum Patrum Parisiis A. 1624., atque ad calcem Operum *S. Justini Martyris* editionis Parisinae anni 1615., et 1636., Latine tantum Tomo II. Bibliothecae Maximae Lugdunensis. *Diatessaron*, seu *Harmonia Evangelica*, incipiens a primis Evangelii S. Joannis verbis, *In principio erat Verbum etc.*, quae Tomo II. Bibliotecae Lugdunensis extat praefixo Tatiani nomine, et in Orthodoxographis SS. Patrum monumentis Tomo I. Basileae A. 1569. *Ammonio* Alexandrino adscribitur, quamque in Latinum sermonem vertisse *Ottmarus Luscinius* dicitur, probabilius

nec Ammonii, nec Tatiani est; sed elegans, ac Latini Anonymi cujusdam in Evangelia paraphrasis, quae numquam ex Graeco textu versa est.

CCXLII. *Quintus Septimius Florens Tertullianus*, cujus aetatem exacte definire arduum opus est, Carthagine in Africam ex Centurione Proconsulari natus, floruit sub Severo Principe, et Antonino Caracalla, labente II. Saeculo, ac tertio inchoato. Legum Romanarum peritissimus Carthagine causas egit, lectisque Veterum Apologiis adversus Gentes, Christianam Religionem amplexus, abjecta toga pallium induit, quo severius vitae institutum profitebatur. Uxorem duxit, num Gentiles, num Christianus, incertum: tum vero abdicata re uxoria, ac saecularibus negotiis, Sacerdotio initiatus, Romae complures annos transegit. Ibi vir austerioris ingenii, et severae indolis, Montani errores palam propugnare coepit, pluribus editis contra Ecclesiam Libris, salibus ac satyrica mordacitate respersis. Obiisse creditur circa annum 216. Num ante obitum ad Ecclesiae unitatem ejurata haeresi redierit, nullus Veterum memoriae prodidit. Hieronymus certe Helvidio, illum pro suo errore laudanti, nihil aliud respondit, quam Tertullianum Ecclesiae hominem non fuisse.

Genuina Tertulliani Opera sunt: *Apologeticus Liber contra Gentes*, magna ac solida eruditione, ac zelo conscriptus. *Ad Nationes Libri II.* a Jacobo Godefredo J. C. primum editi Genevae. A. 1623. *De Testimonio animae adversus idola. Liber Apologeticus ad Scapulam*, Africae Proconsulem, in Christianos saevientem. *De Spectaculis. De Idololatria. De Corona militis. De Pallio. De Poenitentia. Opusculum de Oratione*, quod mutilum antea primus integrum edidit Ludovi-

vicus Ant. Muratorius Tomo III. Anecdotorum, Patavii A. 1713. *Ad Martyres. De Patientia. Libri II. de cultu foeminarum*, quorum primus saepe inscribitur *de Habitu muliebri. Libri II. ad Uxorem. De Virginibus velandis. Adversus Judaeos. Liber de Praescriptionibus adversus Haereticos*, in quo non priores tantum, sed futuros etiam, et quibuscumque saeculis orituros refutat; immo et se refellit ipse, et contra suos errores arma invicta et aeterna recte sentientibus praebet. *De Baptismo. Adversus Hermogenem. Adversus Praxeam, Patripassianorum ducem. De Anima. Libri V. adversus Marcionem. Adversus Valentinianos. De Carne Christi adversus quatuor haereses. De Resurrectione carnis. Scorpiacon adversus Gnosticos.* In Montani haeresim jam lapsus, ac Catholicae Ecclesiae professus hostis, scripsit Libros *de Exhortatione castitatis, de Monogamia, de Fuga in persecutione, de Jejuniis adversus Psychicos, de Pudicitia.* Inter deperdita Tertulliani scripta numerantur. *Libri VII. de Ecstasi*, quibus spiritum propheticum Montani, vanasque stultarum mulierum Priscillae et Maximillae vaticinationes commendabat, *Liber de Paradiso*: *De Spe fidelium, Adversus Apellecianos, De Vestibus Aaron. Libri V. adversus Marcionem*, carminibus conscripti, aliaque *poëmata*, videlicet *de Judicio Domini, de Genesi, de Sodoma, de Jona, et Ninive*, et *Carmen ad Senatorem*, nullo Antiquorum testimonio, nullaque ratione a quibusdam Tertulliano fuerunt adscripta: neque enim tantum virum tam iratas habuisse Musas credendum est. *Catalogus Haereticorum*, qui Libro de Praescriptionibus adversus Haereses subnecti solet, authorem habet Saeculo V. minime anteriorem. *Liber de Trinitate* Novatiano, primi Schismatis in Ec-

clesia Dei authori, Legitimo parenti suo jam pridem est restitutus. Tertulliani Opera omnia notis et observationibus illustrata ediderunt *Jacobus Pamelius* Antuerpiae A. 1579., 1584., atque alibi saepius. *Ludovicus de Lacerda S. J.* Parisiis 1624., 1630., 1634. *Nicolaus Rigaltius* Parisiis 1641., ac Venetiis 1744., *Philippus Priorius* Parisiis 1663. cum integris Rigaltii, selectis Pamelii et Lacerdae, aliorumque notis.

CCXLIII. *Theodoretus*, Antiochiae Syriae ex nobili et opulenta stirpe circa annum 386. progenitus, sterili matri post tredecim conjugii annos precibus Macedonii sanctissimi Ascetae a Deo donatus est. Nondum septimum vitae annum exegerat, cum a parentibus ad S. Euprepii Monasterium in Antiochiae suburbiis amandatur, litterarum studiis, bonisque moribus imbuendus: quo in loco arctissimam cum Nestorio CPolitano, et Joanne Antiocheno, postea Episcopis, amicitiam contraxit, praeceptores nactus Theodorum Mopsuestenum, et S. Joannem Chrysostomum. Anno 420. Theodotus Antiochenus Theodoretum, invitum licet et reluctantem, Cyrensis Ecclesiae in Euphratesia provincia Episcopum consecravit, quod neminem eo aptiorem judicaret restaurandae Ecclesiasticae disciplinae, profligandisque haereticis. Et vero Praesulis sui expectationem implevit Theodoretus: indicto enim haeresibus bello, non sine capitis sui periculo haereticos omnes, quibus Cyrensis Dioecesis obsita erat, ad unitatem Catholicam revocavit, atque eos inter decem Marcionitarum millia sacro Fonte lustravit. Exorta dein Nestoriana haeresi, gravissimoque Orientales inter Aegyptiosque Antistites dissidio, non levem nomini suo infamiae notam inussit. Quamvis enim impuro Nestorii dogmati assensum numquam praebuisse

sit credibile; ejus tamen personae veteris necessitudinis tenax nimium savit, multaque in ejus defensionem scripsit, quae ad sensum Catholicum aegre perduci queunt. Ad haec iniquiori semper fuit animo erga S. Cyrillum Alexandrinum Antistitem, praecipuum Nestorii adversarium, non tantum circa tempora Concilii Ephesini, quibus adversus XII. Anathematismos Cyrilli calamum strinxit; verum etiam post initam pacem inter Joannem Antiochenum et Cyrillum, cui Orientales omnes subscripserant. Audita enim Cyrilli, morte gaudium non ferens, Sancti viri piis Manibus insultavit, cum in sermone A. 444. Antiochiae habito, tum in Epistola ad Domnum Antiochenum scripta, licet in Actis Synodi V. Amanuensis imperitia inscripta legatur Joanni Antiocheno, qui jam anno 441., obierat. Hinc Dioscorus Alexandrinus, S. Cyrilli successor. et Eutychianae patronus haereseos, cui Theodoretum infensissimum noverat, ansam paulo post arripuit ipsum velut Nestorianum insectandi. Indicta itaque A. 449. praedatoria Synodo Ephesina, egit Dioscorus cum Theodosio II. Imperatore, ne Theodoretus eo veniret, sed sacra jussione Cyro concluderetur, quo facilius absentem et inauditum opprimeret. Damnatum, et exauthoratum ab Eutychianis, atque ad tribunal suum provocantem S. Leo Magnus absolvit, ac Sedi suae restituit: quem deinde A. 451. ut Orthodoxum Episcopum admisit Chalcedonensis Synodus, posteaquam Nestorio anathema dixisset. Obiisse creditur septuagenario major circa annum 458. Leone Augusto imperante.

Genuina Theodoreti Opera sunt: *Quaestiones in Octateuchum*, sive in Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Josue, Judices, Ruth. *Quae-*

stiones in libros Regum, et *Paralipomenon. Interpretatio in omnes Psalmos. Interpretatio in Cantica Canticorum* ad Joannem Episcopum. *Interpretationis in Isaiam Epitome. Interpretatio in Jeremiam, Baruch, Ezechielem, Danielem, et XII. minores Prophetas. Expositio in omnes Epistolas B. Pauli*, in qua succincte quantum fieri potest, eleganter, ordinate, ac pie sensus Pauli explicantur, et sententiae sententiis, quod in Paulo videtur difficillimum, miro artificio conjunguntur. *Ecclesiasticae Historiae Libri V.* ab anno 324. ad 429. Insigne Opus, Socratis et Sozomeni Historia longe accuratius. *Gennadius* in Libro de Viris illustribus decem Historiae Ecclesiasticae Libros a Theodoreto scriptos fuisse affirmat, quibus res in Ecclesia gestas ad imperium usque Leonis Augusti prosecutus est. Verum praeter silentium antiquorum omnium, qui cum Evagrio, Photio etc. quinque tantum librorum Historiae Ecclesiasticae meminerunt, Theodoreti profecto non intererat, turbas Nestorii, et Episcoporum Orientalium dissensiones, quarum ipse Theodoretus pars magna fuerat, commemorare. Vide hac de re plura apud Henricum Schüz, S. J. in Commentario Critico, pag. 454. *Philotheus*, seu *Religiosa Historia*, indubitatum Theodoreti Opus, quidquid Rivetus, Hottingerus, Cocus, aliique procacissimi Calviniani obganniant. *Epistolae* CXLVII. ad diversos. *Eranistes*, seu *Polymorphus*, Libros IV. complectens, quorum tres priores Dialogi formam habent, primusque *Immutabilis*, alter *Inconfusus*, tertius *Impatibilis* dicitur, quartus autem *Demonstratio per syllogismos* inscribitur: quae enim in Dialogis fusius et oratorie disputata sunt, ea contrahuntur in syllogismos, ut vis et apertior sit et efficacior. *Haereticarum fabularum Libri*

V. ad Sporacium, quorum quatuor priores singularum haereseon brevem Historiam, quintus vero *Divinorum Decretorum Epitomen* continet. Caput XII. Libri IV. in quo agitur de Haeresi Nestoriana, haud immerite ab alio quodam assutum videtur circa tempora Synodi V. *Orationes X. de Providentia. Libri XII. adversus Gentiles*, sive *Graecarum affectionum curatio*, *Evangelicaeque veritatis ex Gentilium Philosophia cognitio. Oratio de divina et sancta charitate. Reprehensio XII. Capitum seu Anathematismorum S. Cyrilli. Dialogi VII. adversus Arianos, Macedonianos, et Apollinaristas*, qui extant inter Opera S. Athanasii, et S. Maximi Martyris, Theodoreto Cyrensi a Garnerio solide vindicantur.

Multa alia scripsit Theodoretus, quae injuria temporum exciderunt. Nempe *Epistolae* plurimae, quarum supra quingentas penes se fuisse testatur Nicephorus Histor. Eccles. Lib. XIV. Cap. LIV. *Opus Mysticum*, seu *Libri XII. de Mysteriorum fidei Expositione. Libri VII. de Theologia, atque Incarnatione.* Putat tamen Garnerius Opus istud diversum non esse a Dialogis VII. adversos Arianos etc. *Opus adversus Marcionem. Opus adversos Judaeos. Libri ad Quaestiones Magorum Persidis. Pentalogium*, seu *Libri V. de Incarnatione adversus S. Cyrillum, et Synodum Ephesinam. Apologia pro Diodoro Tarsensi, et Theodoro Mopsuesteno. Stephanus Baluzius* Miscellaneorum Tomo IV. bina Theodoreti fragmenta satis prolixa Latine exhibet, alterum adversus Sabellium, de Trinitate alterum. Theodoreto perperam supposita fuerunt aliquot Opuscula, nempe *Liber contra Nestorium ad Sporacium. Liber Formularum. Liber Asceticus*, qui verisimilius S. Maximo

Martyri tribuendus est. Photius in Bibliotheca, Codice XLVI. Theodoreto adscribit *Libros XXVII. adversus varias Haereticorum Propositiones*, quorum argumenta summatim exhibet. Ex iis XXI. posteriores Eutherii Tyanensis Episcopi esse Marii Mercatoris authoritate constat. Sex priores iidem sunt cum Theodoreti Pentalogio, uno ex iis libro in duos male diviso.

Opera omnia Theodoreti, Cyrensis Episcopi, mutila antea, variisque editionibus dissipata, collegit in IV. Tomos in folio, ediditque Parisiis A. 1642. Graece ac Latine *Jacobus Sirmondus S. J.* Accessit his Auctarium Operum Theodoreti a *Joanne Garnerio S. J.* Presbytero assiduo labore ac studio paratum ac post Garnerii mortem a *Joanne Harduino S. J.* editum Parisiis A. 1684. In hoc exhibentur *Prolegomena* et *excerpta* plurima Commentariorum in Psalmos, e Catenis ut plurimum desumpta. *Excerptum breve Commentarii in Lucam*, e Catena quadam haustum *Sermo in Natalem S. Joannis Baptistae. Homilia* Chalcedone habita A. 431. *Pentalogii de assumptione hominis excerpta* non nulla Graece et Latine. *Epistolae* XXXIV., quarum XV. Theodoreti sunt, aliae vero ab aliis Orientalibus Episcopis aevo Theodoreti conscriptae. *Dialogi* VII., quorum duo priores Anomaeos oppugnant, tres sequentes Macedonianos, duo ultimi Apollinaristas. Adiectae sunt Dissertationes V. valde prolixae, atque eruditissimae. Dissertatio I. de Vita, seu Historia Theodoreti. II. De Libris Theodoreti. III. de Dialogis adversus Arianos, Macedonianos, Apollinaristas. IV. de Fide Theodereti. V. de Synodo V. Generali, seu CPolitana II.

CCXLIV. *Theodorus Abucara*, Cariae Archiepiscopus, Photii partibus contra S. Ignatium Patriarcham

CPolitanum primum adhaesit: postea tamen detectis Photii fraudibus in CPolitana Synodo Oecumenica VIII. A. 869. ad unitatem rediit, et pro ipso apud Hadrianum II. Romanum Pontificem intercessit S. Ignatius, ut pristinae dignitati restitueretur. Quod etiam fecere Basilius Imperator, et ejus filii, datis ad eumdem Papam litteris, quibus eum commendarunt, ceu hominem Ecclesiae valde utilem. Scripsit *Dialogos* seu *Disputationes contra Mahometanos, Judaeos, et quosvis haereticos*, quae ex versione *Francisci Turriani* et *Jacobi Gretseri* Presbyterorum e Societate Jesu prodierunt Ingolstadii Graece et Latine A. 1606., extantque in Auctario *Frontonis Ducaei S. J.* Tomo I. Parisiis A. 1624. Tractatum ejus *de Unione, et Incarnatione* ex Bibliothecae Bodlejanae MS. Codice Graece et Latine primus in lucem emisit *Andreas Arnoldus* una cum *S. Athanasii Syntagmate de doctrina ad Clericos, et Laicos*, Parisiis A. 1685.

CCXLV. *Theodorus Balsamon*, CPoli natus, Ecclesia CPolitanae Diaconus, Nomophylax, et Chartophylax, sive custos Sigilli Patriarchalis, et Ecclesiae Archivorum, denique A. 1186. Ecclesiae Antiochenae Patriarcha, cum Sedem suam a Latinis jam diu occupatam cerneret, res Ecclesiae suae, quam numquam viderat, CPoli pro viribus procuravit, Graecorum sui temporis citra invidiam doctissimus, et Canonum Ecclesiasticorum, immo et Civilium Legum, omnium quos Graecia umquam tulit, peritissimus. Vixit usque ad annum 1204., quo a Latinis capta est CPolis: de obitu vero ejus nihil constat.

Genuina ejus Opera sunt *Commentarios in Canones SS. Apostolorum, Sanctorum Oecumenicorum, et*

particularium Conciliorum, atque *in Epistolas Canonicas SS. Patrum, Gregorii, Basilii etc.* Prodiit Graece et Latine Oxonii A. 1672. cum notis *Guilielmi Beveregii*. *Commentarius in Photii Nomocanonem*, in quo homo schismaticus, et Romanae Ecclesiae hostis, multa effutiit in defensionem falsorum quorumdam Canonum. Editus est Parisiis A. 1615. Graece ac Latine a *Christophoro Justello*. *Paratitla*, seu *Collectio Ecclesiasticarum*, *Constitutionum*, quae cum *Joannis Leunclavii* et *Caroli Fabroti* notis extat in Bibliotheca Juris Canonici veteris *Henrici Justelli*, et *Guilielmi Voellii* Tomo II. Parisiis A. 1661. *Responsa ad varias quaestiones Jus Canonicum spectantes*, videlicet de Episcopatuum in Metropoles erectione, De electis ad Ecclesias Orientales, De foro Clericorum, De jure Patriarchico in Monasteria, De Feriis, aliaque plura. *Responsa ad Interrogationes Marci Patriarchae Alexandrini*. *Meditata sive Responsa ad varios casus*. Quae omnia Graece et Latine exhibentur in Jure Graeco-Romano *Joannis Leunclavii* Francofurti A. 1596. *Epistola ad Antiochenos de Jejuniis*, Graece et Latine edita a *Joanne Baptista Cotelerio* Tomo II. Monumentorum Ecclesiae Graecae Parisiis A. 1681. *Epistola ad Theodosium Abbatem de Monachis Rasophrois*, quam idem *Cotelerius* Tomo III. citati Operis Graece et Latine exhibet. In Bibliotheca Caesarea Vindobonensi, teste *Lambecio* Tomo VIII. Commentariorum, extat MS. ejusdem Balsamonis *Epistola responsoria ad Archiepiscopum Gradensem, sive Aquilejensem*, qua demonstrat eum non esse appellandum *Patriarcham*, ac simul etiam agit de *Azymis*.

CCXLVI. *S. Theodorus*, natione Cilix, patria Tarsensis, professione Monachus, Romae dum ageret,

a S. Vitaliano Romano Pontifice A. 668. Cantuariensis Episcopus consecratus, in Angliam missus est cum S. Hadriano Abbate, Episcopum suum jussu Pontificis comitante S. Benedicto Biscopio. Magna gratulatione ab Anglis exceptus, morem celebrandi Pascha cum Ecclesia Catholica stabilivit, omnes Angliae Ecclesias obivit, Scholam erexit, ad abusus tollendos, collapsamque Ecclesiae disciplinam restaurandam Synodos celebravit. Tandem Episcopatus sui anni XXII., aetatis LXXXVIII., Christi autem 690. ad beatam immortalitatem transiit die XIX. Septembris, ad quam nomen ejus Romano Martyrologio inscriptum est. *Capitula* aliqua S. Theodori et *Decreta* laudantur a Burchardo, Ivone, et Gratiano, quibus antiquior Rhegino Prumiensis Abbas *Libri Poenitentialis* meminit, Theodori nomine inscripti. Verum *Joannes Cleo S. J. Bollandi* Continuator, in Actis SS. Tomo VI. Septembris ad diem XIX. in Commentario praevio de S. Theodoro Cantuariensi, Num. LXXXIV. dubitat, num liber hic Theodorum authorem habuerit vel an non potius liber fuerit Poenitentialis Orientalium in Angliam cum aliis Graecis libris invectus, cui, quod eo S. Theodorus quandoque uteretur, quodque illum in Decretis aliquoties citaret, Theodori tamquam authoris nomen adhaeserit. Sub titulo Poenitentialis Theodori Cantuariensis, quae ex variis MSS. corradere potuit Capitula Dissertationibus, et notis onerata, duobus tomis in 4. in lucem edidit *Jacobus Petit* Parisiis A. 1677., quorum pleraque Tomo IX. Spicilegii *Dacheriani* jam antea continebantur. Verum aliqua saltem Capitula ex illis perperam Sancto Praesuli adscribi, dubitari nequaquam potest. Sic Capitulo XI. apud *Petitum*, CXVI. apud *Dacherium* dicitur: *Cujus uxor fornicata, licet*

S 5

eam dimittere, et alteram accipere : mulieri non licet fornicantem alium accipere. At vero in *Herefordiensi* Concilio, cui A. 673. praesedit S. Theodorus Cantuariensis, Canone X. dicitur : *Ut nulli liceat nisi legitimum habere connubium; nullus incestum faciat; nullus conjugem propriam, nisi ut Sanctum Evangelium docet, fornicationis causa relinquat. Quod si quispiam propriam expulerit conjugem, legitimo sibi matrimonio conjunctam, si Christianus esse recte voluerit, nulli alteri copuletur, sed ita permaneat, vel proprie reconcilietur conjugi.*

CCXLVII. *S. Theodorus*, CPoli natus A. 759. sub Constantino Copronymo Imperatore, abdicatis humanis rebus in Monasterium Saccudiorum in suburbano CPolis situm A. 781. secedens, S. Platonis disciplinae se submisit, eoque fasces sponte deponente Monasterii praefecturam anno 794. suscepit, communi Monachorum suffragio ad eam dignitatem evectus. Anno sequente Constantini Imperatoris nuptias cum Theodota, quam repudiata Maria legitima uxore duxerat, ceu adulterium palam arguens, jussu Imperatoris flagellis caesus, Thessalonicam in exilium deportatus est. Sublato Constantino ab Irene Imperatrice revocatus, anno 798. Monasterio, intra Urbem CPolim sito, quod *Studium* a Flavio Studio conditore vocabatur, praeficitur, in quo collapsam disciplinam restituit, mille Monachos sanctissimis exemplis ac documentis vitae perfectioris informans. Anno 809., quod iniquo animo ferret, Josephum CPolitanae Ecclesiae Oeconomum, qui illicitis Constantini nuptiis benedixerat, idcirco a sacris ministeriis et communione ejectum ante annos aliquot, nulla petita venia, nullaque poenitentia peracta, urgente Imperatore Nice-

phoro, in cujus gratiam irrepserat, a Patriarcha restitutum fuisse, CPoli habita est Synodus, in qua cum decretum esset Episcopos in rebus per Ecclesiasticos Canones constitutis dispensare posse, conjugiumque Constantini cum Theodota ex dispentationes fuisse legitimum, anathemate injuste percussus est, et Imperatoris Edicto in exilium amandatus. Adversus hanc Synodum, quam *Synodum Moechorum* vocabat Theodorus, auxilium Romani Pontificis S. Leonis III., datis ad ipsum litteris, imploravit, non jam de sola disciplina contentionem esse significans, sed de fide; cum Pseudo-Synodus legitime fuisse dispensatum cum Imperatore Constantino judicasset, ut uxorem innocentem dimitteret, eaque vivente, alteram duceret. Post Nicephori Imperatoris mortem a Michaële Rangabe Orientis Imperatore ab exilio revocatus, CPolim ad Monasterium suum reversus est. Paulo post sub Iconomachis Imperatoribus, Leone Armeno, ejusque successore Michaëlem Balbo, Ecclesiae fidem de Sacrarum Imaginum cultu invicto animi robore propugnavit, plurima, eaque gravissima idcirco passus, proscriptionem, flagella, cruciatus, famem, sitim, et foedissimi carceris aerumnas, quae complures annos Sanctissimi hujus viri patientiam exercuerunt. Ad Superos migravit invictus hic Orthodoxae veritatis Athleta anno aetatis suae LXVII., Christi 826. die XI. Novembris. Ejus memoriam Graeca eadem die, Latina vero Ecclesia die sequente colit. *Cavei*, heterodoxi hominis, procacissimam impudentiam obstupui, qui in Historia sua Litteraria de S. Teodori Studita verba faciens, quidquid infrunitia petulantia, et acerbissimum erga Sanctas Imagines odium colligere potuit, contra virum hunc sanctissimum pleno ore effutiit.

Nimirum jugis adversus malos pugna, perpetuumque certamen, perditorum hominum odia consciscit.

Genuina S. Theodori Studitae Opera sunt: *Sermones Catechetici* CXXXIV., qui etiam *Catechesis parva* dicuntur. Prodierunt illi Latine ex versione *Joannis Livineii*, Antuerpiensis Canonici, Antuerpiae A. 1602., quorum tamen elegantiae nativae, et purissimae simplicitati Latina interpretatio male respondet. *Vita S. Platonis*, quae apud *Bollandi* Continuatores extat in Actis SS. Tomo I. Aprilis ad diem IV., notis et observationibus illustrata. *Epistolarum* Volumen satis spissum, quod olim saltem temporibus *Baronii* MS. Romae extabat Graece in Bibliotheca Columnensi. Ex eo Epistolas LX. una cum Testamento S. Theodori ad Discipulos, a *Jacobo Sirmondo S. J.* se rogante Latinitati redditas, *Cardinalis Baronius* Tomo IX. Annalium Ecclesiasticorum inseruit. Plures Epistolae, quas Latinitate a se donatas morte praeventus edere non potuit Sirmondus, post ejus obitum prodierunt Tomo V. Operum *Jacobi Sirmondi* Parisiis A. 1696., et Venetiis A. 1728. *Sermo in Dominicam IV. Quadragesimae*, Fragmentum ex *Epistola ad Naucratium* de haeresibus et schismate agens, et Fragmentum *Epistolae ad Gelasium* ex Monasterio profugum, habentur Tomo XIV. Bibliothecae Maximae Lugdunensis. *Libellus de adoratione SS. Imaginibus exhibenda.* Prodiit cum S. Joannis Damasceni Orationibus de eodem argumento Latine Antuerpiae A. 1556., Graece Romae A. 1553. *Oratio in adorationem, et exaltationem pretiosae ac vivificae Crucis.* Extat Graece ac Latine apud *Jacobum Gretserum S. J.* Tomo II. de Cruce. *Encomium S. Bartholomaei Apostoli* Tomo III.

Spicilegii *Dacheriani* editum. Scripsit quoque, teste *Michaele Studita* in Vita S. Theodori, *Catechesin magnam Volumen*, *Panegyricum in dies Festos Domini*, *nec non Deiparae*, *et S. Joannis Baptistae*, *Librum* versibus jambicis *de primis hominibus usque ad Noe*, *et filios ejus*, et *Institutiones ad Monachos suos* versibus jambicis; quae an adhuc in MS. Codicibus supersint, non satis liquet. *Canon*, seu *Hymnus*, *Odis IX.* constans, in erectione SS. Imaginum S. Theodoro Studitae tribui nequit; harum enim restitutio post mortem S. Theodori contigit A. 842. sub Michaele et Theodora Augg.

CCXLVIII. *Theodulphus*, natione Italus, ex Gallia Cisalpina, seu Longobardia oriundus, transmissis Alpibus venit in Franciam, ubi a Carolo Magno, cui ob virtutem atque eruditionem charus erat et familiaris, Abbatia primum Floriacensi ad Ligerim O. S. B., tum vero circa annum 786. Episcopatu etiam Aurelianensi donatus, Francofordiensi Synodo A. 794. interfuit. Post Caroli Magni excessum non dispari primis annis in gratia fuit apud Ludovicum Pium, a quo Stephano Papae, in Franciam venienti, jussus est obviam honoris causa procedere. Circa annum 818. una cum Anselmo Mediolanensi et Wolfhaldo Cremonensi, conjurationis cum Bernardo Italiae Rege adversus Ludovicum Pium Imperatorem, Bernardi patruum, initae accusatus, Episcopatu suo spoliatus, atque in Andegavense Monasterium detrusus est. Quod ille crimen ut constanter usquequaque pernegavit, ita non defuerunt, qui per invidiam conflatum affirmarent. Absolutus tandem, dum ad suos redit, extinguitur A.

821., vel sequente, Successorem nactus in Episcopatu Aurelianensi Jonam.

Scripsit *Capitula* XLVI. *ad Presbyteros Parochiae suae* pretiosum Disciplinae illius aetatis monumentum. *Librum ad Magnum Senonensem de Ordine Baptismi. Librum de Spiritu Sancto* ad Carolum Magnum, in quo prolatis Veterum Patrum sententiis, ostendit Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere. *Carminum* ad diversos, et de diversis argumentis Libros VI. Omnia haec Opuscula Theodulfi magno studio collecta, atque eruditis pro more suo notis illustrata edidit *Jacobus Sirmondus S. J.* Parisiis A. 1646., extantque Tomo XIV. Bibliothecae Maximae Lugdunensis. *Poemata X.* quae Sirmondi diligentiam effugerent, edidit *Joannes Mabillonius O. S. B.* Tomo I. Analectorum Parisiis A. 1675. Fragmenta duo Theodulfi extant Tomo V. Spicilegii *Dacheriani.* Alterum ejusdem *Capitulare ad Presbyteros suae Parochiae* exhibet *Stephanus Baluzius* Tomo VII. Miscellaneorum Parisiis A. 1715.

CCXLIX. *S. Theophanes*, CPoli natus est A. 758. ex illustri genere, matre Theodora, patre Isaacio, Archipelagi Praefecto. Hoc e vivis sublato, amplissimarum facultatum haeres a matre connubio junctus est nobili Virgini, quam ad perpetuam continentiam pariter servandam sua adhortatione ac virtute compulit Theophanes. Eam ab rem a socero, et a Leone Imperatore Copronymi filio exagitatus est; utque ab amore abstraheretur monasticae solitudinis, cujus desiderio tenebatur, honoris, causa Cyzicum cum uxore missus, civitatem illam vallis munire ac propugnaculis jubetur. Imperatore, soceroque post triennium mor-

tuis, facta uxori potestate vivendi in Monasterio inter Virgines sacras, ipse A. 780. Polychronii Monasterium in regione Sigriana prope Cyzicum in Asia minore ad Propontidis littora petiit, Ubi Monasticam vitam professus, describendis in Cellula sua libris operam dabat. Ex Polycronio in Calonymum insulam discessit, ubi paterno praedio in Monasterium commutato, sexennium exegit. Inde Polychronium repetens, praedium haud procul Polychronio dissitum, quod *Ager* vocabatur, pretio comparavit, constructoque ibi Monasterio, ejus regimen, a Monachi exoratus, tandem in se suscepit. Leone Armeno Imperatore Iconomacho, fidem Catholicam de Sacrarum Imaginum veneratione invicto confessus animo, ejus jussu in carcerem detrusus, fame, pedoreque per biennum cruciatus est. In Samothracem dein, Aegei maris insulam, deportatus, vigesimo ab adventu suo die ad palmam sempiternam in coelis percipiendam evolavit A. 818., die XII. Martii, ante et post obitum miraculis clarus.

Scripsit *Chronographiam* ab anno Christi 285., Diocletiani Imperatoris primo, ad quem *Georgius Syncellus* Chronicon suum ab Orbe condito perduxerat, usque ad annum 813., sive ad imperium usque Michaelis Curopalatae. Prodiit hoc Opus cum notis et observationibus *Jacobi Goaris*, et *Francisci Combefisii* ex Ord. Praedic. Parisiis A. 1655. in fol. Chronographia haec S. Theophanis, qualem nunc habemus, duabus constat partibus, quarum quae potior est, historiam exhibens per annos digestam, genuinum est, et insigne Opus S. Theophanis, licet naevis suis non careat. Alteram partem, quae *Tabulas Chronologicas* complectitur, eidem sancto Scriptori penitus abjudicat

Daniel Papebrochius S. J. in Actis SS. Tomo III. Martii, in Exegesi Praeliminari I. ad S. Theophanis Chronographiam; quod Tabulae illae plurimis portentosisque erroribus scateant, falsisque temporum supputationibus, atque ipsi S. Theophanis genuinae Historiae palam adversentur.

CCL. *Theophilus*, Alexandrinae Ecclesiae Episcopus, Timotheo A. 385. in Cathedra S. Marci successit. Gentilium cultui strenue adversatus, non solum delubra idolorum, ac Serapidis templum funditus evertit, verum etiam ridiculas inanium Deorum effigies, pluraque alia, quae in Adytis templorum reperta sunt, per plateas Alexandrinae urbis circumferri voluit, ut propalata hujus superstitionis infamia Ethnicos rubore suffunderet. Anno 400. habita Alexandriae Synodo, Origenem ejusque libros damnari curavit; et ut a S. Epiphanio Synodo in Cypro habita damnarentur, authoritate sua effecit. Theodorum Mopsuestenum acerrime impugnavit, ut constat ex Collatione V. Synodi Oecumenicae *CPolitanae II.* Antropomorphitas, atque Origenis sectatores profligavit, maximopere idcirco a B. Hieronymo dilaudatus, a Socrate autem et Sozomeno Historicis vice non una gravium criminum postulatus quos Origeni et Origenistis Monachis palam patrocinari, in aperto est. Industria ejus et dexteritas in componendis diuturnis illis Ecclesiae Antiochenae dissidiis immortalem viri memoriam reddiderunt. Verum quae caeca vindictae cupidine ad exauthorandum S. Joannem Chrysostomum ad Quercum tumultuariae molitus est, numquam non Theophili gloriam obscurabunt; tametsi vera et sincera poenitentia maculas eas omnes expiasse non dubitem, adeo ut inter antiquos Eccle-

siae Patres non sine magna virtutis, et eruditionis laude recenseatur. Morti vicinus dixisse fertur: *Beatus es Abba Arseni, qui semper hanc horam ante oculos habuisti*: nec prius ultimum spiritum emittere potuisse, quam S. Joannis Chrisostomi, quem inique damnaverat, effigiem veneratus fuisset. Obiit A. 412. die XV. Octobris, S. Cyrillum nepotem suum successorem nactus.

Extant etiamnum ejus *Epistolae Paschales III.* adversus Origenistas, a *S. Hieronymo* Latine redditae una cum Prologo ad Theodosium Imperatorem de *Paschate anni* 380. Orationes illae Latine tantum exhibentur Tomo V. Bibliothecae Patrum Lugdunensis; Prologus vero Graece et Latine, non integer tamen, ad calcem *Dionysii Petavii S. J.* de Doctrina Temporum Tomo II. *Edicta Canonica X. et Responsa III.* apud *Joannem Harduinum S. J.* Tomo I. Collectionis Conciliorum, Parisiis A. 1715. Graece ac Latine. *Fridericus Morellus* Parisiis A. 1608. edidit Dissertatiunculam, *Cujus rei homo similis sit*, eamque Theophilo Alexandrino attribuit. Scripsit praeterea complures alias *Epistolas Paschales*, *Librum*, seu grande Volumen *adversus Origenem*, *Librum de Cyclo Paschali* ad Theodosium Imperatorem, *Epistolam ad Porphyrium*, Episcopum Antiochenum, *Librum de Sacris Mysteriis*, sive *de sacris Suppellectilibus Ecclesiae Dei*, et *Synodicam adversus Origenem Epistolam*: quae duo Opuscula *B. Hieronymus* Latinitate donaverat. Verum praeter pauca quaedam fragmenta eorum nihil hodiedum superest.

CCLI. *S. Theophilus*, alius utique ab eo, cui S. Lucas Evangelium suum et Actus Apostolicos nuncupavit, validissimis Christianae Religionis argumentis

victus, deserta Ethnica superstitione, Christo nomen dedit. Mortuo Erote, sextus post B. Petrum Antiochenae Ecclesiae Episcopus consecratus est A. 168. Quam provinciam posteaquam summa diligentia, fide, et sanctitate per annos ferme quatuordecim administraverat, ad Superos abiit A. 181. Ejus nomen Romano Martyrologio inscriptum est ad diem XIII. Octobris. Extant *tres* ejus *Libri de Fide adversus Christianae Religionis calumniatores*, *ad Autolycum* scripti, qui sacrae profanaeque eruditionis promptuarium jure merito appellari possunt. Prodierunt illi Tomo I. Auctarii Bibliothecae Patrum Graeco-Latinae Parisiis A. 1624. cum notis *Frontonis Ducaei S. J.*, et seorsim Oxonii A. 1684. Scripsit praeterea S. Theophilus *Librum de Genealogiis*, *Librum de Deorum sceleribus et flagitiis*, *Libros contra Hermogenis*, *et Marcionis haeresin*, et *Libros de elementis Fidei nostrae*, quae omnia jam diu interciderunt. Saeculo IV. *Commentarii* quidam *in Evangelium*, *et Proverbia Salomonis* prefixum Theophili nomen gerebant, de quibus *S. Hieronymus*, in discernendis commentationibus exercitatissimus, Lib. de Script. Eccles. Cap. XXXV. scribit: *Legi sub nomine ejus* (Theophili Antiocheni) *in Evangelium*, *et in Proverbia Salomonis commentarios*, *qui mihi cum superiorum voluminum elegantia et phrasi non videntur congruere.* Commentarii quidam in Evangelia extant sub nomine S. Theophili Antiocheni Tomo II. Bibliothecae Maximae Lugdunensis. Verum neque Theophili esse, neque illos, de quibus S. Hieronymus verbis paulo ante citatis loquitur, sed a Latino quodam Scriptore post tempora S. Hieronymi procusos fuisse ostendit *Nicolaus le Nourry O. S. B.* To-

mo II. Apparatus ad Bibliothecam Maximam Veterum Patrum, Dissertatione IV. Cap. IV.

CCLII. *Theophilactus*, patria CPolitanus, Acridae Archiepiscopus, totiusque Bulgariae Metropolitanus, vir doctissimus, et in lectione Graecorum Patrum, ac praesertim S. Joannis Chrysostomi versatissimus, non Saeculo IX., ut Panvinius, Possevinus, et Card. Perronius perperam scripserunt, sed Saeculo XI. sub Romano Diogene, Michaele Duca, Nicephoro Botoniate, et Alexio Comneno Orientis Imperatoribus floruit, quemadmodum *Caesar Card. Baronius* certis argumentis, ex Theophylacti Epistolis deductis, demonstrat. Quo anno obierit, non liquet. Quidam vitam eum produxisse ad annum usque 1107. contendunt. Extant ejus *Commentarii in IV. Evangelia*, quos merito *Epitomen S. Joannis Chrysostomi* appellaveris, Graece et Latine editi Parisiis A. 1631. ex versione *Joannis Oecolampadii. Commentarii in Actus Apostolorum* Graece, et Latine vulgati Coloniae A. 1568. ex interpretatione *Laurentii Sifanii. Commentarii in Epistolas S. Pauli* Graece, et Latine impressi Londini A. 1636. ex versione *Joannis Loniceri. Commentarii in IV. Prophetas minores, Habacuc, Jonam, Nahum, et Oseam*, Latine tantum ex interpretatione *Joannis Loniceri* editi Parisiis A. 1549. *Integri* ejusdem *Commentarii in XII. Prophetas minores* extare dicuntur in Bibliotheca Augustana, Vindobonensi, et Bavarica. *Epistolae LXXV.* prodierunt Graece cum notis *Joannis Meursii* Lugduni Batavorum A. 1617., Latine interprete *Vincentio Marinerio* Coloniae A. 1622., extantque Tomo XVIII. Bibliothecae Maximae Lugdunensis. *Oratio in adorationem venerandae Crucis*, apud *Jaco-*

lum Gretserum S. J. Tomo II. de Cruce Graece ac Latine. *Institutio regia ad Constantinum* Porphyrogenitum, Michaelis Ducae filium, quam Graece et Latine edidit, atque interpretatus est *Petrus Possinus S. J.* Parisiis A. 1651. Omnium Theophylacti Operum editio praestantissima paucos ante annos prodire coepit Venetiis ad tria jam in folio volumina perducta, erudita praefatione a *Joanne Bernaro de Rubeis O. P.* toti Operi praemissa. In hac Editione praeter recensitos superius libros alii exhibentur genuini Theophylacti foetus, numquam antea editi; scilicet *Commentarius in VII. Epistolas Canonicas Petri, Joannis, Jacobi, et Judae. Integra in XII. Prophetas minores expositio. Homiliae XI. in totidem Evangelia Officii matutini Resurrectionis Dominicae. Oratio Panegyrica ad Alexium Comnenum de Scythico bello victorem. Narratio Martyrii SS. XV. Martyrum*, qui sub Juliano Imperatore passi sunt. *Allocutio ad quemdam e suis familiaribus de iis, quorum Latini incusantur*; in qua communem Graecorum sui temporis errorem secutus, negat Spiritum Sanctum a Filio procedere, ac vehementer improbat, particulam *Filioque* a Latinis Symbolo CPolitano fuisse additam.

CCLIII. *S. Thomas* natione Italus, in Castro Rocca Sicca natus sub initium anni 1225. patre Landulpho, Comite Aquinate, matre Theodora, Theatis Comitis filia, Monachis Cassinensibus quinquennis oblatus a parentibus, et Ordini Benedictino destinatus, ibique litteris institutus est. Posthaec a Landulpho patre Neapolim missus, Grammaticam ac Dialecticam sub Martino, Physicam sub Petro Hibernico didicit, Universitatis Neapolitanae a Friderico II. Imperatore recens conditae

primo Rectore. Ibi sanctiori actus impulso humanis rebus valere jussis Ordinem Praedicatorum ingressus est A. 1243. parentum suorum ingratiis, Ordinis paupertatem dedignantium. At cum paulo post Romam a Praesidibus mitteretur, a fratribus suis in itinere interceptus, ultra annum ab iisdem in Arce Rupis Siccae detentus est, tentatis nequidquam omnibus, quae a sancto proposito Adolescentem abstrahere poterant. Difficultatum itaque omnium victor Neapolim a suis ad Dominicanos remissus, dein Romam profectus, cum Joanne Teutonico Ordinis Praedicatorum Magistro Generali Parisios primum, dein Coloniam Agrippinam perrexit, ubi sub Alberto Magno Theologiae operam dedit. Parisios ad scholas regendas, docendamque Theologiam abire jussus, atque anno 1256., vel initio sequentis Doctor Theologiae ibidem renuntiatus, eam provinciam ille ita administravit, ut ob insignem ac solidam doctrinam *Doctoris Angelici* nomen merito sit consecutus. Octodecim postremos vitae suae annos ad populum verba faciendo, docendo, ac scribendo transegit, Arcpiepiscopatu Neapolitano constantissime recusato, quem illi Clemens IV. Romanus Pontifex et Carolus Andegavensis Rex Neapolitanus saepius obtulerant. Mirum est ab homine docendi et concionandi laboribus distento tot libros conscribi potuisse. Id qua ratione perfecerit, non inutile erit commemorare. Somno parum indulgens, magnam noctis partem dabat precibus, quibus magis quam industriae scientiam adscripsit suam. Studium, et scriptionum numquam inchoabat nisi praemissis precationibus, quas addito jejunio geminabat, cum graves in difficultates incurreret. Nequid vero continua studiorum contentio Religiosae virtuti detraheret, pervolutandis *Joannis Cassiani*

Collationibus Patrum, quibus mire delectabatur, tempus aliquod diebus singulis impendebant, exemplo parentis sui S. Dominici, cui liber ille ad consequendam perfectionem plurimum profuerat. Anno 1274. cum Neapoli in patria maximo applausu Theologiam doceret, ad Oecumenicam Synodum *Lugdunensem* II. a B. Gregorio X. invitatus, itineri Galliam versus se commisit. At non multo post in Campania Italica gravi morbo implicitus, quia nullum in vicinia Praedicatorum Coenobium erat, Fossae Novae celebri Cisterciensium Abbatia Terracinensis Dioeceseos; substitit ubi singulari charitate a Monachis illis exceptus, cum mortem sibi imminere certis indiciis persentisceret, omnia Scripta sua Sanctae Romanae Ecclesiae judicio, ac censurae insigni modestia, ac demissione subjecit, haec verba proferens cum Sacrum Viaticum recepit; *Ego de isto Sanctissimo Corpore Domini nostri JEsu Christi, et aliis Sacramentis multa docuit, multa scripsi in Fide JEsu Christi, et Sanctae Romanae Ecclesiae, cujus correctioni cuncta subiicio.* Tum sacro Oleo extremum inunctus, anno Christi 1274., aetatis suae quinquagesimo inchoato, die VII. Martii ad immortalem et beatam vitam migravit, a Joanne XXII. A. 1323. in Sanctorum numerum relatus. S. Pius V. A. 1567. ipsum quintum Ecclesiae Doctorem dixit, ac Festam ejus diem eodem ritu cultuque ac aliorum quatuor Doctorum celebrari jussit. Urbanus V. sacrum Angelici Doctoris corpus Ordini Praedicatorum dedit, quod Tolosam A. 1368. translatum est.

Praeter *Commentaria in omnes ferme Aristotelis libros*, a quibus recensendis abstinemus, quod ad institutum nostrum non pertineant, genuina S. Thomae

Aquinatis Opera sunt: *Commentaria in IV. libros Sententiarum Petri Lombardi* Episcopi Parisiensis. *Quaestiones XII. Quodlibeticae*, sive Placitorum S. Thomae. *Quaestiones disputatae*, quarum X. sunt de Potentia Dei, De Veritate XXIX. De Malo XVI. Unica de Creaturis spiritualibus, De Anima, De Unione Verbi, De Virtutibus in communi, De Charitate, De Correctione fraterna, De Spe, De Virtutibus Cardinalibus. *Summa Catholicae fidei contra Gentiles* in Libros IV. distributa, egregium sane et insigne Opus. *Expositio in Librum S. Dionysii de Divinis Nominibus. Summa Theologica* in tres partes divisa, nobilissimum et postremum Opus S. Thomae, in quod omnium librorum suorum succum atque medullam congessit; quodque S. Doctori solidis argumentis adversus Joannem Launojum vindicavit *Natalis Alexander* Dissertatione VI. in Historiam Ecclesiasticam Saeculi XIII. et XIV. *Supplementum* Partis III., quam S. Thomas morte praeventus absolvere non potuit, summa fide ac diligentia ex aliis certis ac genuinis ejusdem S. Doctoris Operibus collectum est, praecipue ex ejus Commentariis in Libros Sententiarum. *Expositio in Librum Job. Expositio in Psalmus LI. Davidis. Expositio in Canticum Canticorum. Catena aurea in Matthaeum, Marcum, Lucam, et Joannem. Expositio in omnes S. Pauli Epistolas. Sermones pro Dominicis diebus, et pro Sanctorum solemnitatibus.* Ex LXXIII. *Opusculis*, quae sub S. Thomae Aquinatis nomine circumferuntur, genuina ab Eruditis censentur, Opusculum I. *Contra errores Graecorum*, ad Urbanum IV. Opusculum III. *Declaratio quorumdam articulorum contra Graecos, Armenos, et Saracenos*, ad Cantorem Antio-

chenum. IV. *De duobus praeceptis charitatis, et decem Legis praeceptis.* V. *De Articulis Fidei, et Sacramentis Ecclesiae.* VI. *Expositio Symboli Apostolici.* VII. *Expositio Orationis Dominicae.* VIII. *Expositio salutationis Angelicae.* X. *Responsio de Articulis* 42. ad Joannem Vercellensem Generalem Magistrum. XI. *Responsio de Articulis* 36. ad Lectorem Venetum. XII. *Responsio de sex Articulis*, ad Lectorem Bisuntinum. XIII. *De differentia Verbi Divini et Humani.* XIV. *De Natura et origine verbi intellectus.* XV. *De substantiis separatis*; *seu de Angelorum natura*, ad F. Reginaldum. XVI. *De unitate intellectus*, contra Averoistas dicentes, unum esse intellectum omnium hominum. XVII. *Opus contra pestiferam doctrinam retrahentium homines a Religionis ingressu.* XVIII. *De perfectione Vitae spiritualis.* XIX. *Contra impugnantes Dei cultum, et Religionem, adversus Guilielmum de S. Amore.* XXI. *De Regimine Judaeorum*, ad Ducissam Brabantiae. XXII. *De Forma absolutionis* ad Generalem Magistrum sui Ordinis. XXIII. *Expositio primae Decretalis* ad Archidiaconum Cudestinum. XXIV. *Expositio secundae Decretalis* ad eumdem. XXV. *Tractatus de Sortibus*, ad Jacobum de Burgo. XXVI. *De Astronum judiciis* ad F. Reginaldum. XXVII. *De aeternitate Mundi contra murmurantes.* XXVIII. *De Fato.* XXIX. *De Principio individuationis.* XXX. *De Ente et Essentia.* XXXI. *De Principiis Naturae*, ad F. Sylvestrum. XXXIV. *De occultis operibus naturae*, ad quemdam militem. XXXV. *De motu cordis*, ad Magistrum Philippum. XXXVI. *De instantibus*, seu *de natura instantis.* XXXVII. *De quatuor oppositis.* XXXIX. *De Fallaciis*, ad quosdam nobiles artistas. XL. *De Pro-*

positionibus modalibus. LVII. *Officium de Festo Corporis Christi.* LXIX. *Expositio in Librum Boethii de Hebdomadibus.* LXX. *Praeclarae Quaestiones super Librum de Trinitate Boethii ad Symmachum Patricium.* Praeterea *Libri VII. de Eruditione Principum.*

Dubia, vel supposititia sunt haec S. Thomae Aquinatis Opera: *Scriptum secundum in Libros IV. Sententiarum* ad Annibaldum Annibaldensem Romanum. *Expositio in Isaim Prophetam, in Jeremiam, et in Lamentationes, seu Threnos Jeremiae*, quam multi Thomae Anglico O. P. tribuunt. *Expositio in Evangelium S. Matthaei*, quae Petrum Scaligerum ex Ord. Praed. auctorem habuissse dicitur. *Expositio in Evangelium S. Joannis. Commentaria in Genesim, in Libros Machabaeorum, in Epistolas Canonicas, in Apocalypsim*, et *in Boethium de Consolutione Philosophiae.* Complura Opuscula ex illis LXXIII., nempe Opusculum II. *Compendium Theologiae* ad F. Reginaldum. Opusculum IX. *De articulis* 108. *sumptis ex Opere Petri de Tarentasia Responsio*, ad Joannem Vercellensem Generalem Magistrum O. P. XX. *De Regimine Principum Libri IV.* ad Regem Cypri. XXXII. *De natura materiae, et dimensionibus interminatis.* XXXIII. *De mixtione Elementorum*, ad Magistrum Philippum. XXXVIII. *De Demonstratione.* XLI. *De natura accidentis.* XLII. *De natura generis.* XLIII. *De potentiis animae.* XLIV. *De Tempore.* XLV. *De pluralitate formarum.* XLVII. *De natura Syllogismorum.* XLVIII. *Totius Logicae Aristotelis Summa.* XLIX. *De sensu respectu singularium, et intellectu respectu universalium.* L. *De inventione medii.* LI. *De natura luminis.* LII. *De natura loci.* LIII. *De intellectu, et intelligibilibus* [illegible]

bili. LIV. *De quo est, et quod est.* LV. *Tactatus I. de universalibus.* LVI. *Tractatus II. de universalibus.* LVIII. *De Venerabili Sacramento Altaris*, Opusculum in Capita, sive Sermones XXXII. distributum, quod a multis, atque ab ipso etiam Natale Alexandro B. Alberto Magno tribuitur. LIX. *De Sacramento Eucharistiae ad modum decem praedicamentorum.* LX. *De Humanitate Jesu Christi Domini nostri.* LXI. *De dilectione Christi, et proximi.* LXII. *De Divinis moribus.* LXIII. *De Beatitudine.* LXIV. *De modo confitendi, et de puritate conscientiae.* LXV. *De Officio Sacerdotis.* LXVI. *Expositio Missae.* LXVII. *De Emptione et venditione ad tempus, seu ad terminum*, ad F. Jacobum Viterbiensem, Lectorem Florentinum. LXVIII. *Epistola brevis exhortatoria ad quemdam.* LXXI. *De vitiis et virtutibus, numero quaternario procedens.* LXXII. *De Concordantiis dictum, in quo concordat se ipsum in passibus apparentur contrariis.* LXXIII. *De usuris in communi, et de usurarum contractibus.*

Opera omnia S. Thomae Aquinatis iussu et sumptibus S. Pii V. in XVII. Tomos in folio distributa prodierunt Romae A. 1570., Venetiis 1594., et Anturpiae 1612. XVIII. Voluminibus in folio, studio et cura *Cosmae Morelles O. P.* Eadem ad plurima exempla comparata et emendata, admonitionibus et observationibus illustrata, edidit Venetiis A. 1749. *Bernardus Maria de Rubeis O. P.* qui etiam de Gestis, scriptis, ac Doctrina S. Thomae Aquinatis Dissertationes Criticas et Apologeticas vulgavit Venetiis Anno 1750. in fol.

CCLIV. *Thomas Cantipratanus*, natione Belga, Levvis prope Bruxellas, in Brabantia, celebri municipio, e nobili genere ortus, Canonicus primum Re-

gularis fuit in Monasterio Cantipratano, quod in Artesia erat juxtam Cameracum, unde cognomen sumpsit; dein Ordinem Praedicatorum ingressus, Albertum Magnum Coloniae docentem audivit, tum Subprior ac Lector Fratrum sui Ordinis fuit in Conventu Lovaniensi. Lusentinum postea consecratum fuisse Episcopum, et Cameracensi Episcopo Suffraganeum, sive adjutorem in Pontificalibus datum Scriptores magno consensum tradunt; at rectius id negare videntur Hagiographi *Antuerpienses* Tomo V. Junii, pag. 639. Obiit doctrina et sanctimonia clarus die XV. Maii A. 1263. Scripsit *Libros II. de Apibus*, quos *Bonum Universale* vocavit, omnium ordinum hominibus utilissimum Opus, in quo miracula et exempla sui temporis vere fideliterque exponit. Edidit hos libros notis a se illustratos *Georgius Colvenerius*, Duacenae Academiae Cancellarius, Duaci A. 1627. *Vitam S. Christinae Mirabilis Virginis Hasbanicae* in Brabantia, apud *Bollandi* Continuatores in Actis SS. Tomo V. Julii ad diem XXIV. *Vitam S. Lutgardis Virginis* Aquiriae in Brabantia, Ord. Cisterciensis, apud eosdem *Bollandi* Continuatores Tomo III. Junii ad diem XVI. *Vitam Margaritae Iprensis*, Duaci A. 1618. editam. Scripsit et *Librum de Natura rerum* diuturno XV. annorum labore ex variis Authoribus compilatum, ut ipse testatur Lib. II. de Apibus, Cap. ultimo. At Liber ille interiisse videtur. *Vita B. Mariae Ogniacensis*, quam *Bollandi* Continuatores Tomo IV. Junii ad diem XXIII. post lucubrationem Jacobi de Vitriaco exhibent, non Thomam hunc, sed Nicolaum, ejusdem Cantipratani Coenobii Ascetam, authorem habet.

CCLV. *S. Thomas Becket*, natione Anglus, Londini A. 1117. ex mediocris fortunae parentibus natus, Oxonii primum, dein Parisiis studiis literarum operam dedit. In Angliam reversus, inter Theobaldi Archiepiscopi Cantuariensis domesticos cooptatus est, a quo paulo post Bononiam missus fuit, ut ibi jurisprudentiam civilem, et canonicam disceret. Post haec Cantuariensis primum Ecclesiae Archidiaconus a Theobaldo creatus, illius deinde consilio Regni Cancellarius ab Henrico II. Angliae Rege factus est, eique Principis ejus filii institutio commissa. Quo in munere non minus Ecclesiae quam Regni utilitates promovit, consiliis suis Regem, quantum poterat, ab Ecclesiae Juribus invadendis, ac violanda libertate deterrens. Post obitum Theobaldi, agente Rege, Cantuariensis Archiepiscopus A. 1162. electus, Regis voluntati parere primum recusavit, ei se adversarium fore praenuntians propter Ecclesiasticam libertatem. Sed Henrici Pisani Cardinalis, et Sedis Apostolicae in Anglia Legati persuasione, Dei voluntati, qui eum ad tu ndam Ecclesiae libertatem ad primam Anglicanae Ecclesiae Sedem vocabat, tandem consensit: atque ab Henrico Principe Regis filio, paternae voluntatis interprete, ab omni rationum de munere pristino reddendarum onere absolutus, Dominica I. post Pentecostem ab Henrico Episcopo Wintoniensi, assistentibus XIV. Cantuariensis Provinciae Episcopis consecratus est, Pallioque ab Alexandro III. Pontifice Maximo insignitus. Pontifex factus, habitum Monasticum ac rigidum cilicium indutus, vitam ad omnem sanctitatis normam instituit; utque facilius pauperum egestatem sublevaret, Cantuariensis Ecclesiae bona e Nobilium, qui ea invaserant, manibus

Episcopali magnanimitate extorsit. Ea res multorum odia adversus Archipresulem Sanctissimum concitavit, quibus tamen praevaluit ejus apud Regem gratia et authoritas. At paulo post reducem e Concilio Turonensi Thomam gravis procella excepit, quae ipsum cum Henrico Rege commisit. Causae discordiarum fuerunt, quod Thomas Cancellarii munere se abdicarit, ne animus Regem inter et Ecclesiam divideretur, saecularibus negotiis se implicans: quod injustam tributi exactionem prohibuerit: quod pravam consuetudinem, qua Rex Episcoporum electionem differri curabat, ut vacantium Ecclesiarum fructibus in fiscum redactis diutius frueretur, vehementer improbaverit: quod Clericos facinorosos poenis canonicis damnatos nollet Regiis Judicibus tradere: quod nobilem quemdam, inconsulto Rege, excommunicarit.

Rex convocatos Londinum Angliae Episcopos interrogavit, num vellent Regias consuetudines observare? Quibus respondentibus se illas observaturos, *salvo ordine suo*, nec se ad earum observationem sub alia verborum formula obligaturos, Rex ira percitus, insalutatis Episcopis recessit. Regis indignatio Politicorum Praesulum animos concussit, et redditūum suorum imminutionem, aut exilium metuentes, prudentia carnis suggerente, ad Aulam profecti sunt, ut Regem demulcerent. Aulica aura afflati, Regi non solum obsequi, sed et adulari brevi coepere; nec tantum Primatem suum Thomam pro Ecclesiae privilegiis et libertate propugnantem deseruere, verum etiam ipsum maleficis consiliis, et importunis praecibus ad prodendam Ecclesiae causam inflectere conati sunt. Thomas horum precibus victus, ac consiliis aliquantisper ce-

dens, in Clarendonensi Procerum et Episcoporum totius Angliae conventu A. 1164. omnium primus se obstrinxit jurejurando, quod Consuetudines Regias servare bona fide vellet, nulla adjecta conditione: idque ab aliis etiam Episcopis interposito jurejurando praestitum est. Posteaquam vero nomine Consuetudinum Regiarum Angliae praelecta fuerunt XVI. Capitula Ecclesiasticae libertati admodum inimica; cum Rex Thomam caeterosque Antistites urgeret, ut haec Capitula in scriptum redacta subscriptionibus suis ac sigillis munirent; Thomas dissimulato dolore, rem tanti momenti tantisper differendam esse ajebat, ut cuncta decentius perficerentur: tum apographo dictarum Consuetudinum recepto, solutoque conventu, Wintoniam petiit. Ibi agnitum lapsum suum amaris lacrymis, severaque imposita sibi poenitentia castigavit, seque ipsum ab incruenti Sacrificii oblatione suspendit: tum datis ad Alexandrum III. Pontificem Maximum litteris, vulnus a se illatum Ecclesiasticae libertati ipsi exposuit, et absolutionem rogavit. Thomam paternis litteris consolatus est Alexander, excusata ejus culpa, quam ex obreptione potius quam ex ignavia et mala voluntate commissam intelligebat: prohibuitque, ne a Sacrificio Missae offerendo amplius abstineret, ipsum Apostolica authoritate absolvens tum a Censuris Ecclesiasticis, si quas forte incurrisset, quae ipsum a Sacri celebratione prohiberent; tum etiam a juramento de Regiis Consuetudinibus absque exceptione observandis, quod imprudenter praestiterat.

Henricus Rex hac Thomae tergiversatione offensus, tractos in partes suas Angliae Episcopos Northamtonam convocavit, a quibus adversus Archipraesulem

suum pugnantibus injuste damnatus Thomas, interposita ad Romanum Pontificem appellatione, clam in Belgium secessit, indeque ad Regem Christianissimum Ludovicum VII. confugit, qui ipsum benigne suscepit et honorifice, quamvis Rex Angliae postulasset per Legatos, ne ipsum in Regno suo pateretur, aut ipsi ullo pacto faveret. Alexander III. Papa Sanctum exulem Senonis, ubi cum Curia et Cardinalibus versabatur, benigne exceptum, seque, annulo in manus Pontificis tradito, Archiepiscopi dignitate abdicare parantem confirmavit, jussitque, ut Dignitate servata, in acie pro Ecclesia Dei fortiter staret, auxilium Romanae Ecclesiae nusquam ei defuturum pollicitus. Tum sententia Northamtonae in ipsum ab Anglicanis Episcopis, et Regni Proceribus lata in irritum missa, damnatisque majori ex parte Anglicanis Consuetudinibus, quae Clarendunae promulgatae, ac juramento firmatae fuerant, Sanctum virum Abbati Pontiniacensi Ordinis Cisterciensis commendavit, ut eum cum paucis domesticis in Monasterio suo susciperet, ac foveret. Ubi solido ferme biennio mansit, omnium exercitatione virtutum, et Monasticae disciplinae usu, quoddam futuri Martyris tyrocinium agens.

Interea Rex Angliae furore percitus, quod nihil a summo Pontifice contra Thomam impetrare potuisset, Cantuariensis Archiepiscopatus, et omnium Clericorum sancto Praesuli adhaerentium reditus in fiscum intulit: tum omnes qui Thomam quacumque agnatione contingebant, nullo habito delectu aetatis aut sexus, ex Anglia ejecit, juramento prius adstrictos, quod ad Archiepiscopum, ubicumque terrarum degeret, se collaturi essent, ut novis domesticae calamitatis spectaculis in

dies cruciaretur. Quin etiam omnibus subditis suis prohibuit, ne preces ad Deum pro Archipraesule funderent. Verum cum Thomae constantia his malis non frangeretur, Rex minaces dedit litteras ad Cistercienses Monachos, in Comitiis Generalibus congregatos, quibus jubebat, ut Thomam Pontiniaco expellerent, nisi ea omnia, quae in Anglia et Normannia possidebant, perdita vellent. His cognitis Thomas, ne Cistercienses in id discrimen coniiceret, Pontiniaco discessit, factaque sibi a Gallorum Rege potestate, a Viro nobili cum trecentis stipatoribus Senonas deductus est. Ibi ab Hugone Archiepiscopo, Clero, Populoque, summa laetitia exceptus, in Coenobio S. Columbae annos quatuor diversatus est.

Missis ultro citroque Legatis ab Alexandro III. Romano Pontifice, et Henrico II. Angliae Rege, frustra per annos aliquot pro concilianda pace Regem inter et Archiepiscopum laboratum est, quamvis officia sua Rex Christianissimus Ludovicus VII. interposuerit. Immo A. 1170. res accidit ad disjiciendas pacis cogitationes opportunissima. Henricus II. Angliae Rex filium suum Henricum Regem inaugurari, et coronari voluit. Ad hanc autem caeremoniam peragendam, suggerentibus Consiliariis iniquis proprioque odio, quo in Thomam Cantuariensem flagrabat, instigante, Rogerium Archiepiscopum Eboracensem, alterum sui aevi Caipham, elegit, quamvis Regum Coronatio Primatis Angliae, Cantuariensis nimirum Archipraesulis, Privilegium esset antiqua consuetudine firmatum. Hac de re certior factus Alexander III. Rogerio Eboracensi, caeterisque Praesulibus Anglicanis prohibuit sub Ordinis et Officii periculo, ne principem coronare praesu-

merent. Scripsit ad eosdem S. Thomas Cantuariensis, ipsisque, et propria authoritate, et Summi Pontificis nomine sub iisdem poenis idem vetuit. Quibus tamen omnibus insuperhabitis, in Ecclesia Westmonasteriensi S. Petri, in ipsa Dioecesi Cantuariensis Archiepiscopi pro justitia exulis, Coronatio Regis ab Archiepiscopo Eboracensi celebrata est, assistentibus Episcopis Gilberto Londoniensi, et Joscelino Sarisberiensi. De hoc facinore certior factus Alexander III. Eboracensem Archiepiscopum et caeteros Praesules ejusdem facinoris conscios ab omni Officio Episcopali suspendit: Londoniensem vero et Sarisberiensem caeteris procaciores communione Fidelium privavit.

Tandem eodem adhuc anno 1170. Alexandri III. litteris permotus, atque imminentium Ecclesiae fulminum metu, Henricus Rex ad pacis consilia est inflexus. Thomam itaque Archiepiscopum ad familiare colloquium admisit in Galliis, (plerumque enim ibi versabatur Angliae Rex Henricus, ubi amplissimis provinciis dominabatur ut Regis Franciae Vasallus, Dux Normanniae, et Aquitaniae, Comes Andegavorum, Conomanensium, et Pictonum) ipsumque honore singulari, et peculiaris amicitiae testificatione prosecutus, pacem et securitatem ipsi restituit: Ecclesiae possessiones se redditurum promisit statim atque in Angliam rediisset Archipraesul; quod in Filii sui Coronatione contra jus Cantuariensis Ecclesiae praesumptum fuerat, se emendaturum pollicitus est, et novam ejusdem Principis inaugurationem decreturum, priori in irritum missa. Consensit denique, ut Summi Pontificis sententia in Archiepiscopum Eboracensem, et Londoniensem, ac Sarisberiensem Praesules executioni mandaretur. Con-

suetudinum, quas ardore tam pertinaci antea propugnaverat, nulla habita ratio, factave mentio est. Pace restituta, actisque Christianissimo Regi gratiis pro liberali tot annorum hospitio, impensaque opera ad diuturnam illam discordiam componendam, Novembri mense ad finem vergente, Thomas ad Sanduvicum Angliae portum appulit, praemissis Summi Pontificis litteris, quae Archiepiscopi Eboracensis, et aliorum, Praesulum suspensionem, aliorum autem excommunicationem continebant. Inde se Cantuariam modico itinere distantem ad Ecclesiam suam contulit, et a Clero, populo, et Monachis, pulsatis campanis et organis incredibili laetitia exceptus, cunctis osculum pacis praebuit Pastor amantissimus.

Verum Thomae reditus in Angliam ingratus accidit Praefectis Regiis, Nobilibus Bonorum Ecclesiasticorum direptoribus, et Episcopis quibusdam in perduellione adversus Ecclesiam obstinatis, et laicae potestati blandientibus. Eboracensis Archiepiscopus, discordiae et seditionis incentor, vir nefariorum criminum infamia jam olim notatus, cum Londoniensi et Sarisberiensi Episcopis illico ad Henricum Regem in Normanniam se contulit, multisque accusationis capitibus adversus Thomam delatis, eum publicae pacis perturbatorem, persecutorem Episcoporum, Regisque inimicum esse criminabatur. His commotus Rex, suisque prae ira haud compos in funestam vocem erupit, omnibus familiaribus suis, et sibi propter accepta beneficia obnoxiis maledicens, quod ipsum de uno Sacerdote Regnum suum ita perturbante non vindicarent. His furentis Principis vocibus confisi quatuor equestris ordinis viri, Henrico Regi a cubiculis, in necem Sancti Archiprae-

sulis conspirarunt; moxque in Angliam profecti, ipsum primo in Palatio Archiepiscopali probris et conviciis aggressi, tandem in ipsa Cantuariensi Ecclesia Vespertini Officii tempore gladiis impetunt; Deoque, Sanctae Mariae, et Sanctis Ecclesiae Patronis, atque B. Dionysio se ipsum et causam Ecclesiae junctis et erectis manibus, levatisque in coelum oculis commendantem, ut victimam Ecclesiasticae libertatis immolant A. 1170. die XXIX. Decembris, quo Ecclesia Sanctissimi Martyris triumphum quot annis celebrat iussu Alexandri III., qui post mortem magnis fulgentem prodigiis solemni ritu Sanctorum Martyrum Catalogo adscripsit A. 1173. die XXI. Februarii.

Quae *Caveus* in Historia Litteraria de S. Thoma Cantuariensi scribit: *Vir ad miraculum usque ambitiosus, et protervus, nil nisi libertates Ecclesiasticas et authoritatem Sedis Romanae somniavit. --- Longum esset omnia viri procacissimi ausa nefaria commemorare; quoties ille in Principis sui caput conjurarit etc.* Haec, inquam, procacissimam ac prodigiosam Cavei petulantiam, et infrunitam Catholicos Sanctosque Episcopos calumniandi libidinem, stigmate dignam, quam boni omnes honeste ac liberaliter educati horreant, luculenter ostendunt. Quod vero Pseudopolitici quidam S. Thomam imprudentiae accusent ob toleratam necem pro Ecclesiastica libertate, id inter saeculi nostri paradoxa referendum est, quo prudentia carnis fidem et spiritum extinguit. Condolendum sane temporum nostrorum infelicitati, quod haec opinionum monstra locum apud Christianos obtinent. Profecto si plures Thomas Ecclesia numeraret, paucos haberet libertatum suarum oppugnatores.

Extant S. Thomae Cantuariensis Archiepiscopi *Epistolae*, ad illustrandam ejus Vitam, turbasque in Ecclesia Anglicana suo aevo exortas, opportunissimae, ab *Alano* Cantuariensis Ecclesiae Priore, ac postea Abbate Teckesburiensi collectae, quas in Libros V. digestas ex MS. Codice Vaticano edidit *Christianus Lupus* Frater Eremita Augustinianus, et Doctor Lovaniensis Bruxellis A. 1682. una cum Quadrilogo, seu Vita S. Thomae ex quatuor Authoribus, videlicet Hereberto ipsius Clerico, Wilhelmo Cantuariensi, Alano Abbate Deoche, et Joanne Sarisberiensi olim contexta.

CCLVI. *Titus*, Bostrorum in Arabia Petraea Episcopus, sub Juliano, Joviano, ac Valente Imperatoribus, floruit. Cum Julianus Imperator occasioni cuicunque immineret Episcopos et Clericos e Civitatibus ejiciendi, quo facilius plebs Pastoribus destituta in oblivionem suae religionis prolaberetur, minatus est culpam omnem se in Episcopos et Clericos conjecturum, si plebs seditionem moveret. Titus misso ad Principem libello testatus est, Christianos suae urbis, quamvis Idolatris numero inferiores non essent, cohortationibus suis obtemperantes quiescere, nihilque seditionis movere. Imperator ut invidiam Tito crearet, data Antiochiae prima die Augusti ad Bostrenses Epistola, quae inter *Juliani* Epistolas est ordine LII., eum tamquam civium suorum calumniatorem insimulavit, scribens: *Videtis, quod dicat, vestram erga me obedientiam non vestrae indoli, sed sibi, qui vos suis exhortationibus cohibeat, adscribendam esse. Ergo ejicite e civitate vestra accusatorem vestrum.* Mortuo paulo post Juliano, Titus Antiochenae Synodo A. 363. interfuit, et Libellum fidei Imperatori Joviano oblatum subscriptione

sua firmavit. Eum sub Valente Imperatore obiisse certum est; at quo anno ejus Imperii, non liquet.

Extant Latine, interprete Francisco Turriano S. J. *Libri III. Adversus Manicheos cum argumento libri quarti*, qui desideratur, quos ut genuinum Titi Bostrensis foetum agnoscit *S. Hieronymus* Lib. de Script. Eccles. Cap. CII., editi ab *Henrico Canisio* Tomo V. Antiquae Lectionis, Ingolstadii A. 1604. Extat etiam Graece et Latine sub Titi Bostrensis nomine *Homilia*, sive *Oratio in Ramos Palmarum* apud *Franciscum Combefisium* O. P. Tomo I. Auctarii novi Bibliothecae Patrum Graeco-Latinae Parisiis Anno 1648., quam tamen ad alium quemdam Titum, Bostrensi juniorem, pertinere censent Eruditi. *Comentatarius in Evangelio S. Lucae*, a *Theodoro Peltano S. J.* Latine Ingolstadii A. 1579., Graece simul ac Latine a *Frontone Ducaeo S. J.* in Auctario Graeco-Latino Bibliothecae Veterum Patrum Parisiis A. 1624. editus, non unius Titi opus est, sed ex ejus, aliisque SS. Patrum Commentariis consarcinatum ab alio posterioris aevi Scriptore. Citantur enim in eodem Commentario S. Joannes, Chrysostomus, S. Cyrillus Alexandrinus, Gregorius uterque, Nazianzenus, et Nyssenus, atque Isidorus Pelusiota, qui post Titum floruerunt. In Catena LXV. Graecorum Patrum in Lucam, quam *Balthassar Corderius S. J.* Antuerpiae A. 1628. edidit, plura extant Titi Bostrensis Fragmenta partim ex Commentario in Lucam, partim ex aliis ejus Operibus, quae jam exciderunt.

V

CCLVII.

V *alerianus*, Cemeliensis trans Varum haud procul Nicaea apud Alpes maritimas Episcopus Provinciae Ebrodunensis, saeculo V. floruit. Interfuit Synodo Rejensi A. 439. in causa Armentarii Ebrodunensis, et Arelatensi III. A. 455. congregatae ad dirimendam controversiam, quae inter Faustum Abbatem Lerinensem, et Theodorum Forojuliensem Episcopum versabatur. Quo anno obierit, incertum est. *Homilias ejus XX.* varii argumenti cum *Epistola ad Monachos paraenetica* primus in lucem edidit *Jacobus Sirmondus S. J.* Parisiis A. 1612. Easdem in Heptade Patrum recundi curavit Lugduni A. 1633. *Thephilus Raynaudus S. J.*, addita Apologia, qua Valerianum, Semipelagianismi ab obscuro quodam nebulone accusatum, vindicavit.

CCLVIII. *Venantius Fortunatus*, natione Italus, in loco, qui Duplabilis dicebatur, Cenetam inter et Tarvisium natus est. Ravennae liberalibus disciplinis imbutus, Martini Turonensis Episcopi virtute, ab oculorum, quos oleo lampadis ad imaginem ejus ardentis inunxerat, dolore liberatur. Grati animi causa suscepto per Germaniam itinere Turones venit, Liberatoris sui Reliquias veneraturus. Hospitem Rex Sigebertus benigne excepit, Optimatibus deinde, multisque etiam Episcopis, S. Nicetio Trevirensi praecipue, et S. Gregorio Turonico charum. Pictavos dein profectus Sacerdotio ibidem initiatur, demortuoque Platoni Pictaviensium Episcopo successor datur. Obiit circa annum 600. Scripsit

Poematum Libros XI. praemissa ad S. Gregorium Turonensem Epistola nuncupatoria. *Libros IV.* carmine Heroico *de Vita S. Martini Turonensis. Epistolas III. ad Mumulenum. Poemation de excidio Thuringiae, ad Artachin*, atque *ad Justinum juniorem Imp. et Sophiam Augustam. Expositionem* brevem atque elegantem *Orationis Dominicae*, et *Symboli Apostolici.* Quae omnia collegit ediditque *Christophorus Browerus S. J.* Moguntiae A. 1603., extantque Tomo X. Bibliothecae Maximae Lugdunensis. Supersunt praeterea plures Sanctorum Vitae, a Venantio conscriptae. *Vita S. Hilarii Pictaviensis* Episcopi apud Hagiographos *Antuerpienses* Tomo I. Januarii ad diem XIII. *Vita S. Albini* Andegavensis Episcopi apud eosdem Tomo I. Martii ad diem I. *Vita S. Germani* Parisiensis Episcopi apud eosdem Tomo VI. Maii ad diem XXVIII. *Vita S. Medardi* Noviomensis Episcopi, quae tamen a posteris fuit interpolata, apud eosdem Tomo II. Junii ad diem VIII. *Vita S. Radegundis Reginae Franciae* apud eosdem Tomo III. Augusti ad diem XIII. *Vita S. Marcelli* Parisiensis Episcopi apud *Laurentium Surium* in Vitis Sanctorum ad diem I. Novembris. *Vita S. Amantii* Ruthenensis Episcopi apud eumdem ad diem IV. Novembris *Vita S. Maurilii* Andegavensis Episcopi, et *S. Remigii* Rhemensis num Venantium Authorem habuerint, merito dubitatur ab Eruditis. Priorem exhibent *Bollandi* Continuatores Tomo IV. Septembris ad diem XIII., posteriorem Tomo I. Octobris ad diem I. ejusdem mensis.

CCLIX. *Victor*, Antiochenus Presbyter, S. Joannis Chrysostomi aequalis, Saeculo V. ineunte floruit. Scripsit *Commentarium in Evangelium S. Marci*, qui

qui ex versione *Theodori Peltani S. J.* Ingolstadii A. 1579. Latine tantum prodiit, extatque Tomo IV. Bibliothecae Maximae Lugdunensis.

CCLX. *Victor*, Tunnonensis in Africa Episcopus, Trium Capitulorum pertinacissimus propugnator, ea de causa in Aegyptum deportatus jubente Justiniano Imperatore, ac tandem CPolim translatus, et Monasterio inclusus, obiit circa annum 566. sub Justino juniore. Vigilio Romano Pontifici, a quo demum Tria damnata fuerunt Capitula, infensissimus, *Cronicon* scripsit, non ab initio mundi, ut plurimi perperam putant, sed ab anno 444. in quo S. Prosper Aquitanus desinit, ad initia usque Justini II. junioris, sive ad annum usque 566. In eo omnem occasionem captat homo Schismaticus, qua Trium Capitulorum Orthodoxos inpugnatores aperte vellicet, et indecoro *praevaricatorum* agnomine notet, immo ea propter divinitus etiam fuisse punitos non obscure praetexat. Chronicon hoc ediderunt *Henricus Canisius* Ingolstadii A. 1600., *Josephus Scaliger* in Thesauro Temporum Lugduni Batavorum A. 1606. *Andreas Schottus S. J.* Tomo IV. Hispaniae illustratae Francofurti 1608., et *Jacobus Basnagius* inter Lectiones antiquas Henrici Canisii, Antuerpiae A. 1725.

CCLXI. *S. Victor*, Vitensis in Byzacena, non ut aliqui perperam afferunt, Uticensis in Proconsulari, seu Carthaginensis Africae provincia Episcopus, Collationi Carthaginensi A. 484. cum aliis Africae Praesulibus interfuit. In Vandalica persecutione pro Fide Orthodoxa gravissima passus incommoda, atque in Sardiniam ejectus, ibidem obiisse creditur. Ejus nomen Romano Martyrologio inscriptum est ad diem XXIII. Augusti. Scripsit *Historiam de Persecutione Africana*,

seu *Vandalica* sub Genserico, et Hunerico, crudelissimis Vandalorum Regibus, modo in tres, modo in quinque Libros distributam; author maxima fide dignus, quia synchronus, multarumque rerum testis oculatus. Historiam hanc notis illustratam ediderunt *Petrus Franciscus Chiffletius S. J.* Divione A. 1665. cum Operibus Vigilii Tapsensis Episcopi, atque omnium exactissime *Teodoricus Ruinartius* O. S. B. e Congregatione S. Mauri, Parisiis A. 1694., cui etiam Commentarium Historicum addidit de Persecutionis Vandalicae ortu, progressu, et fine. *Confessionem fidei*, Hunerico Regi oblatam, quam Victor Vitensis Lib. III. Historiae suae exhibet, multi ab ipso Victore exaratam fuisse autumant; *Cuperus* autem, Bollandi Continuator, in Actis SS. Tomo III. Julii eamdem S. Eugenio Carthaginensi Episcopo verisimilius adjudicat.

CCLXII. *Fabius Marius Victorinus*, natione Afer, Constantii Imperatoris temporibus Romae per multos annos Rhetoricam docuit, multos Senatorii Ordinis discipulos nactus, et statuam in foro Trajani eloquentia sua promeritus. Aetate jam provecta, cum antea Gentilis esset, Christo nomen dedit, plaudentibus Christianis, ringentibus Ethnicis. Cumque Presbyteri verecundiae ipsius consulentes, ejus arbitrio permisissent, ut solemnem fidei confessionem, quae de loco eminentiori fieri solebat, secreto emitteret; renuit, et in conspectu Ecclesiae totius pronunciare voluit, plaudente toto adstantium choro, et Victorini nomen resonante. Promulgato Juliani Apostatae Decreto, ne Christiani Oratoriam, Gentiliumque litteras docerent, Cathedrae suae lubens volensque A. 362. renunciavit, pauloque post videtur obiisse. Praeter complures *Platonicorum libros*, quos Gentilis adhuc

in Latinam linguam transtulerat, et *Commentarios in Ciceronis Rhetoricam*, *versionem Isagoges Porphyrianae*, et *Libros IV. de enuntiatione litterarum*, *Orthographia*, *et ratione Carminum*, scripsit jam Christianus *Librum ad Justinum Manichaeum contra duo principia Manichaeorum*, et *Opusculum de Principio diei* a Jacobo Sirmondo S. J. edita inter Opuscula dogmatica Veterum Parisiis A. 1630, *Libros IV. de Sanctissima Trinitate* adversus Arianos. *Hymnos III. de Homousio recipiendo. Carmen de septem Machabaeis.* Quae omnia extant Tomo IV. Bibliothecae Maximae Lugdunensis. Item *Confutatorium de Generatione Verbi Divini* adversus Candidum Arianum, Basileae impressum A. 1548., et *Commentarium in aliquot B. Pauli Epistolas*, quem Sirmondus adhuc MS. delitescere ait in Bibliotheca Monasterii Herevallensis in Gallia. Caeterum illud probe observandum est, Marii Victorini Opuscula attentum et oculatum Lectorem postulare. Cum enim in Gentilium litterarum studio longe majorem vitae partem transegerit, nec nisi provecta jam aetate Christianismum amplexus sit, non videtur ubique fidei dogmata satis accurate percepisse, aut saltem ea non satis feliciter expressisse.

CCLXIII. *S. Victorinus*, ex Oratore Grecae magis quam Latinae linguáe perito Episcopus, non Pictaviensis in II. Aquitania, sed Petabionensis in Superiore Pannonia ad Diavum fluvium, Martyrio coronatus fuit Diocletiano et Maximiano imperantibus, A. 303., die II. Novembris. Multa scripsit Latine in Sacrum Scripturarum Codicem praecipue, stylo ut S. Hieronymus ait minus diserto ac vili, quae a *S. Gelasio* in Synodo Romana ad finem saeculi V. in

Apocryphorum classem rejecta sunt, quod Millenariorum, seu Chiliastarum fabulas in iis obtruderet. Praeter alia scripsisse dicitur *Librum adversus omnes haereses*, *Commentarios in Genesin*, *in Exodum*, *in Leviticum*, *in Ecclesiasten*, *in Cantica Canticorum*, *in Isaiam*, *in Ezechielem*, *in Habacuc*, *in Matthaeum*, et *in Apocalipsin S. Joannis*: quae tamen omnia injuria temporum interierunt. Extat quidem Tomo III. Bibliothecae Maximae Lugdunensis sub ejus nomine *Commentarius in Apocalypsin*; sed aut S. Victorino suppositus est, cum errori Millenariorum nedum non faveat, sed in eum totis viribus pugnet, quisquis est illius Commentarii Author: vel saltem interpolatus est, et medicam cujusdam manum expertus.

CCLXIV. *Victorius*, gente Aquitanus, domo Lemovicensis, calculis Mathematicis perquam exercitatus, ab Hilaro, S. Leonis M. tunc Archidiacono, Summo postea Pontifice rogatus, scripsit Constantino et Rufo Coss., seu anno Christi 457. *Canonem Paschalem*, quem ad annum usque 532. perduxit. Ecclesia Occidentalis eo in pretio hunc Canonem habuit, ut in Synodo Aurelianensi IV. A. 54. Sanctum Pascha ex illius calculis ab omnibus Sacerdotibus deinceps celebrandum decerneretur. Hoc Opusculum Victorii Aquitani primus edidit, doctissimisque Commentariis illustravit *Aegydius Bucherius S. J.* Antuerpiae A. 1633. in fol. cum aliis aliorum Patrum Operibus, ad eamdem materiam spectantibus.

CCLXV. *Vigilius*, natione Afer, Tapsensis in Byzacena provincia Episcopus, Zenone et Anastasio imperantibus floruit. Hunerici Vandalorum Regis jussu

Cartaginem A. 484. evocatus, ut rationem fidei suae redderet, Eugenii Carthaginensis Episcopi professioni fidei subscripsit. Saevientibus in Catholicos Vandalis Arianis, ut illorum rabiem effugeret, patriam vel sponte deseruit, vel ab iis in exilium ejectus, Constantinopolim, ac Neapolim, Campaniae se contulit. Quo anno obierit, non liquet; eum tamen ad Justini senioris usque tempora vitam protraxisse vix credibile est. Vigilii scripta diu inter aliorum Opera delituerunt, quia sub aliorum nomine ea plerumque ipse Vigilius ediderat, ut Arianorum odium, atque invidiam effugeret, praetensisque Athanasii et Augustini nominibus sibi suffugium, scriptis vero suis authoritatem pareret, praecipue apud Vandalos, aliasque barbaras gentes, Ariana peste infectas, et Criticae artis expertes.

Genuina Vigilii Tapsensis Opera sunt *Libri XII. de Trinitate* ad Theophilum, sub nomine S. Athanasii Alexandrini. *Dialogorum Libri II., sive altercatio sub nomine S. Athanasii in Concilio Nicaeno inter Athanasium, et Arium, sub Probo Judice. Dialogorum sive Altercationum Libri III. sub nomine S. Athanasii, adversus Arium, Sabellium, et Photinum coram Probo Judice. De Unitate Trinitatis ad Optatum, contra Felicianum Arianum, in formam Dialogi inter S. Augustinum, et Felicianum Arianum* a Vigilio confictus Liber. *Altercatio cum Pascentio Ariano coram judice Laurentio*, in Appendicem Operum S. Augustini a Maurinis Editoribus rejecta. *Libri III. contra Marivaldum, seu Varimadum, Arianae Sectae Diaconum, sub nomine Idacii Clari. Libri V. adversus Nestorium, et Eutychetem pro de-*

fensione S. Leonis M. et Synodi Chalcedonensis, qui cum Vigilii nomen praeferant, ab iis, quibus de Vigilio Tapsensi nihil constabat, S. Vigilio Tridentino Episcopo perperam tributi fuerunt; cum tamen exploratum sit, S. Vigilium Tridentinum ante Nestorii et Eutychetis tempora, aetate SS. Ambrosii et Simpliciani floruisse, et Martyrem obiisse sub primo vel secundo Stiliconis Consulatu, id est, anno 400., vel 405. Eidem Vigilio Tapsensi valde verisimiliter adscribitur *Symbolum*, quod *Athanasianum* vocatur. Opera haec hactenus recensita in unum collegit, legitimo suo parenti restituit, notis et dissertationibus illustravit *Petrus Franciscus Chiffletius S. J.* Divione A. 1664., qui etiam rationibus haud adeo contemnendis evincere conatus, Acta Concilii Aquilejensis A. 381. a S. Ambrosio Mediolanensi adversus Palladium et Secundianum Episcopos Arianos habiti, et Epistolas Concilii Aquilejensis ad Episcopos Galliarum, atque ad Imperatores, adulterina esse, atque a Vigilio Tapsensi fabricata.

CCLXVI. *Vincentius*, natione Burgundus, ex Ord. Praedicatorum, *Bellovacensis* dictus, non ab Episcopatu illius urbis sed a frequenti dumtaxat in eadem urbe commoratione, verisimilius obiisse creditur A. 1264. Regnante S. Ludovico Francorum Rege, et sumptus suppeditante, triplex ex variis authoribus adornavit Speculum. *Doctrinale* Libris XVII. de omni genere scientiarum tractat, a Grammatica ad Theologiam usque. *Naturale* Libris XXII. de natura rerum, situ locorum, et ratione temporum agit. *Historiale* complectitur Historiam ab Orbe condito ad annum usque 1254., in qua tamen multa falsa ac fabulosa occurrunt, sine delectu ex antiquioribus Historicis cor-

rasa. *Speculum Morale* eidem tribui solitum, in quo agitur de affectibus, de lege et gratia, de virtutibus et vitiis, vel ab ipso Vincentio adornatum fuit ex II.a II.e S. Thomae, quam S. Doctor Parisiis absolverat, vivente adhuc Vincentio; vel quod verisimilius videtur, a Vincentio Bellovacensi conscriptum non fuit, sed ab alio post obitum ipsius ex II.a II.e S. Thomae majori ex parte contextum est. Qua de re plura vide apud *Natalem Alexandrum O. P.* in dissertatione VI. ad Hist. Ecclesiasticam Saeculi XIII. et XIV., in qua solidis argumentis Summam Theologicam legitimo parenti suo S. Thomae Aquinati vindicat. Quadruplex illud Speculum prodiit Venetiis A. 1591., et Duaci A. 1624. Scripsit etiam *Consolatorium de morte amici*, ad S. Ludovicum Galliarum Regem. *Libros IV, de Gratia Dei, sive de Mysterio Redemptionis humanae. Librum unum de Gestis, moribus, Vita, ac laudibus B. V. Mariae*, et alterum *de laudibus S. Joannis Evangelistae. De Eruditione puerorum regalium*, ad Margaritam Reginam Franciae, S. Ludovici conjugem. Quae omnia Basileae prodierunt A. 1481.

CCLXVII. *S. Vincentius*, natione Gallus, quem aliqui, nescio an satis solide, Tulli Leucorum splendida nobilique familia ortum, ac fratrem fuisse S. Lupi Episcopi Tricassini contendunt Monasticam vitam apud Lerinenses egit, atque ad Presbyterii dignitatem evectus est. Anno 434. assumpto *Peregrini* nomine aureum scripsit *adversus Haereticos Commonitorium*, quod merito catholicae veritatis armentarium vocaberis ex quo tela depromuntur profligandis omnium haereticorum erroribus opportunissima, saepius editum, ac notis a *Stephano Baluzio* illustratum Parisiis A.

1669., et 1684. Porro Commonitorium illud duplex erat, quorum alterum Vincentio nescio quis suffuratus est, antequam ultimam manum eidem admovisset, ut refert *Gennadius* Massiliensis Lib. de Script. Eccles. Cap. LXIV., unde recapitulationem quamdam in tria capita distinctam, quae istius vices suppleret, priori Commonitorio ipse Vincentius subnexuit. Hinc qui Vincentium testem citant, nulla primae aut secundae partis ratione habita, plerumque sola nominant Commonitorii capita, quae numero sunt XLIII. recapitulatione illa in censum veniente. Obiit sub Theodosio II. et Valentiniano III. Imp., adeoque ante annum 450. Ejus nomen Martirologio Romano inscriptum est ad diem XXIV. Maii.

Praeter Heterodoxos, Vossium, Usserium, Oudinum, Caveum etc. ex Catholicis Recentioribus Antelmius, Pagius, Maurini Editores Operum S. Augustini, Natalis Alexander, Christianus Lupus, Henricus Card. Norisius, Joan. Laurent. Berti, Dupinius, Bailletus, Tillemontius, aliique, S. Vincentium Lerinensem Semipelagianum fuisse, atque in ejus Commonitorio manifesta apparere Semipelagiani erroris vestigia contendunt, maligni verborum ejus interpretes, quorum frivolas exceptiones invicte elisit *Laurentius Alticotius S. J.* in Dissertatione de Semipelagianis Rebus et Hominibus, praefixa Parti V. Summae Augustinianae Romae A. 1757. Neque propterea Lerinensis nostri Fides ac doctrina in suspicionem vocari merito potest, quod Vincentius quidam A. 430. *sexdecim objectiones* evulgaverit ad infamandam S. Augustini ejusque discipulorum doctrinam, quas confutavit S. Prosper libello, qui inscribitur, *Responsiones ad Capitula ob-*

jectionum Vincentianarum. Praeterquam enim quod demonstrari nequeat, authorem illarum objectionum se sub ficto Vincentii nomine non occultasse, et S. Prosper in earum confutatione, nulla facta Vincentii alicujus mentione, eas pluribus adtribuat qui consensione communi in illis fabricandis et evulgandis conspiraverint: nihil obstat, quo minus objectiones illae tribuantur Vincentio alteri, qui A. 439. Concilio Rejensi interfuit, aut Vincentio Victori Afro ejusdem aetatis Scriptori, quem in pluribus aberrasse constat. At demus, neutri illorum eas adscribi posse. Ergo tribuendae erunt Vincentio Lerinensi? Mirabilis consecutio! quam tum demum ratam habebunt aequi rerum judices, quando Adversarii ostenderint, Saeculo V. tres tantum litteratos Vincentios in toto orbe Christiano extitisse, quibus tribui possint objectiones illae. Quare cum per duodecim et amplius saecula S. Vincentius Lerinensis, Christianae doctrinae fama maxime nobilitatus in Ecclesia floruerit, iniquum censeo, a tam diuturna et inveterata sanae doctrinae possessione inanibus quorumdam cavillationibus illum expelli; potiorque cuilibet merito debet esse Romani Martyrologii authoritas, quod ad diem XXIV. Maii testatur, Vincentium Lerinensem Presbyterum *doctrina et sanctitate conspicuum* fuisse, quam Recentiorum quorumdam, qui nulla de causa, atque ex meris conjecturis, iisque sane frivolis, lethale ejus doctrinae et sanctitati vulnus infligunt. Caeterum illud mirari satis nequeo, quod Adversariorum aliqui, qui Semipelagianorum numerum in infinitum augent, eisque non modo Vincentium Lerinensem, verum etiam plerosque ejus aetatis Arelatensis, Viennensis, ac Lugdunensis

provinciae Episcopos accensent; ubi tamen de *Gothescalco* agitur, tanta contentione Monachum petulantem ac contumacem, in Carisiaca Synodo virgis caesum, ab omni errore vindicent, B. Rabano Mauro Moguntino, et Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo, viris summis, ac praecipuis Sacri Benedictini Ordinis saeculo IX. luminaribus aperte infensi. Habent utique illi consilii sui causas, quas cuilibet non obesae naris facile licet divinare.

CCLXVIII. *Usuardus*, Monachus O. S. B. in Coenobio Pratensi, seu S. Vincentii Lutetiae Parisiorum, floruit Saeculo IX. non sub Carolo Magno, sed sub ejus Nepote Carolo Calvo. Scripsit A. 875 ex Adone praecipue, ac Beda *Martyrologium*, Imperatori Carolo Calvo nuncupatum, quo diu Romana, et pleraeque aliae Ecclesiae usae sunt. Quo anno obierit, non liquet. Usuardinum hoc Martyrologium prodiit Lovanii A. 1568. cum adnotationibus *Joannis Molani*, et alibi saepius. Idem Opus ad excusa exemplaria quatuordecim ad Codices MSS. integros decem et septem, atque ad alios ferme quinquaginta collatum, ab additamentis expurgatum, castigatum et quotidianis, iisque doctissimis observationibus illustratum edidit Antuerpiae in fol. A. 1714. *Joannes Baptista Sollerius S. J.*, Bollandi Continuator.

W

CCLXIX.

Walafridus Strabo, natione Germanus, Monachus O. S. B. in Coenobio S. Galli, Rabani Mauri Fuldae discipulus, postea Decanus S. Galli, ac demum Abbas Augiae Divitis prope Constantiam A. 842. electus, Sacrarum Litterarum fuit peritissimus, inter praecipuos Saeculi IX. Scriptores numerandus. Obiit A. 849., cum jussu Ludovici Germaniae Regis Legatione fungeretur apud Carolum Calvum Franciae Regem. Genuina Walafridi Opera sunt: *Extrema S. Mammae*, sive *Mamantis Monachi. Vita S. Leudegarii. Visio S. Wettini* metro scripta, ac varia alia *Poëmata*, quae omnia exhibentur Tomo VI. Antiquae Lectionis *Henrici Canisii. Liber de Officiis divinis*, sive *de Exordiis, et incrementis Rerum Ecclesiasticarum*, cum *Tractatu de eversione Hierosolymae ad Caput XIX. S. Lucae*, extat Tomo XV. Bibliothecae Maximae Lugdunensis. *Libri II. de Vita et miraculis S. Galli*, apud *Laurentium Surium* ad diem XVI. Octobris. *Vita S. Othmari Abbatis*, et *S. Blaitmaci* apud *Joannem Mabillonium* Saeculo III. Benedictino. *Poëmata* quaedam Walafridi, antea inedita, vulgavit *Stephanus Baluzius* Miscellaneorum Tomo IV. Ipsius etiam Walafridi est *Glossa Ordinaria in Sacram Scripturam*, ex aliorum Interpretum, ac praesertim *Rabani Mauri* Commentariis collecta, ac postea ab *Anselmo Laudunensi* aucta et locupletata, quae Tomis VI. in folio prodiit Parisiis A. 1590., Venetiis 1603. Duaci 1617.

CCLXX. *Wandelbertus*, Diaconus, et Monachus O. S. B. in Coenobio Prumiensi Dioecesis Trevirensis, sub Lothario I. Imperatore A. 842. *Martyrologium* totius anni *metrice* scripsit, quod integrum, et purum, suo Authori restitutum et nitori edidit Parisiis A. 1661. Tomo V. Spicilegii sui *Lucas Dacherius O. S. B.* una cum Praefationibus soluta et stricta oratione concinnatis. Idem Wandelbertus scripsit etiam jussu Marquardi Abbatis *Librum unum de Vita S. Goaris, et alterum de miraculis ejusdem.* Extat uterque Liber apud *Joannem Mabillonium* Saeculo II. Benedictino, et apud Continuatores *Bollandi* Tomo II. Julii ad diem VI. ejusdem mensis, in Actis SS.

Z

CCLXXI.

S. *Zeno*, Episcopus Veronensis, non sub Galliano, sed sub Constantio, Juliano Apostata, aut etiam Valentiniano I. Imperatoribus Saeculo IV. floruit. Constat enim ex Epistola LXIV. S. Ambrosii, scripta circa annum 381. ad Syagrium Veronensem Episcopum, ejusdem Syagrii Decessorem fuisse Zenonem, quem S. Ambrosius ibi *sanctae memoriae virum* appellat: atque unicum in Veronensi Cathedra sedisse Episcopum Zenonem. Num Martyr obierit, res est ambigua, tum quod nullus ante S. Gregorium Magnum Martyrem eum vocaverit; tum quod nulla ea aetate, eaque in regione ferveret Paganorum Imperatorum persecutio. *Onuphrius Panvinius*, Frater Eremita Augustinianus, Lib. IV.

V 2

Antiquitatum Veronensium, Cap. VI. testatur, Ecclesiam Veronensem ab antiquo usque ad sua tempora, id est, ad Saeculum usque XVI., anniversariam de eo, tamquam de Pontifice Confessore, commemorationem fecisse: primumque Aloysium Lipomanum, ejusdem urbis Episcopum, S. Zenonis solemnem memoriam, tamquam Pontificis Martyris, in Ecclesia Veronensi fieri jussisse. Scripsit S. Zeno *Sermones* quosdam sive *Tractatus*, quos velnti quibusdam gemmis sententiarum argutiarumque ex intervallo distinxit. Ex his tamen aliquos Zenoni fuisse suppositos manifestum est. Sic *Tractatus de Lazaro*, *et alter de Martyrio Isajae* sunt Poterii cujusdam, incertae Sedis Episcopi. *Interpretatio* vero *Psalmorum a CXXVI. usque ad CXXX.*, est S. Hilarii Pictaviensis. Quatuor alii, *Attende tibi*, *de livore et invidia*, *de Jejunio*, *et de Avaro divite*, sunt S. Basilii Caesariensis, ex illis scilicet, quos Ruffinus Aquilejensis vertit. *Joannes Dominicus Mansi* in notis ad Historiam Ecclesiasticam Natalis Alexandri Tomo IV. pag. 38. observat, in MS. Codice, dono dato ab Hincmaro Rhemensi Monasterio S. Zenonis in Dioecesi sua sito, tractatus S. Zenonis triginta eadem vetusta manu descriptos esse, cui subiunguntur undecim alii paulo ante enumerati, manus plane diversae. Sermones S. Zenonis, Episcopi Veronensis, notis a se illustratos ediderunt *Petrus* et *Hieronymus* Fratres *Ballerinii*, Presbyteri Veronenses, Veronae A. 1739.

O. A. M. D. G.

ABACUS CHRONOLOGICUS

PATRUM, AC VETERUM SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM,

Qui primis XIII. Saeculis floruerunt, et de quorum Vita ac Scriptis in hoc Indiculo agitur.

SAECULO I.

S. *Barnabas.* Num. XXXVI.
Achajae Presbyteri. II.
S. Hermas. CXIV.
S. Clemens Romanus. LIX.
S. Dionysius Areopagita. LXVII.

SAECULO II.

S. Ignatius Martyr. CXXVIII.
S. Polycarpus Smyrnensis. CCV.
S. Justinus Martyr. CXLVIII.
Tatianus. CCXLI.
Athenagoras. XXXIII.
S. Hegesippus. CXII.
Melito Sardensis. CLXXIII
S. Theophilus Antiochenus. CCLI.

S. Irenaeus Lugdunensis. CXL.
Cajus Presbyter. LI.

SAECULO III.

Septimius Florens Tertullianus. CCXLII.
M. Minucius Felix. CLXXV.
Clemens Alexandrinus. LVIII.
S. Hippolytus Martyr. CXXI.
Origenes. CLXXXV.
S. Cyprianus Carthaginensis. LX.
S. Gregorius Thaumaturgus. CI.
S. Dionysius Alexandrinus. LXVI.

SAECULO IV.

S. Methodius Martyr. CLXXIII.
S. Victorinus Petabionensis. CCLXIII.
Arnobius Afer. XXVIII.
Lactantius Firmianus. CL.
Cajus Juvencus Presbyter. CXLIX.
S. Eustathius Antiochenus. LXXXIII.
Eusebius Caesareensis. LXXX.
S. Antonius Abbas. XXV.
Julius Firmicus Maternus. CXLVI.
Eusebius Emesenus. LXXXI.
Fabius Marius Victorinus. CCLXII.
S. Zeno Veronensis. CCLXXI.

S. Hillarius Pictaviensis. CXIX.
S. Athanasius Alexandrinus. XXXII.
Lucifer Calaritanus. CLX.
S. Eusebius Vercellensis. LXXXII.
Titus Bostrensis. CCLVI.
S. Optatus Milevitanus. CLXXXIV.
S. Basilius Magnus. XXXVII.
S. Ephraem Syrus. LXXIV.
S. Damasus Papa. LXIII.
S. Cyrillus Jerosolymitanus. LXII.
S. Philastrius Brixiensis. CCI.
Prudentius Clemens. CCXI.
S. Gregorius Nazianzenus. C.
Hilarius Diaconus. CXVIII.
S. Pacianus Barcinonensis. CLXXXVII.
Didimus Alexandrinus. LXV.
S. Gregorius Nyssenus CII.
S. Phoebadius Aginnensis. CCIII.
S. Amphilochius Inconiensis. XVI.
S. Ambrosius Mediolanensis. XIV.

SAECULO V.

S. Epiphanius Salaminensis. LXXV.
S. Joannes Chrysostomus. LVI.
Victor Antiochenus. CCLIX.
Rufinus Aquilejensis. CCXXIII.
Severianus Gabalensis. CCXXIX.

V 4

S. Chromatius Aquilejensis. LV.

Theophilus Alexandrinus. CCL.

S. Hieronymus. CXVI.

Severus Sulpitius. CCXXX.

Synesius. CCXL.

S. Gaudentius Brixiensis. XCIII.

Asterius Amasenus. XXXI.

Palladius Helenopolitanus. CLXXXVIII.

Paulus Orosius. CXCII.

S. Paulinus Nolanus. CXCI.

S. Aurelius Augustinus. XXXIV.

Joannes Cassianus. LII.

Marius Mercator. CLXVII.

S. Isidorus Pelusiota. CXLIII.

Hesychius. CXV.

S. Possidius Calamensis. CCVI.

S. Proclus CPolitanus. CCVIII.

Socrates. CCXXXV.

Hermias Sozomenus. CCXXXVII.

S. Vincentius Lerinensis. CCLXVII.

S. Cyrillus Alexandrinus LXI.

S. Hilarius Arelatensis. CXVII.

S. Eucherius Lugdunensis. LXXVII.

Caelius Sedulius. CCXXVIII.

S. Petrus Chrysologus. CXCVI.

S. Nilus Abbas. CLXXIX.

Basilius Seleuciensis. XXXVIII.

S. Prosper Aquitanicus. CCX.
Theodoretus Cyrensis CCXLIII.
Valerianus Cemeliensis. CCLVII.
Victorius Aquitanus. CCLXIV.
Claudianus Mamertus. LVII.
S. Leo Magnus. CLIV.
S. Maximus Taurinensis. CLXXI.
Arnobius Junior. XXIX.
Gelasius Cyzicenus. XCIV.
S. Diadochus. LXIV.
S. Faustus Rejensis. LXXXVI.
S. Sidonius Apollinaris. CCXXXI.
Salvianus Massiliensis. CCXXVII.
Gennadius Massiliensis. XCV.
S. Victor Vitensis. CCLXI.
Aeneas Gazaeus. V.
Julianus Pomerius. CXLIV.

SAECULO VI.

Ruricius Lemovicensis. CCXXV.
Vigilius Tapsensis. CCLXV.
S. Ennodius Ticinensis. LXXIII.
S. Alcimus Avitus. XXXV.
Joannes Maxentius. CXXXV.
Severinus Boetius. XLIII.
Procopius Gazaeus. CCXI.
Marcellinus Comes. CLXIII.

S. Fulgentius Ruspensis. XCII.

S. Caesarius Arelatensis. XLIX.

Ferrandus Diaconus. LXXXVII.

Dionysius Exiguus. LXVIII.

Liberatus Diaconus. CLVIII.

Facundus Hermianensis. LXXXV.

Rusticus Diaconus. CCXXVI.

Primasius Adrumetinus. CVII.

S. Joannes Climacus. CXXXIII.

M. Aurelius Cassiodorus. LIII.

Victor Tunnonensis. CCLX.

Leontius Byzantinus. CLVI.

S. Martinus Bracarensis. CLXVIII.

Marius Aventicensis. CLXVI.

S. Gregorius Turonensis. CIV.

S. Leander Hispalensis. CLIII.

Evagerius Scholasticus. LXXVI.

Venantius Fortunatus. CCLVIII.

SAECULO VII.

S. Gregorius Magnus. CIII.

S. Eulogios Alexandrinus. LXXVIII.

Joannes Biclariensis. CXXXII.

S. Anastasius Sinaita. XVIII.

Leontitus Cyprius. CLVII.

Joannes Moschus. CXXXVI.

S. Isidorus Hispalensis. CXLI.

S. Sophronius Hirosolymitanus. CCXXXVI.

S. Eligius Noviomensis. LXXII.

S. Maximus Martyr. CLXXX.

Marculfus. CLXIV.

S. Ildephonsus Toletanus. CXXIX.

S. Theodorus Cantuariensis. CCXLVI.

S. Julianus Toletanus. CXLV.

SAECULO VIII.

S. Andreas Cretensis. XIX.

S. Germanus CPolitanus. XCVI.

S. Beda. XXXIX.

S. Joannes Damascenus. CXXXIV.

S. Bonifacius Moguntinus. XLV.

Ambrosius Autpertus. XV.

Paulus Warnefridus. CXCIII.

S. Paulinus Aquilejensis. CXC.

Antonius Melissa. XXVI.

SAECULO IX.

B. Alcuinus Flaccus. IX.

Amalarius Trevirensis. XII.

S. Theophanes Abbas. CCXLIX.

Theodulfus Aurelianensis. CCXLVIII.

Smaragdus Abbas. CCXXXIV.

S. Theodorus Studita. CCXLVII.

S. Nicephorus CPolitanus. CLXXVII.

Ansegisus Lobiensis. XX.

S. Agobardus Lugdunensis. VI.

Dungalus. LXX.

Eginhardus. LXXI.

Jonas Aurelianensis. CXXXIX.

Isidorus Mercator. CXLII.

Wandelbertus. CCLXX.

Walafridus Strabo. CCLXIX.

Amalarius Metensis. XIII.

Florus Diaconus. LXXXIX.

Freculfus Lexoviensis. XC.

Haymo Halberstadiensis. CXI.

B. Rabanus Maurus. CCXIII.

S. Eulogius Cordubensis. LXXIX.

S. Paschasius Ratbertus. CLXXXIX.

Lupus Servatus. CLXII.

S. Prudentius Tricassinus. CCXII.

Christianus Drutmarus. LXIX.

Ratramnus. *CCXV.*

S. Remigius Lugdunensis. CCXX.

S. Ado Viennensis. III.

Theodorus Abucara. CCXLIV.

Usuardus. CCLXVIII.

Hincmarus Rhemensis. CXX.

Photius CPolitanus. CCIV.

Anastasius Bibliothecarius. XVII.

Remigius Antissiodorensis. CCXIX.

SAECULO X.

Leo VI. Philosophus Imp. CLV.
Regino Prumiensis. CCXVIII.
Simeon Metaphrastes. CCXXXIII.
S. Odo Cluniacensis. CLXXXII.
Flodoardus Rhemensis. LXXXVIII.
Luitprandus Cremonensis. CLXI.
Ratherius Veronensis. CCXIV.
Oecumenius. CLXXXIII.

SAECULO XI.

Sylvester II. Papa. CCXXXIX.
Aimoinus Floriacensis. VII.
Fulbertus Carnotensis. XCI.
Burchardus Vormatiensis. XLVIII
Berno Auciensis. XLII.
S. Odilo Cluniacensis. CLXXX.
Glaber Rudolphus. XCVII.
Hermannus Contractus. CXIII.
Georgius Cedrenus. LIV.
Humbertus Cardinalis. CXXVI.
S. Petrus Damiani. CXCIX.
Marianus Scotus. CLXV.
Lambertus Schafnaburgensis. CLI.
S. Anselmus Lucensis. XXIV.
B. Lanfrancus Cantuariensis. CLII.

Theophylactus Acridanus. CCLII.
Michael Psellus. CLXXIV.

SAECULO XII.

S. Bruno Carthusiensis. XLVI.
Guitmundus Aversanus. CX.
S. Anselmus Cantuariensis. XXI.
Berengosus Abbas. XL.
Sigebertus Gemblacensis. CCXXXII.
Odo Cameracensis. CLXXXI.
S. Ivo Carnotensis. CXLVII.
Anselmus Laudunensis. XXIII.
Euthymius Zigabenus. LXXXIV.
Joannes Zonaras. CXXXVIII.
S. Bruno Signinus. XLVII.
Honorius Augustodunensis. CXXII.
Algerus Leodiensis. XI.
Goffridus Vindocinensis. XCVIII.
Rupertus Tuitiensis. CCXXIV.
Hugo Victorinus. CXXV.
Guilielmus Malmesburiensis. CVII.
Robertus Pullus. CCXXII.
Gratianus. XCIX.
S. Bernardus Claravallensis. XLI.
Arnoldus Carnotensis. XXX.
Anselmus Havelbergensis. XXII.
S. Petrus Cluniacensis. CXCVII.

Guarricus Abbas. CV.
Otto Frisingensis. CLXXXVI.
Petrus Lombardus. CC.
B. Aelredus Rievallensis. IV.
S. Thomas Cantuariensis. CCLV.
Richardus Victorinus. CCXXI.
Joannes Sarisberiensis. CXXXVII.
Petrus Cellensis. CXCV.
Philippus Abbas Bonae Spei. CCII.
Hugo Etherianus. CXXIV.
Petrus Blesensis. CXCIV.
Guilielmus Tyrius. CIX.
Petrus Comestor. CXCVIII.
Stephanus Tornacensis. CCXXXVIII.

SAECULO XIII.

Theodorus Balsamon. CCXLV.
Nicetas Acominatus. CLXXVIII.
Innocentius III. Papa. CXXX.
Guilielmus Antiossiodorensis. CVI.
Caesarius Heisterbacensis. L.
S. Antonius Patavinus. XXVII.
Lucas Tudensis. CLIX.
Jacobus De Vitriaco. CXXVII.
Moneta. CLXXVI.
Alexander de Ales. X.
Guilielmus Parisiensis. CVIII.

Innocentius IV. Papa. CXXXI.
Matthaeus Paris. CLXIX.
Reinerius Sachonus. CCXVII.
Thomas Cantipratanus. CCLIV.
Vincentius Bellovacensis. CCLXVI.
Hugo de S. Caro CXXIII.
B. Albertus Magnus. VIII.
S. Raymundus de Pennafort. CCXVI.
S. Thomas Aquinas. CCLIII.
S. Bonaventura. XLIV.

O. A. M. D. G.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Pat. Sac. Palatii Apostolici Magistro.

Card. M. Frattini Arch. Philip. Vicesg.

IMPRIMATUR.

Fr. Philippus Anfossi Sacri Palatii Apost. Mag.

